CAROLI FELICIS DE MATTA

CREMONENSIS

EPISCOPI SANCTI SEVERI

TRACTATVS

DE

CONSISTORIALIBVS CAVSIS.

Cum Additione

De Facultate Clericorum in Bonis Ecclesiæ:

SANCTISSIMO

DEI MATRIS MARIÆ

SEMPER VIRGINIS.

NOMINI.

D.



BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

NEAPOLI, MDCLXXXXIV.

Ex Typographia Hyacinthi Pittante. *Superiorum Licenti a.*

AD USUM
FR. A. BENTIV.
SUÆQ. COMMUN.

Digitized by Google



AD LECTOREM.

SIxtus Papa Quintus in sua Constitutione 74. *in ordine*, in Bullario Cherubini, *tom.* 2. Institutionis quindecim Congregationum S. R. E. Cardinalium, tertio loco pro erectione Ecclesiarum, & prouisionibus Consistorialibus ità disposuit.

Illa præterea cura ad Pastoralis nostri officii solicitudinem, & Ecclesiæ vniuersalis gubernationem maximè pertinet, vt ad Fidelium Populorum vtilitatem, Ecclesiis iam erectis, aut in posterum iustis de causis erigendis, de Episcopis, & Pastoribus idoneis, & fidelibus, ac fructuosis, in vinea magni Patris familiàs operariis salubriter in Domino prouideamus.

Quare aliam constituimus Cardinalium Congregationem, qui in primis cognoscant de legitimis causis erectionis nouarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, ac de cuiusque earum dote, Capitulo, Clero, Populo, & aliis, quæ ad huiusmodi erectiones, iuxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini, & Sanctorum Patrum decreta, necessaria sunt. Examinent præterea omnes difficultates de his incidentes, controuersias quoque inter eas, quæ iam erectæ sunt, necnon diætarum Ecclesiarum, Diœcesum, vel Monasteriorum vniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum redditibus assignationes, Monasteriorum pluritatem, Dignitatum incompatibilitatem, præsentationes, & nominationes, electionum, siue postulationum confirmationes, seù admissiones, suffragaeorum, Coadiutorumque deputationes, cum futura successione, siue absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa ætatem, et qualitatem promouendorum, eaque discussa, & examinata, ad Nos, Successoresque nostros referant, vt pro nostro, eorumue arbitrio, in Consistorio secreto, iuxta formam in hunc usque diem seruatam, proponatur.

De

Digitized by Google

De quibus quidem prouisionibus, & materiis, in vt supra instituta Congregatione discutiendis, cum hucusque nemo ex professo, quem sciamus, Tractatum ediderit, Nos, qui aliàs apud b. m. Cardinalem Petrum Vidonum, qui de Præpositis erat dictæ Congregationis, supra duodecim annos agentes, pro huiusmodi causis enucleandis persæpe libros reuoluimus, in hac solitudine Curialium phantasmatum reliquias euocantes, exiguum hoc, sufficiens tamen, vt opinamur, volumen conscripsimus, diuisum in plures Sectiones, concordantes verbis eiusdem Constitutionis, cum additione in fine de facultate Clericorum in bonis Ecclesiæ. Cui titulus licèt sit de Consistorialibus causis, non agitur tamen, nisi de iis, quæ in eadem Sacr. rerum Consistorialium Congregatione discuti solent, deindè illarum relatio fieri Papæ in Consistorio. In quo conscribendo seruauimus dictamen *Ioan. Calderini loc. cit. verbo Iurisprudentia*, ubi post multa contra Iurisperitos malè se gerentes, addit ex *Old.* methodum seruandam fore, vt prius fontes, quàm riuuli perspiciantur, & prius Diuini, quàm humani iuris formulæ concinna quadam breuitate tradantur. Vale.



Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Giacinto Pittante Stampatore di questa Fedelissima Città. Supplicando espone à V.E. come desidera stampare vn Libro intitolato: *Tractatus de Consistorialibus causis, Auctore Carolo Felici de Matta Cremonensi, Episcopo Sancti Seueri.* Per tanto supplica V.E. restar seruita ordinare la reuisione à chi meglio le piacerà, che il tutto l'hauerà à gratia, vt Deus.

Reu. Dom. D. Antonius Cangianus V.I.D. videat, & in scriptis referat, die 28. Aprilis 1694.

IO: AND. SELIQVINVS VIC. GEN.

Can. D. Ianuarius de Auria Consultor S. Officii Deputatus super editione librorum.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.

Vssu Eminentiæ Tuæ Reuerend.ss. diligenti studio percurri Librum, cui Titulus est: *Tractatus de Consistorialibus Causis Caroli Felicis de Matta Cremonensis, Episcopi Sancti Seueri*, in eo nihil inueni, quod Sanctæ Catholicæ Fidei, bonisque moribus repugnet; Imò, quod tale opus dignum ingenio, ac fama tanti Auctoris, non minus sit vtile, quia etiam perneccssarium omnibus in foro versantibus; quare Typis mandari debere diiudicio, si ità videbitur Eminentiæ Tuæ. Neap. 17. Septembris 1694.

Eminentiæ Tuæ Reuerendiss.

Humillimus Clicns
D. Antonius Cangianus.

Attenta relatione suprascripti Reu. Domini Reuisoris, quod potest imprimi,
Imprimatur *die 23. Septembris 1694.*

IO. AND. SELIQVINVS VIC. GEN.
D. Ianuarius de Auria Can. Deputatus.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Giacinto Pittante Stampatore in questa Fedelissima Città, supplicando humilmente espone à V. E. come desidera dare alla luce il Libro intitolato: *Tractatus de Consistorialibus Causis, cum Additione de facultate Clericorum in bonis Ecclesiæ, Authore Carolo Felici de Matta Cremonensi, Episcopo Sancti Seueri.* Per tanto supplica l'E. S. di commettere la reuisione à chi le parerà, che l'hauerà à gratia, vt Deus.

V.I.D. Dominicus de Prado videat, & in scriptis referat.

MIROBALLVS REG. GASCON REG.

Prouisum per S. E. Neap. die 20. Aprilis 1694. Comus.

Cæteri Illustres, & Spect. Regentes non interfuerunt.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

Jvssu V. Ex. perlegi Librum, cuius nomine. *De Consistorialibus Causis, Tractatus cum additione de facultate Clericorum in bonis Ecclesiæ. Authore Carolo Felice de Matta, &c.* & nihil in eo reperii contra Regiam Iurisdictionem, imò stupore ductus perspexi aciem ingenii, tam sublimis, à quo procul dubio legum normam discere potest præsens, futuraq; ætas; Ideoq; visum mihi fuit edi publicæ vtilitati, si ità fuerit voluntas V.E. Neap. 10. Maii 1694.

Exc. Vestræ

Humilis. & Additis. Seruus
Dominicus de Prado.

Visa supradicta relatione, Imprimatur, Verùm in publicat ione seruetur Regia Pragmat.

MIROBALLVS REG. GASCON REG.

Prouisum per S. E. Neap. die 10. Maii 1694. Comus.

Cæteri Illustres, & Spect. Regentes non interfuerunt.

Digitized by Google

SECTIONVM INDEX.

De potestate Papæ super prouisione Ecclesiarum. 1
Sectio prima, de Patriarchalium Ecclesiarum erectione. 7
Sectio secunda, de Archiepiscopalium Ecclesiarum erectione. 13
Sectio tertia, de Cathedralium Ecclesiarum erectione. 19
Corollarium primum, de mutatione status Ecclesiæ. 21
Sectio quarta, de Dote. 25
Sectio quinta, de Capitulo. 30
Sectio sexta, de Clero. 32
Sectio septima, de Populo. 33
Sectio octaua, de Diœcesibus. 34
Sectio nona de Monasteriorum vnione. 38
Sectio decima, de Dismembrationibus. 44
Sectio vndecima, de Cessionibus. 51
Sectio decimasecunda, de Permutationibus. 61
Sectio decimatertia, de Traslationibus. 64
Sectio decimaquarta, de Pensionibus. 67
Sectio decimaquinta, de Monasteriorum pluralitate. 70
Sectio decimasexta de Dignitatum incompatibilitate. 71
Sectio decimaseptima, de Præsentationibus. 80
Sectio decimaoctaua de Nominationibus. 83
Corollarium secundum, Concordatis an derogari possit. 87
Sectio decimanona, de Electione. 91
§. 1. de Eligendorum requisitis. 92
§. 2. de Eligentium requisitis. 98
§. 3. de Electione per Scrutinium. 109
§. 4. de Electione per Compromissum. 118
§. 5. de Electione quasi per inspirationem. 122
§. 6. Summa omnium requisitorum ad electionem. 127
Corollarium tertium, de prouisione ex integro. 135
Sectio vigesima, de Electionis confirmatione. 129
Sectio vigesimaprima, de Postulatione. 136
Sectio vigemasecunda, de Suffraganeis, & Coadiutoribus. 141
Sectio vigesimatertia, de conficiendis processibus super requisitis in promouendis. 155
Additio Reddituum Ecclesiæ. 160

Digitized by Google



BEATISS. PATER

TRactatum hunc de Conſiſtorialibus cauſis, cum additione de facultatibus Clericorum in bonis Eccleſiæ, Glorioſæ B. M. ſemper Virginis, Matris Dei nomini dicatum, S. V. vti decet, ac par eſt, deuotiſſimè præſento, quia videlicet Sanctitas Veſtra eiuſdem Dei, ac Domini Noſtri IESV Chriſti in Terris locum tenet, & quia cauſarum huiuſmodi reſolutio à S. V. & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nutu dependent. Debito igitur meo ſatisfaciens, S. V. pedes reuerentiſſimè deoſculor.

Eiuſdem S. V.

Humiliſs. ac Deuotiſs. Seruus Obſeq.
Carolus Felix Epiſcopus Sancti Seueri.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMA

MATER DEI SEMPER VIRGO MARIA

TOt Tibi sunt laudes Virgo, quot sydera Cæli, cecinit Vates, cœlesti lumine edoctus. Et numera Stellas Cœli, si potes, habetur Gen. 15. 5. Proindè laudes tuas, ò MARIA, dinumerare quis poterit? Quibus quidem innumeris laudibus addenda est singularis gratia, quam ad Tui intercessionem Diuina miseratio de recenti Nobis contulit; renouata videlicet in nouissima Viennæ obsidione miracula, terroris primò, deindè percussionis Turcarum exercitus, quæ leguntur de Benadad Rege Syriæ, obsidente Samariam, 4. Reg. 6. & de Sennacherib, ruinas minante Populo Dei, & Ezechiæ Regi Ierusalem, 4. Reg. 19. & notabiliora fortasse magis, quàm illa; tunc siquidem, tàm in prima, quàm

Digitized by Google

quàm in ſecunda obſidione, de vna tantùm ageb atur Ciuitate, nunc verò tota rei noſtræ ratio periclitabatur; ſiquide m ſuperato Viennenſi Propugnaculo, feriſſimo illi Chriſtiani nomi nis hoſti apertus vbiq; patebat iter: In laudem igitur Glorioſi Tui Nominis, quod in memoriam præſeruationis à tanto diſcrimine ſanctæ memoriæ Innocentius Papa Vndecimus annua ſolemnitate celeb rari mandauit, hoc paruum opus conſcripſi, eidemque dicandum cenſui, vt ſi quid, ipſum legentes, vtile inuenerint, laudes Tibi pariter r eferant: Quam ſicuti tutiſſimam Patronam ſemper ſum expertus, ſic v ſque ad extremum vitæ ſpiritum futuram exoro.



CA-



CAROLI FELICIS DE MATTA EPISCOPI SANCTI SEVERI

DE

CONSISTORIALIBVS CAVSIS.



SVMMARIVM.

Papæ suprema potestas in spiritualibus, & temporalibus, n. 1.

Papæ potestas est imperscrittibilis, illamque à se abdicare non potest, 2.

Nemo potest possidere seipsum, 3.

Papa potest quidquid potest Deus, 4.

Propositiones Archiepiscopi Spalatensis damnatæ, remissiuè, 5.

Papæ super humeros est sollicitudo omnium Ecclesiarum, 6.

Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi intrant in partem sollicitudinis, 7.

Iurisdictio immediata, & deriuata, 8.

Potestas deputandi Ministros à Deo, vsq; ad Petrum, 9.

Electionis forma post obitum Apostolorũ, & deinceps, 10.

Electio Episcoporum, quando à Clero, & Populo, 11.

Populus excluſus ab electione Episcoporum, 12.

Imperatores, & Reges eligebant Episcopos, deindè priuati, 13.

Potestas eligendi Episcopos restricta ad solos Canonicos, 14.

Tres modi antiquitus prouidendi Ecclesiis, 15.

Papæ semper fuit potestas prouidendi Ecclesiis, 16.

Electiones secutæ per inspirationem, 17.

Error Rebuffi circa electiones per inspirationem, 18.

Cauſæ ob quas Capitula priuata fuerunt potestate eligendi, 19.

Papæ, qui primò reseruarunt prouisiones Ecclesiarum, 20.

Regulæ Cancellariæ renouantur à quolibet Papa, quia per anteceſſoris obitum expirant, 21.

Papa ad gratificandum Regibus, & Principibus derogat regulis Can-

Digitized by Google

cellar æ, 22. & 23.

Nicolaus Quintus concessit nationi Germanicæ facultatem eligendi Episcopos, 24.

1 SVpremam in spiritualibus, & temporalibus potestatem, quæ ad vniuersalis Ecclesiæ, & Populi Christiani per totum terrarum Orbem gubernationem pertinet, in Romano Pontifice, ceu in fonte repositam esse, latè per *Augus. de Ancon. in tract. de pot. Eccles. q. 1. per tot.* & per *Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 2. alioſque ibidem citat.* Quos hic repetere superfluum ducimus, non tantum nè videamur transcribere de charta, vt aiunt, in papirum, verum quia huiusmodi usque ad nauseam repetiti discursus derogare videntur eiusdem Summi Pontificis existimationi, quasi aliqua supersit dubitatio super eius Vicariatu Christi Domini, & Primatu, ac capite totius Ecclesiæ, Populique Christiani, cum hoc sit iam definitum de fide, per *tex. in extrau. Vnam sanctam de maior; & obed. ibi igitur Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus Petrique Successor*, & infra, *Certè, qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male attendit verbum Domini*, & infra, *Vterq; ergo est in potestate Ecclesiæ spiritualis gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus; Ille Sacerdotis, is manu Regum, & Militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subiici potestati. Nàm cum dicat Apostolus non est potestas, nisi à Deo, & quæ sunt, ordinata sunt; non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tãquá inferior reduceretur per alium ad suprema*; & infra, *Porrò subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omninò esse de necessitate salutis.* De potestate autem Papæ in temporalibus, qui tractarunt, quam varia dixerint, & qualiter metas excesserint, incredibile dictu,

Verum quia non est nostri huius instituti, de hoc principaliter agere, dicam breuiter cum *Aug. de Ancon, loc. sup. cit.* Supremam Papæ potestatem in temporalibus non consistere in executione, nisi in quibusdam casibus, prout notatur in *cap. per venerabilem, iunct. glos. qui fil. sint legi.* sed consistere in prouisione iuxta prudentiam necessitate exigente.

2 Quam quidem supremam Romani Pontificis in spiritualibus, & temporalibus potestatem, neq; in minima sui parte fore præscriptibilem, tenet *Innoc. in cap. bonæ, il p. de postul. prælat. Abb. in cap. cum Nobis de præscr.* & in *d. cap. per venerabilem*, vbi quod nullus Princeps præscribere posset, vt non
3 sit sub Romano Imperatore, quia sine possessione præscriptio non datur, & nemo potest possidere seipsum. Quinimò etiam si vellet hanc supremam potestatem à se Papa abdicare, non posset, *tex. in cap. intellecto, de iureiur. vbi latè Abb. & alii, Felin. in cap. dilecti, sub num. 1. de maior. & obed.* Videatur idem *Abb. in cap. venerabilem num. 18. de elect.* vbi quod Papa
4 potest quidquid potest Deus, aliàs Christus Dominus non fuisset diligens paterfamilias, si non constituisset in terris aliquem loco sui, qui exigentibus causis possit omnia facere, quæ Christus ipse. Concordat *Innoc. in cap. ad Apostolicæ, & cap. super his, de vot.*

&

& in cap. 5. de iureiur.

5 Quæ cum ita sint omninò, nullamque patiantur difficultatem, nihilominus, postremò Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalaten ausus fuit in suis libris de Republica Ecclesiastica plura scribere contra Romanum Pontificem, ac Sedem Apostolicam; cuius quadraginta septem propositiones damnatæ fuerunt per censuras à S. Theologorum Parisiensium facultate de anno 1617., vt videre est penes *M. L. Bail. in apparatu ad summ. Concil. de Triplici verbo Dei*, Ex quibus censuris notat *idem Bail.*, mentem Parisiensium esse, Regimen Ecclesiæ à Christo institutum, Monarchicum esse, non Aristocraticum, scilicet regimen vnius, qui nec Superiorem, nec æqualem recognoscat. Iurisdictionem Apostolicam ordinariam in solo Petro, non in aliis Apostolis extitisse. Monarchiæ formam in Ecclesia à Christo immediatè institutam fuisse. Dari præter Christum vnum caput supremum, & Monarcham in Ecclesia. Christum non regere Ecclesiam, nec gubernare per multos ministros sine illo Manarcha mortali. In Ecclesia Romana summum esse primatum. Pontificem Romanum peculiarem esse Petri successorem. Vnitatem rectoris visibilis ad vnionem Ecclesiæ facere, ita vt falsum sit vnionem Ecclesiæ Catholicæ in vnitate rectoris visibilis non consistere. Romanam Ecclesiam iure Diuino authoritatem in alias Ecclesias habere.

6 Ob hanc igitur supremam Romani Pontificis potestatem, ad ipsum spectat, & super eius humeros reposita est omnium Ecclesiarum sollicitudo. Cum verò
7 vbique esse nequeat, in partem sollicitudinis intrant Patriarchę, Metropolitani, & Episcopi respectiuè. Proinde *Augus. de Ancon. de potes. Eccles. q. 1. ar. 1.* iurisdictionem spiritualem, & temporalem in immediatam diuidit, &
8 deriuatam, ita vt immediata sit in solo Papa, deriuata verò competat omnibus Episcopis, & Prælatis; adducens authoritatem Concilii Ephesini, quod quemadmodum solis sunt multi radii, sed lumen vnum, & arboris multi sunt rami sed robur vnum; ita pariter multi riuuli de fonte diffluunt, vnitas tamen in origine; Sic etiam Ecclesia in latitudinem sit miræ fecunditatis extensa, vnus tamen Episcopatus, cuius aliqua pars in singulos extenditur.

9 Notandum verò potestatem deputandi Ministros, & dispensatores. Misteriorum Dei ipsum Deum exercuisse primò in veteri lege, quando ex duodecim tribubus Filiorum Israel elegit tribum Leui, vt ex eadem Aaron, & filios eius in Sacerdotes, *Exod. 28.* Deindè Christum Dominum ex septuaginta duobus Discipulis à se designatis eligendo duodecim, quos Apostolos nominauit, *Luc. 6. & dist. 21. in summa*, qui eandem Petro tanquam sui Vicario impartitus fuit, *cap. 1. dist. 22.* Ipseque ex humilitate Collegio Apostolorum, & Seniorum, illam tamen à se non abdicando, exercere permisit, *Act. 6. & 15.* sicuti beatus Iacobus in Antistitem Hierosolimitanum ab ipso Petro, Iacobo, & Ioanne electus fuit, *cap. porrò, 63. dist.* Et post obitum Iacobi Simon Cananeus de cõsensu omnium Apostolorum eidem Hierosolimitanæ Ecclesiæ suffectus. Iidemque Apostoli peragrantes orbem in singulis Ciuitatibus Episcopos statuerunt, *dist. 21. in summa.* A quibus Episcopis alii deindè Episcopi deligebantur.

Digitized by Google

10 Qualiter autem ab obitu Apostolorum fieret Episcoporum electio, nihil generale habemus post dispositionem Canon. *Apost. ubi cap.* 1. dicitur, quod Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur, usque ad primum Nicenum generale Concilium *can.* 4. translatiuè in *cap. Episcopi dist.* 94. vbi statuitur, Episcopum ordinãdum ab omnibus Episcopis, qui sunt in Prouincia, cum approbatione Metropolitani. Tenendum tamen est, obseruatum fuisse morem, & consuetudinem ex authoritate Diui Pauli, qui 1. *ad Timoth.* 3, requirit, vt in ordinatione Episcoporum habeatur bonum testimonium, etiam ab iis, qui foris sunt, ea etiam ratione, vt omnibus dicendi in eligendũ esset facultas, & liceret cuiq; palã virtutes, & vitia eligẽdi proferre.

Aucto deindè Christianorum numero, & cessantibus tyrannorum persecutionibus cum quasi
11 gens effrenata nollet Episcopos recipere, nisi ab ipsis approbati fuissent, id lõgo tempore ad hoc, vt Christiana fides augeretur, est tolerատum, ideoque aliquoties per Clerum, & Populum electio celebrata, & quandoq; per vniuersam turbam extitit, vel saltem de consensu Populi, electio fiebat à Clero, *cap. plebs, cum cap. seq.* 63. *dist.* Hinc statutum fuerat, Episcopos non esse consecrandos, nisi post electionem, aut consensum Cleri, & Populi, *cap. Episcopos d. dist.* 63. nè, inquit ibi textus, plebs in vita Episcopum non optatum contemnat, aut odiat, *cap. fin. & cap. in nomine Domini, ead. dist.* 63. Quandoquidem ipsorum intererat, habere Episcopum sub quo famem, vel sitim non paterentur, *Archar. in cap.* 1. *in fin. de paroch.*

12 Verum, quia vulgus aliquando ad acclamationem ignaros, seù Populares, nulla probitatis habita ratione eligebat, *argum. glos. in l. Decuriones, C. de pæn.* huiusmodi tolerantia, seù vsurpatione priuatus fuit, & prohibitus, nè deinceps electioni interesset, *cap. non est permittendum, dist.* 62. *& cap. Ossius,* 2. *de elect.* vbi ea redditur ratio, manifestum est potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, pretio, vel mercede corrumpi, *sunt verba textus.*

13 Successit deinde tempus, quo Imperatores, Reges, & Principes erga Romanam Ecclesiam grati, & benemeriti, ab eadem eligendi Episcopos gratiam reportarũt. Verum quia aliquando in hæreticam perfidiam labentes Catholicæ Ecclesiæ vnitatem impugnare conati sunt, vel modum excedentes, & concessa sibi potestate abutentes, pro arbitrij temeritate indignos promouere, dignos vexare, & cicere ceperunt; emanarunt proinde decreta Patrum, nè in electionibus se ingererent, *tex. in cap. priuilegium,* 11. *q.* 3. *cap. tuarum,* 11. *vers. verum, de priuil. cum aliis,* statutumque, vt quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret, anathematis vinculo innodaretur, *text. in cap. quia sancta, §. verum, dist.* 63. *Maleret. in tract. de elect. fol.* 54. *Abb. in cap. venerabilem, n.* 18. *de elect.* & quod nullus Clericorum inuestituras Episcopatus, Abbatiæ, vel alterius Ecclesiæ de manu Imperatoris, seu Regis, aut alterius personæ secularis, viri, vel feminæ accipiat sub pæna excomunicationis, quæ inuestituræ etiam irritæ declarantur *in cap. quoniam inuestituræ,* 16. *q.* 7.

14 Excluſis igitur secularibus personis ab electionibus Cathedralium Ecclesiarum, potestas eligendi Episcopos penes omnes Clericos, & religiosos Diœcesis remansit, *tex. in cap. obeuntibus,* 62. *dist.* deinde verò Clerici à Religio-

Digitized by Google

giosis sunt separati, & constitutum, vt religiosi suorum Abbatum, seù Priorum, vel Prepositorum, Canonici verò suorum Episcoporum electionem facerent, *cap. cum terra, cap nullus, iunct. gloss. & per tot, tit. de elect.* quia singuli melius cognoscebant viros dignos; & Sanctos de eorum gremio, quam extranei; Ideoque tota Episcoporum eligendi facultas ad Canonicorum Collegium redacta, & deuoluta fuit, exclusis non solum laicis, sed etiam cæteris Ecclesiæ Clericis, quamuis Beneficiatis, *cap. in Genesi dicto cap. cum terra, & cap. cum Ecclesia iunct. glan. de elect.*

15 Vnde secundum illa tempora notantur tres modi prouidendi vacantibus Ecclesiis, per electionem scilicet, postulationem, vel nominationem duorum, vel trium de Capitolo rogando Papam, vt de aliquo ipsorum prouideret Ecclesiæ, *Abb. in cap. bonæ, il 1, de postul.*

16 Salua tamen semper, & in quolibet tempore à principio orientis Ecclesiæ suprema facultate Romani Pontificis, vbique prouidendi, prout necessarium, vel vtile censeret, vt constat ex Ecclesiasticis historiis. Etenim Linus immediatus Petri successor Episcopos per diuersa loca quindecim ordinauit, Cius quinque, Clemens quindecim, Ioter vndecim, Eutistus quindecim, Anacletus sex, Fabianus vndecim, Anicetus nouem, Calixtus octo, Zeferinus tresdecim, Pontianus sex, Victor duodecim, Siluerius decem, & nouem, Felix quinque, Stefanus tres, Marcellus viginti, & unum, Marcellinus quinque, Martinus triginta tres, Ioannes quindecim, Siluester sexaginta quinque, Damasus sexaginta duos, Leo secundus viginti tres, Innocentius quinquaginta quatuor; sic deinceps etiã successores, quos longum esset recensere. Ex quo verificatur dictum, *Abb. in c. 1. de elect. in princ.* quod ab initio Romani Pontifices prouidebant Ecclesiis.

17 Sicuti non defuit Diuina prouidentia, quando sibi placuit, Sanctos Viros designare, & ostendere, qui tanquam à Deo dati in Episcopos ab omnibus recipiebãtur, vt videre est apud Petrum de Natalibus, qui refert Antistites Ecclesiæ Rauennatensis post Sanctum Apollinarem usque ad numerum duodecim per cælestem Columbam designatos, & ostensos; ideoque dicta Ecclesia vacante, cum Seuerus obscurè natus, & pauperem vitam ex lanificio ducens, ad effectum videndi miraculum Columbæ, Ecclesiam fuisset ingressus, super caput eius residente columba, in Episcopali sede collocatus fuit, atque in Episcopum consecratus, non obstante, quod Vxorem, & Filiam haberet. De Diuo Ambrosio scribit idem Petrus de Natalibus, quod mortuo Auxentio Episcopo Mediolanensi Ariano, cum pro sedanda populi commotione, erat enim Iudex, ad Ecclesiã perrexisset, voce infantis Ambrosium Episcopum clamantis, ab omnibus tàm Arianis, quàm Catholicis in Episcopũ electus fuit. De Diuo item Nicolao, quod defuncto Archiepiscopo Mirhæ, cũ Episcopi suffraganei pro eligendo nouo Præsule orantes conuenissent, reuelatum fuit vni ex ipsis magnæ authoritatis, à quo vota omnium dependebant, vt illũ eligere deberent, quem hora matutina primum ad ianuam Ecclesiæ Nicolaum nomine reperirẽt, qui ita repertus in Antistitem electus fuit. Nec non de Alexandro, qui cum Hierosolimam accederet, voce à Cælo delapsa, vt om-

Digitized by Google

omnes eidem occurrerent, atque in Episcopum ordinarent, primò in Coadiutorem Marcelli Episcopi, & post illius obitum in eiusdem locum suffectus est. Quæ quidem omnes electiones, & aliæ similes dictæ fuerunt per inspirationem. Et de quibus quidem huiusmodi electionibus licet dicat *Rebuff. in rubr. de reg. ad præsent. nomina, §. vlt. fol. mihi* 121. *col.* 2. non
18 esse tractandum, cum hodiè propter peccata non sint in vsu; Non est tamen nostrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, *Actor.* 1. Nec potest homo peccato suo Diuinum mutare consilium, *D. Aug. de Ciuit. Dei lib.* 13. *cap.* 20. Quatenus autem darentur huiusmodi electiones per inspirationem, an indigerent confirmatione, dicemus inferius, *sect.* 19. §. 5. *n.* 34. *& seq.*

19 Durauit huiusmodi facultas Capitulorum, & Capitularium eligendi sibi Pastorem, donec iustis exigentibus causis tali iure priuati fuerunt. Quia nimirum in electionibus magnæ oriebantur discordiæ, cognitoq; per Romanos Pontifices, ex crebris absolutionibus, & rehabilitationibus, à Sede Apostolica postulatis, & obtentis, quam grandia animarum pericula inde proueniebant, cum pleræque electiones per abusum secularis potestatis, nonnullæ præcedentibus illicitis & simoniacis pactionibus, aliæ particulari amore, & sanguinis affectione, & non sine periurii reatu fierent, cum electores ipsi, etiam si ante electionem, per ipsos fiendam, idoniorem, & non eum, quem promissione, aut datione alicuius rei temporalis, seu prece, vel precibus per se, vel per alium interpositis, electionem procurare didicissent, eligere sponte iurassent, iuramentum huiusmodi non seruarent, sed contra proprium iuramentum in animæ suæ præiudicium venirent, vti dolenter enunciat *Leo Decimus in Bulla Concordatorum Franciæ*.

20 Propterea ad obuiandum huiusmodi scandalis, Romani Pontifices, Patriarchalium, Archiepiscopaliū, & Episcopalium Ecclesiarum vacantium prouisiones sibi reseruarunt. Primò quidem Clemes Quintus earùm Cathedralium tantum, quas apud Romanam Curiam vacare contigisset. *Extrau. Et si temporalium de præb. int. comm.*, deinde earum quoque Ecclesiarum, quæ Clero, & Christiano Populo carerent, *Clement. In plerisque de elect.* Benedictus Vndecimus statuit, quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus, prouideri nō posse Romano Pontifice inconsulto, *Extrau. Sancta Romana de elect. inter commun.*, Ioannes Vigesimus secundus prouisioni suæ reseruauit Episcopales, & Superiores Ecclesias, quas apud Sedem Apostolicam ipso viuente vacare contigisset, *extrau. ex debito eod. tit. de elect. inter commun.* Et Benedictus Duodecimus Apostolicæ dispositioni reseruauit omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias tunc apud Sedem Apostolicam quoque modo vacantes, & in posterum vacaturas. *Extrau. ad regimen de præben. inter comm.* Denique per sequentes Summos Pontifices reseruatio facta fuit simpliciter, & generaliter quoad omnes Ecclesias Episcopales, tàm apud Sedem Apostolicam, quā extra Romanā Curiam vacantes, in *Regula secunda Cancellariæ*. Quæ quidem reseruatio, sicut, & aliæ contentæ *in d. extrau. Ad regimen.* ideò re-
21 nouantur ab omnibus Summis Pontificibus in crastinum eorum assumptiones, quia semper fuerunt, & sunt temporales, expira-

runt

runt, & expirant cum quolibet earum conditore, *Garz. de benef. p. 5. cap. 1. n. 102. Lotter. de re benefic. lib. 2. q. 27. n. 97.* & omnes alii de materia scribentes.

22 Quibus tamen reseruationibus iidem Romani Pontifices ad gratificandum Regibus, & Principibus, de Catholica Ecclesia benemeritis, & aliis de causis sibi benè visis, quandoque derogarunt, & derogant, vt videre est apud *Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 8. n. 74. & pluribus seqq.* vbi ad longum explicat, quinam Reges presentãdi, nominandi, seù supplicandi facultate gaudeant, & Nos suo loco

23 dicemus. Sicuti non dedignantur etiam Ecclesiis existentibus in ditionibus aliorum Principum, qui nullum præsentandi, nominandi, aut supplicandi ius habent, de personis iisdem Principibus gratis prouidere, de mera gratia tamen, & habito respectu ad id, quod enunciatur in *Pontificali Romano, tit. de ordin.* Presbyteri, ibi, vt facilius ei quis obedientiam præbeat ordinato, cui assensum præbuit ordinando.

24 Prout etiam Nicolaus huius nominis Papa Quintus, titulo cõcordatorum concessit inclitæ Nationi Germanicæ, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus, etiam immediatè non subiectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subiectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, quæ pro confirmatione ad eandem Sedem Apostolicam transmittantur, prout suo loco pariter explicabimus.

Non solum autem ad Romanum Pontificem spectant Ecclesiarum prouisiones, verum etiam erectiones, vniones, diuisiones, & quæcumque super iisdem contingere possunt, *ca. præcipimus, 16. q. 1. gloss. in verbo, diuisis, ca. 1. dis. 10. ca. & temporis, cum seq. ead. dis. 16. cap. sicut vnire, de excess. prælat. cap. 1. de Cler. ægrot. cum corcord.* Quare sit.

SECTIO PRIMA.

De Patriarchalium Ecclesiarum Erectione.

SUMMARIUM.

Facultas spiritualis quoad ordinem, est eadem in omnibus, num. 1.
Papa si eligatur non Sacerdos, non habebit potestatem ordinis, 2.
Episcopalis gradus est quadripartitus, 3.
Patriarchas dicitur instituisse Petrus Apostolus, 4.
Apostoli non cognouerunt Patriarchas, nec Episcopis superiores, 5.
In canonibus Apostolorum nulla fit mentio de Patriarchis, vel Metropolitanis, 6.
Canones Apostolorum, saltè quinquaginta sunt Apostolorum, 7.
Primus quid importet, 8.
Patriarchæ nomen t ipliciter sumitur, 9.
Patriarchæ nomen per quingentos circiter annos non fuisse cognitum, 10.
Patriarchæ duo tantum fuerunt ab initio 11.
Patriarcha Constantinopolitanus ab initio, non fuit approbatus, 12.
Patriarchatus Constantinopolitanus, & Hierosolimitanus pacis, & tranquillitatis causa fuerunt admissi, 13
Priuilegia Patriarcharum antiqua correcta 14. & 17.
Insignia Cardinalium de latere Legatorũ, 15.
Patriarchæ tenentur recipere pallium a Summo Pontifice, 16.
Cardinales hodiè præcedent Patriarchis. 18.
Legati nati, maiore facultate gaudent, quam Patriarchæ, 19.
Patriarchæ minores, 20.
Patriarcha minor, & Primas idem sonant, 21.

Pa-

Digitized by Google

Patriarchæ sunt Ordinarii Archiepiscoporum, 22.
Patriarchatus ad erectionem, quæ requirantur. 23.
Capitulum patriarchale, an succedat in ius patriarchale, sede vacante, 24.
Capitulum Ecclesiæ, cuius Episcopus est Legatus natus, an succedat in ius Legati, Sede vacante, 25. & 26.

1 FAcultas spiritualis quantum ad potestatem ordinis, quæ respicit Corpus Christi verum, & quæ est respectu ipsorum Sacramentorum, licèt sit vna, & eadem in omnibus Episcopis, & Sacerdotibus, ad eosque restricta, ità vt dicat *August. de Ancon. de pot. Eccles. q. 1.* quod si aliquis eligeretur in Papam, non habens ordinem Sacerdotalem, esset quidem verus Papa, haberetque omnem
2 potestatem iurisdictionis in spiritualibus, & temporalibus, nullā tamen haberet potestatem ordinis, quia talis potestas conuenit Papæ in quantum est Sacerdos, quam potestatem Christus Dominus, *Ioann. 20.* æqualiter, & immediatè cōcessit Petro, & aliis Apostolis, quorum personas representant Episcopi, vt habetur in *can. in nouo testamento 21. dist. can. 1. dist. 99. & can. nouatianus 7. q. 1.*

3 Quantum verò ad iurisdictionem, & gradum Episcopalem, quadripartitus est, in Patriarchas scilicèt, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, cuius rei rationem reddunt, *Rusc. in tract. de præemin. Archiepiscopalis dignitatis, in præfat. à princ. Pigh. de Eccles. Hierarch. lib. 5. cap. 1.* Quia nimirum militans Ecclesia exemplatur a Triumphante, in qua sunt Angeli, Troni, Principatus, &c. ità congruentissimo ordine in militante Ministrorum Ecclesiasticorum officia distinguntur, in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos. Quod tamen non totaliter approbat *Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 6. num. 7.* Quia huiusmodi distinctio quoad prædictos Prælatorum, & Dignitatum gradus ad Ecclesiæ institutionem, & ius humanum sit referenda; vt videbimus inferius.

4 Etsi enim dicatur, prædictos gradus ab ipsomet Apostolo Petro descendisse, prout ex asserta *epist. Clement. ad Iacobum, relat. in can. in illis 40. dist.* vbi, quod in Ciuitatibus illis, in quibus olim apud Ethnicos erant Primiflamines, & eorum primi legis Doctores, Episcoporum Primates, & Patriarchas, ipse Petrus constituit, qui aliorum Episcoporum causas, & maiora fidei tractarent negotia; vbi verò minores eorum erant Protoflamines, Archiepiscopos præcepit institui; In singulis deindè Ciuitatibus, singulos, & non plures Episcopos ordinauit. Concordare videtur, *text. in c. 1. dist. 99.* vbi Papa Anacletus, qui immediatè successit D. Clementi, expressè nominat Patriarchas, & in *c. 2. ead. dist.* vbi cauetur, vt nulli Episcopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas sedes tenent, quarum Apostoli, eorumque successores regulariter Patriarchas, vel Primates esse constituerunt. Contra quem textum, & alios supra
5 citatos se opponit *ibid. Gloss. margin.* dicendo, quod Apostoli nunquam cognouerunt Patriarchas, vel Primates, aut Episcopis maiores, vt patet de Sancto Ignatio Martyre, Diui Ioannis Apostoli Discipulo.

6 Cui quidem glossæ libenter assentior, quia in canonibus Apostolorum nulla fit mentio de Patriarchis, vel Metropolitanis; in *can. enim 38.* dicitur tantum bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, vt inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas con-

ten-

Digitized by Google

tentiones amoueant ; Et in *can.* 35. *anteced.* licet dicatur Episcopos singularum gentium, scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil aliud præter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quæ Parochiæ propriæ, & Villis, quæ sub ea sunt, competant; sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid; Quia primus dicitur etiã qui
7 cæteris õnibus perfunctus officiis primũ locum obtinet; sicuti etiam primus Aduocatorum, qui antiquior primo loco sedet, *l. iubemus, & l. per hanc C. de Aduoc. diu. iudic. & l. binos, ff. eod. tit. Calu. in lex. iur. eod. verbo* Vide tamen sect. *seq. n.* 2.
8 Quos quidem canones, saltem quinquaginta primos, esse Apostolorum, immediatè post articulos fidei, antequam diuiderentur, statutos fuisse, probabile existimat *Ludouic. Bail. in summ. Concil. de canon. Apost.* quia par fermè erat ratio, vt conformes essent Populi in exercitio Religionis, ac in professione fidei, & muneris erat Apostolorum, vt, cum promulgato Euangelio multi fidem amplecterentur, quibus dirigendis imponerent Præsbyteros, & Episcopos, iis etiam traderent quosdam Canones, quibus, ad euitandas discordias, in regimine Ecclesiastico vterentur vbique. *Sunt verba eiusdem Bail.*
9 Quod autem attinet ad nomen Patriarchæ, quod latinè redditur Princeps, seu Pater, potest accipi latè, latius, & strictè. Latè sumpto vocabulo, de veteri lege vocantur Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob; quia primus fuit Pater duorum magnorum Principum, Isaac, & Ismaelis; secundus item Pater duorum magnorum Principum; Iacob, & Esau; & Tertius Pater duodecim Principum, duodecim Tribuum Israel. Latiùs sumpto vocabulo, omnes Religiosi vocant Patriarchas Institutores eorum Ordinum; sicuti Cassinẽses D. Benedictum; Prædicatores D. Dominicum; Iesuitæ D. Ignatium, &c. strictè verò, & quatenus ad rem nostram attinet, idem est Patriarcha, ac Princeps Patruum, *c. Cleros, §. Episcoporum ord. 31. dis. Gambar. in tract. de lega. lib. 2. num. 11.*
10 Quod quidem Patriarchæ nomen per quingentos circiter annos non fuisse in vsu, asserit *Calu. in lex. iur. eod. verb.* Sed qui modò vocantur Patriarchæ, dictos fuisse Metropolitas, Archiepiscopos, seu Primates, vt constare prætendit ex primis sex generalibus Conciliis, præsertim ex Constantinopolitano Tertio, *can.* 36. vbi Sedes Patriarchales vocantur simpliciter Throni.
11 Porrò duos tantum Patriarchas ab initio fuisse, constat ex *Cõc. Nicen. can. 6. translatiuè in c. mos antiquus, & seq. 65. dist.* vbi dicitur, Antiqua cõsuetudo seruetur per Aegyptum, Libyam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; similiter autem, & apud Antiochiam, Quas quidem Ecclesias huiusmodi prærogatiuam habuisse crederem, quia vna fundata fuit à D. Petro Apostolo, altera verò à D. Marco Euangelista. Concordat *tex. in can. Cleros 21. dist.* vbi qui summum teneant locum post Romanum Pontificem, nominantur Antiochenus, & Alexandrinus tantùm.
12 Postmodum in *Constantin. Concil. 1. can. 5.* declaratum fuit Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopũ habere oportere Primatus honorem post Romanum Episcopum; Quod tamen à Romana Ecclesia approbatum non fuit, nisi post annum Domini 500. cum pacis, & tranquillitatis causa, Iustiniani

Digitized by Google

Imperatoris opera, & Romanorum Pontificum permissione, nullo amplius reclamante, Constantinopolitanus, & Hierosolimitanus Episcopi in numero Patriarcharum sunt relati, vt constat *ex can. renouantes, & can. seq. dist. 22. & cap. antiqua de priuil.*

14 In Concilio Constantinopolitano Tertio, *can. 36.* nonnulla decernuntur Constant. Patriarchæ, quæ correcta fuerunt ab Innocentio Tertio in Conc. Lateranensi Quarto, *c. 5. tr anslatiuè in d. cap. antiqua de priuil.*, ubi Papa confirmat quidem antiqua priuilegia, quod Constantinopolitana Sedes, post Romanam Ecclesiam primum locum obtineat, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolimitana quartum; conceditque, vt Patriarchæ vexillum Crucis ante se faciant vbique deferri, excepta Vrbe Roma, & ubicumque Summus Pontifex præsens extiterit, vel eius Legatus

15 vtens insignis Apostolicæ dignitatis, scilicet veste rubea, palafræno albo, fræno, & calcaribus deauratis. *Abb. in d. cap. antiqua n. 4.* Quæ olim Legatis de latere, trãseuntibus mare tantùm concedebantur. *Card. Iacob. de Conc. lib. 1. art. 1. num. 288.* Hodiè tamen sufficit, quod exeat territorium Ciuitatis, vbi Summus Pontifex residet, *Gambar. de offic. & pot. lega. de lat. lib. 1. nu. 4.* Quibus prærogatiuis gaudet etiam si sit Religiosus, licèt aliàs Religiosus Cardinalis, non vtatur, nisi vestibus suæ religio-

16 nis. *Alex. de Neu. in addit. ad Abb. l. cit.* Verùm eosdem Patriarchas adstringit recipere pallium à Romano Pontifice, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, & vt ipsi in datione pallii suis suffraganeis, ab eisdem professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ recipiant, saluis etiam appellationibus ad Apostolicam Sedem.

17 Pluripus gaudebant aliàs priuilegiis dicti Patriarchæ ad instar Papæ. Etenim Episcopos deponere poterant. *glos. in c. renouantes 22. dis. c. suspecti 3. q. 3. Card. in Clem. in plerisque in princ. num. 16. de elect.* Quod hodiè practicari non potest, præsertim post Conc. Trid. secundum cuius decreta, *sess. 13. de refor. c. 8. & sess. 24. cap. 5. de refor.* Papa solus Episcopos deponere potest. Incedebant etiam, & sedebant immediatè post Papam ante Cardinales. *Abb. in dicto cap. antiqua num. 6. post Hostien. & alios ibid.* & constat etiam ex actis Conc. Florentini sub Eugenio Papa Quarto, vbi hæc habentur. *Iosephus Sanctissimus Constantinopolitanus Patriarcha cum maiore parte suorum Pontificum, cimbis multis ornatissimisque, Venetiis Ferrariam aduenit. Cui quidem è cimba exeunti quatuor amplissimi Cardinales, necnon vigintiquinque Occidentalis Ecclesiæ Præsules obuiam ierc, ac ipsum equitem, mediumque inter duos amplissimos Cardinales magna etiam pompa*

18 *ad palatium comitati fuere.* Quod priuilegium pariter euanuit, & contrarium absque vlla controuersia seruari videmus, quia omnes Cardinales, tàm Episcopi, quàm Præsbyteri, & Diaconi, præcedunt omnes Patriarchas. Dignitasque Cardinalatus in dies crescit, & Patriarchatus decrescit, præsertim postquam dictæ quatuor Sedes Patriarchales in manibus Infidelium, & Hæreticorum deuenerunt, vt dicitur *in extrau. Sancta Romana Ecclesia vers. super hoc de elect.* Et si Patriarcha esset Cardinalis, non sederet, nisi in loco suæ promotionis ad Cardinalatum. *Campeg. de Consistor. cap. 12. num. 2. & seq.*

19 Licèt magna sit Patriarcharũ facultas, maiorem tamen habent Legati nati, quia Patriarchæ cognoscunt

gnoscere non possunt de causis suffraganeorum, nisi per appellationem, *cap. duo simul de offic. ordin.* At Legati nati adiri possunt à subditis suorum suffraganeorum per viam simplicis querelæ. *cap. 1. & ibi gloss. de offic. ordin.*

20 Vltra recensitos quatuor maiores Patriarchas, quos repræsentare quatuor Euangelistas in Ecclesia Dei, tenet *Gonzal. super reg. octaua Cancell. glos. 41. nu. 13.* & alii, citantes pro se *c. 40. de elect.* Quod tamen in textu meo non reperi, nisi fortasse contineatur in Epistola originali, quam mutilatam more suo transfert Fr. Raimundus *in d. cap. 40.* sunt etiam alii Patriarchæ non ità principales, nempè Toletanus, Aquileien, Bituricen, & Graden, de quibus *gloss. in cap. Cleros*, §. *Episcoporum ordo 31. dist.* Quibus adduntur Pisan, qui in suo titulo dicit, Sardiniæ, & Corsicæ Primas, & Legatus natus; Item Cantuarien; & alii, quos recenset *Barbos. de iur. Eccles. cap. 6. nu. 49. Gig. in tract. de resid. Episc. c. 10. nn. 10.* vbi quod Patriarcha Graden fuit extinctus, cum illa Ciuitas desolata esset, & eius loco creatus Patriarcha Venetiarum a Nicolao Quinto, asserentibus aliis ab Eugenio Quarto, quod videtur probabiliùs, quia fuit Patria Venetus. Adest etiam hodiè Patriarcha Indiarum, seù noui Mundi, quę dignitas à Paulo Tertio dicitur erecta; necnon Maronitarum Patriarcha, cui benedi-

21 xit Paulus Quintus in sua *Bulla 77. Bullar. nou. tom. 3.* quos quidem Patriarchas minus principales, seù minores, potiùs dicendos Primates, notat *Gregor. Lopez*, *& alii citati à Gonzal. super reg. oct. Cancell. glos. 41.* De ipsis enim verificatur adagium, quod inter Patriarchas, & Primates nulla intercedit differentia, nisi verbalis.

22 Cum igitur Patriarchæ sint ordinarij Archiepiscoporpm, sicuti Episcoporum Archiepiscop[i] & Archiepis. sint suffraganii Patriarcharum, sicuti Archiepisc. Episcopi. *cap pastoralis. de offic. ord. Abb. in cap. antiqua de priuil. n. 3.* Et sicuti certæ Diæceses deputatæ sunt Archiepiscopo in sua prouincia, & super omnes Episcopos illarum Diæcesum habet Archiepiscopus ordinariam iurisdictionem[!], *d. cap. Pastoralis*, ciuilem tamen, ità certæ Prouinciæ deputatæ sunt cuilibet Patriarchæ in quibus habet ius patriarchale, & ordinariam iurisdictionem super Archiepiscopos, vbi tamen hoc verificari potest, quia Patriarchæ Aquileien; & Venetiarum nullum Archiepiscopum habent sub se, sed primus quin decim Episcopos, & vnum Abbatem, & alter quinque Episcopos, prout recenset. *Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 7.* ac proinde metropolico iure potiùs, quam patriarchali gaudere videntur.

23 Si erigendus esset nouus Patriarchatus, quod rarò contingere solet, quatenus ageretur de regionibus nuper ad fidem conuersis, prout à Paulo Tertio dicitur erectus in Indiis, vel etiam in locis Catholicis ab antiquo, vbi tamen Archiepiscopi nulli unquam Patriarchę subiecti fuissent, docendum esset de sufficienti numero Archiepiscoporu m, qui saltem decem esse deberent, cum tot requirantur Ecclesiæ pro erigendo Archiepiscopatu, *c. scitote 6. q. 3. glos. fin. in c. si quis Episcopus 92. dist.* de congruenti dote, tàm pro Ecclesia, quàm pro ipso Patriarcha, Dignitatibus, Capitulo, & Ministris; Ciuitatem, in qua erigendus esset, tali dignitate, & honore, tàm quoad situm, amplitudinem, & pulcritudinem, quàm quoad Ciuium opulen-

tiam, nobilitatem, & splendorem, Cleri tàm Sæcularis, quàm regularis, numerũ, & decorem Ecclesiarum, & Templorum magnitudinem, & sumptuositatem fore capacem, respectiuè ad ea, quæ de erectione Ecclesiæ Episcopalis dicemus inferiùs, *sect. 3.* Si verò erigendus esset cum dismembratione ab aliis Patriarchatibus, vltra supradicta (nisi Papa procedendo de plenitudine potestatis derogaret regulæ de iure quæsito non tollendo) audiendi essent Patriarchæ à quibus dismembrarentur Archiepiscopi, seu etiam ipsi Archiepiscopi, eorumq; Capitula, quia fortasse durior redderetur conditio eorum, ob longitudinem, & difficultatem viarum, & itinerum in causis appellationum coram nouo Patriarcha; Et vniuersaliter audiendi essent omnes, quorum verteretur præiudicium, omniaque respectiuè reseruanda essent; quæ pro erectione nouarum Cathedraliũ dicemus inferiùs *Sect. 10. de dismembratione.*

24 Vtrum Capitulum Ecclesiæ Patriarchalis, Sede Patriarchali vacante, succedat in vniuersum ius patriarchale, sicuti vacante Sede Archiepiscopali, Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ succedit in vniuersum ius metropolicum, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis subintrat, Sede vacante in vniuersum ius Episcopale potestq; omnia facere, quæ sunt iurisdictionis, nisi expressè reperiantur prohibita, *gloss. & DD. in cap. his quæ, & in cap. cum olim, de mai. & obed. & in cap. cum illa ne Sede vacante, & in cap. ad abolendam de hæret. Abb. in d. cap. cum olim, circa fin. & alii citati à Barbos. de Canon. & dignit. cap. 42. n. 61.* Et dicendum videtur affirmatiuè, quia cum Ecclesia sit Patriarchalis, & Capitulum Patriarchale, non debet esse deterioris conditionis, quàm Capitulum Metropolitanum, & Episcopale. Circa quod non videtur insurgere aliqua difficultas.

25 Sed difficultas est; Vtrum Capitulum Ecclesiæ, cuius Episcopus est legatus natus, sicuti Archiepiscopus Cantuarien; de quo in *c. 1. de offic. lega.* Item Eboracen. in Anglia, *cap. de appellationibus, & cap. 1. vt lit. pend.* Bituricen in Aquitania, *cap. vlt. de maior. & obed. & cap. exposuit, de dilat.* & Rhemen. in Francia, *cap. per venerabilem, §. verum, qui filii sint legit. & cap. dilectus de fil. Præsbyter.* Sede vacante succedat, & subintret in ius Legati nati? Et videtur primafacie respondendum negatiuè, ex regula generali, quod Capitulum Sede vacante succedit tantum in ijs, quæ competunt Episcopo iure proprio, non autem iure alieno, hoc est in iurisdictione ordinaria, non autem delegata, prout ex *text. in cap. venerabilis de offic. ordin.* resoluunt *glos. verbo, Capituli, in clem. 1. de hæret. Feder. de sen. cõs. 30. vol. 1. Marant. in pract. dist. 5. n. 60. Abb. in d. cap. cũ olim sub nu. 2.* & alij, quos plena manu citat *Barbos. d. cap. 42. n. 104.* Est autem indubitati iuris, ea quæ competunt legato nato non esse iurisdictionis ordinariæ, sed delegatæ, per *text. ad litt. in cap. 1. de offic. lega. in fine ibi.* In Prouincia vices nostras gerere combrobatur.

26 Non videtur tamen malè sentire idem *Barbos. d. cap. 42. n. 107.* vbi cum *Molin. de iust. & iure tom. 6. tract. 5. disput. 11. n. 8.* distinguendum asserit circa casum, quo aliquid iurisdictionis in perpetuum committitur muneri Episcopali ex delegatione Sedis Apostolicæ, vt ex officio deinceps competat Episcopis; & casum, in quo id Episcopo sub nomine dignitatis, & consequenter etiam successori, a Summo Pontifice delegato ad aliquam

liquam peculiarem causam, vel negotium tantùm, iuxt. *text. in cap. quoniam Abb. de offic. de leg.* Hoc enim vltimo casu iurisdictio delegata, non transit in Capitulum, Sede vacante, iuxta regulam supra positam, in primo autem casu, videtur resoluendum pro Capitulo, quod succedat in huiusmodi iurisdictione in perpetuum Episcopali muneri delegata, nisi aliundè legitimè aliter colligatur ex mente delegantis. Et ratio est, quia supposita perpetuitate huius delegationis, per quam id adnectitur in perpetuum Episcopali muneri, non quidem principaliter in bonum Episcopi, nec tamquam eius priuilegium, sed in bonum eorum in quos, vel pro quibus illa iurisdictio taliter delegata exercetur, seù aliorum, & Ecclesiæ, consequitur eandem iurisdictionem censendam esse, vti accessoriam, imò partem totius iurisdictionis Episcopalis in communi, ac proindè, vti talem transituram in Capitulum, in quod, Sede vacante, transit tota iurisdictio Episcopalis. Quæ distinctio, nullatenùs videtur contemnenda.

SECTIO SECVNDA.

De Metropolitanis, & Archiepiscopis, & Metropolitanarum Ecclesiarum erectione.

SVMMARIVM.

Metropolis, quæ dicatur, num. 1.
Metropolitani vndè dicti, 2.
Metropolitani, quarè instituti, 3.
Archiepiscopi nomen, non reperitur in litteris Apostolicis, 4.
Archiepiscopi nomen, & Metropolitani idem sonat, & quando, 5. & 6.
Metropolitani facultates de iure, 7.
Metropolitanorum de iure facultates aboleuerunt, erecta sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, 8.
Metropolitanis à sacra Congregatione ligantur manus, 9.
Metropolitanis in causis appellationum impositus est modus, 10.
Decreta Sacræ Cõgregationis contra Metropolitanos, 10.
Metropolitanis, quando non liceat appellationes recipere, 11.
Metropolitanis, quæ hodiè facultates, remanserunt? 12.
Metropolitani extra Italiam consecrant Episcopos Comprouinciales, 13.
Quilibet electus Episcopus in Italia examinari debet coram Summo Pontifice, 14.
Metropolitani possunt conuocare Concilium Prouinciale, 15.
Metropolitani, in quibus causis sint Iudices suorum suffraganeorum, 16. & 18.
Metropolitani non possunt iudicare causas vertentes inter suos suffraganeos, 17.
Metropolitani ratione appellationum habent iurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum 19.
Metropolitani deputare possunt Vicarios Capitulares in Ecclesiis suffraganeorum post octo dies ab obitu Episcopi, 20.
Metropolitani visitare non possunt Prouinciam, nisi causa cognita in Concilio Prouinciali, 21.
Archiepiscoporum insignia, 22. & 23.
Pallium, quid sit? 24.
Archiepiscopus ante receptionem Pallii, quæ non possit? 25. & *seq.*
Archiepiscopus post acceptum pallium, quæ possit? 27.
Pallium est personale, 28.
Requisita ad creationem Archiepiscopatus, 29. & *seqq.*

1 METropolis in iure ciuili ea Ciuitas appellatur, quæ caput est Prouinciæ, *l. 4. §. ingressus de offic. procons. l. 6. de excus. tutor. & l. un.*

un. C. ut omnes iudic. Hinc in sacris Conciliis Metropolitani appellati fuerunt Episcopi, qui in dictis
2 Ciuitatibus Episcopatum gerebant, quorum primus fuit Episcopus Cęsareæ in Concilio Palestino de anno 198. Quorum fuit
3 ratio, vt vnus illorum aliquis de Collegarum sententia, quasi Magister Collegii haberetur, & ad eos de Ecclesiarum negotiis conferendi potestatem haberet, ità planè, vt neque illi sine hulus, neque hic sine illorum consensu, & auctoritate, grauius quidquam gereret, vti statutum fuerat in *can. 35. Apostolorum.* Item si creandus esset Episcopus, eo præsente, & actore crearetur, sin ipse creãdus esset, ab ipsa Synodo dumtaxat, si abdicandus, de communi totius Senatus sententia remoueretur cõuenit *Godof. ad l. 2. q. 5. C. de Episc. audien. & c. Cleros, §. ordo, verſ. Metropolitani 21. dist.*

4 Archiepiscopi nomen in Apostolicis litteris, non extare, quemadmodum nec Hypodiaconi, nec Archidiaconi, notat, nominum, verborum, clausularum, & dictionum subtilis indagator *Ioannes Caluinus in suo lex. iur. eod. verbo.* Extare tamen in Pontificum, & Ecclesiasticorum libris, necnõ apud Imperat. in *l. iubemus, in princ. C. de Sacros. Eccles. l. 25. §. 2. C. de Episcop. & Cler. & in l. 13. C. de Episc. aud.*

5 Hodiè tamẽ Archiepiscopi nomen, & Metropolitani sonat idem, ad tradita per *Quaran. in Summ. Bullar. Verbo Archiepiscopi auctoritas in princ.* Quod verificari quidem potest in iis Archiepiscopis, quibus aliqui suffraganei sũt subiecti, non tamen si absque suf-
6 fraganeis existant, (uti Rossanen, & Lancian.), quia sunt quidem Archiepiscopi, & gaudent Archiepiscopalibus insigniis, de latione Crucis, & vsu Pallii, nõ autem Metropolico iure, cum subditos non habeant, in quos illud exercere valeant. *Quarant. l. cit.* Habet enim locum axioma Philosophi, frustra calceamẽtum hoc dicimus, cuius nulla est calceatio.

7 Porrò Archiepiscoporũ gaudentium metropolico iure plures enumerantur de iure facultates in personas, & Diæceses suffraganeorum, quas ad quadraginta capita extendit: *Quaran. dicto verbo, Archiepiscopi auctoritas, atque ex eo iisdem ferè verbis, nonnullis additis auctoritatibus, Barbos. de offic. & potest. Episc. p. p. tit. 4.* Diffusiùs verò, ac diuersa methodo *in tract. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 3.*

8 Quæ tamen facultates Metropolitanorum in suffraganeos, eorũq; Diæceses, maiori ex parte iã aboleuerunt, & in desuetudinem abierunt; erecta præsertim Congregatione S. R. E. Cardinalium pro consultationibus Episcoporum, aliorumque Prælatorum, quæ est duodecima in ordine in Bulla 74. Sixti Papæ Quinti, institutionis quindecim Congregationum, in quã deputantur Cardinales. *Quorum sit facultas, vt Patriarcharum, Primatum, Archiep scoporum, & Ordinariorum quorumcumque petitiones audiant, propositisque difficultatibus, quæstionibus, & controuersiis, aliisque, super quibus consulti fuerint, etiam per literas sedulò, humaniterque respondeant, dubia, rationes, & causas Ecclesiarum, earumque dignitatis, iurisdictionis, exemptionis, immunitatis, iurium, priuilegiorum, & laudabilium consuetudinum conseruationem continentes, summariè cognoscant. Causas item inter eosdem*
9 *Prælatos de iurisdictione, aliaue de causa exortas examinent, atque amicabiliter desuper transigere curent.* Cuius quidem constitutionis vigore per recursum ad eandem Sacram Congregationem, & obtento rescripto, *Pro informatione, & interim*

nihil

Digitized by Google

nihil innouari, remanent Metropolitanis ligatæ manus, nihilque aliud possunt in suffraganeos, eorumque diœceses, quam quod ipsa Sacra Congregatio partibus auditis, rescripserit. Ac proindè eorũ facultates hodiè ad pau-
10 cas reducuntur, firmis tamen remanentibus in causis appellationum; in quibus impositus est etiã modus, & forma, prout ex decretis eiusdem Sacræ Congregationis, emanatis anno 1600. & toties repetitis, in quibus statuitur.

1 *Vt Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ in suffraganeos, eorumque subditos, non iudicent, nisi in casibus in iure expressis.*

2 *Iidem, nec alii Superiores, etiam Nuncii, vel Legati de latere, specificam facultatem maiorem non habẽtes, causas in Curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Iudicum pendentes, ad se non aduocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur, tumque appellantes ab inferiorũ iurisdictionibus quoad alias causas eximere non possint.*

3 *Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, priùs constiterit, appellationem à definitiua sententia, vel habente vim definitiuæ, aut à grauamine, quod per definitiuam sententiá reparari non possit, in casibus à iure non prohibitis per legitimam personá, & intra legitima tempora fuisse interpositam, ac præsentatam.*

4 *Nec, dùm causæ coram inferioribus Iudicibus pendent, ante definitiuá sententiam, vel vim definitiuæ habentem, de grauamine illato superiores cognoscere valeant, licèt citra præiudicium cursus causarum, se id facere cõtestentur, nec ad hunc finem, & effectũ liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, vt ipsis copiæ processus trãsmittantur, etiam expensis appellantis.*

5 *Inhibitiones post appellationem, sic vt permittitur receptam, non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti definitiui, aut vim definitiui habentis, vel damnum per definitiuam irreparabile continentis, alias inhibitiones, & processus, & indè secuta quæcumque, sint ipso iure nulla, eisque impunè non parere liceat.*

6 *Si appellans asserat, sententiæ, aut appellationis exemplum, culpa Iudicis, à quo, vel actuarii habere non posse, non ideò recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantùm, ad quos pertinet, iniungi poterit, vt soluta condigna mercede actorum, exemplum authẽticum appellanti intra aliquem breuem terminum competentem tradatur. Caueat tamen Iudex à quo, nè si verè appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet, & si per actum publicum, aut per Testium depositiones cõstiterit, acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit Iudex appellationis adiicere, vt interim aliquid contra appellantem non attentetur.*

7 *Ab executione decretorum Sacri Concilii Tridentini, aut visitationis Apostolicæ, appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec si Episcopi virtute eiusdem Sacri Concilii procedunt, vt Sedis Apostolicæ Delegati in causis, quæ sub eorum iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salua tamen in hoc casu Legatorum, & Nũciorum auctoritate.*

8 *In causis verò Visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum deuolutiuum tantum admittãtur, nisi de grauamine per definitiuam irreparabile agatur, vel cum Visitator citata parte, & adhibita causæ cognitione procedit, tunc enim appellationi locus erit quoad effectum suspensiuum.*

9 *Cum à grauamine, quod per definitiuá reparari nequit, vt indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis, etiam cõminatæ appellatur, non nisi visis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine appellatio, non admittatur, aut inhibitio, vel prouisio aliqua concedatur.* 10 *Cau-*

Digitized by Google

10 *Causa appellationis pendente appellans, in quo reperitur carcere permanebit, quoad Iudex, ad quem appellatum erit, visis actis, & causa cognita, aliter decreuerit, & tunc si à Iudicis, ad quem decreto, vim definitiuæ habente fuerit appellatum, nihil mãdare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per Iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum.*

11 *Acta originalia processuum primæ instantiæ ad Iudicem appellationis Notarius mittere nõ cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa, & suspicio incidat, quæ iudicialiter obiiciatur, & tunc terminata causa, remittẽda sunt ad Ordinarium, vt in suo Archiuio conseruentur.*

12 *Censura Ecclesiastica, in appellantem prolata, relaxari, aut nulla declarari per Iudicem appellationis nõ possit, nisi auditis partibus, & causa cognita, tuncque si constiterit, eam iustam esse ad Iudicem, qui excommunicauit, appellans remittendus est, & ab ipso iuxta sacros Canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit obtineat. Si verò iniustam esse clarè appareat, superior absolutionem impendat. Si dubitetur, honestius erit, vt ad excõmunicatorem intra breuem terminum, eidem præfigendum, absoluendus remittatur, licèt etiam superior hoc casu id ipsum per se præstare iure possit.*

13 *Absolutio ad cautelam, non nisi parte citata, & visis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel à iure, si occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris, concedenda erit; tuncque ad tempus breue, & cum reincidentia, & præstita per excommunicatum cautione de stando iuri, & parendo mandatis Ecclesiæ tantùm, & si iuxtà formam à iure præscriptam apparebit, quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare; & si ob contumaciam manifestam, expensas pariter satisfacere, & cauere de iudicio sisti coram excommunicatore quis tenebitur, priusquam ad cautelam absoluatur.*

14 *A sententia etiam definita, contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quæuis prouisio, quandiù appellãs in huiusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.*

11 Sunt etiam plerique casus, in quibus non licet Metropolitanis, recipere appellationes à sententiis, & decretis suffraganeorum, veluti in materia obseruationis festorum. *Sacr. Congr. Episcoporum 11. Ianuarii* 1622. In materia immunitatis Ecclesiasticæ, *ead. Sacr. Congr. 23. Septembris* 1624. Item à cominatione Episcopi facta contra incurrẽtes excommunicationem, & alias Ecclesiasticas censuras à iure latas, ad dicendum causam, quarè non debeant declarare incidisse; *Sacr. Cong. Concilii 17. Martii.* 1619. & pluries Sacra Congregatio Episcoporum apud *Delbene in addition. ad 2. part. de immunitate Eccles. verbo appellatio.*

12 Vltra admissiones, & cognitiones causarum appellationum, vt supra plures allæ facultates remanserunt Metropolitanis, quæ hodiè pariter in viridi sunt obser-
13 uantia. Et primò quidem extra Italiam ad ipsos spectat (nisi hoc committatur Nunciis Apostolicis) consecrare Episcopos suffraganeos Comprouinciales, *cap. qui in aliquo in fin. 51. dis. & c. si Archiepiscopus, cum seq. de temp. ordin. Q.*
14 *rant. l. cit. n. 4.* In Italia enim quilibet electus in Episcopum, accedere debet ad Vrbem, examinari coram Summo Pontifice, ibique consecrari iuxtà dispositionem
15 Apostolicarum constitutionum, prout inconcusse obseruatur. Cõgregare possunt Concilium Prouinciale, & suffraganeos, quatenus non sint legitimè impediti, ad
16 personaliter accedendum. *Quarant. l. cit. vers. decimaquinta auctoritas.*

Digitized by Google

tas. Sunt Iudices ordinarii ſuorum ſuffraganeorũ, *c. quia cognouimus 10.q.3. cap.Paſtoralis,in princ. vbi Abb. de offic.ordin.* Videlicèt in ciuilibus, quia in criminalibus obſtat Concilii Tridentinum, *ſeſſ. 24.de reform.cap.5.& ſeſſ.13.ca.6.&* 7. Sicuti non poſſunt cognoſcere
17 cauſas vertentes inter ipſos Epiſcopos ſuffraganeos: *Sacra Congregatio Epiſcop. 31. Maii 1588.* quam ex Aldano refert, *Barboſ. in Summ.*
18 *Apoſt.deciſ. verbo Archiepiſcopus n.* 12. Sed tãtùm ſi aliquis Epiſcopus cõuenitur ciuiliter actione perſonali, aut reali, vel ratione rei ſitæ in Diæceſi, aut Prouincia. *Quaran. l.cit.n.* 10. vbi quod poteſt Epiſcopus conueniri à ſubdito, etiã abſq; petitione veniæ; *Abb.in cap.legebãtur,ſub nu. 3. de maior. & obed.* Ra-
19 tione appellationum habent iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, tàm in appellantes, quàm in appellatos, & alios, qui ſe ſpõtè offerunt liti, ſuper qua vertitur quæſtio, *cap.Romana, §.in aliam,& ibi Gemin.& Frãc.de appell.in 6.Qua-*
20 *ran.l. cit.* Poſſunt deputare Vicarios, & Officiales in Eccleſiis ſuffraganeis, ſi infra octo dies poſt mortem Epiſcopi Capitulum nõ prouiderit, iuxtà decretum Sacri
21 Concilii Tridẽtini *ſeſſ. 24.de refor. cap.18.* ſicuti aliàs poterant liberè, nunc verò non poſſunt inchoare viſitationem Diæceſum ſuffraganeorum, niſi cauſa cognita, & approbata in Concilio Prouinciali. *Trident.d.ſeſſ.24. de refor.cap.3. Quaran.l.cit. verſ. Trigeſima tertia authoritas.*

22 Inſignia ſpecialia Archiepiſcoporum, quæ tùm authoritatem, tùm etiam ſuper cæteros Epiſcopos dignitatem quandam oſtendunt, ſunt, delatio Dominicę Crucis ante ſe per totam Prouinciã, etiam in locis exemptis. *cap. antiqua, de priuil. Clem. Archiepiſcopus, eod.tit. Quaran.d. verbo Archiepiſcopi authoritas, verſ.18.* vbi ampliat, etiam extra viſitationem; limitat verò, niſi præſens eſſet Legatus Papæ, ſeù Cardinalis non Legatus, vel Nuncius cum facultate Legati de latere. Quod intelligendum eſt poſt acceptum palliũ, non antea. *Barboſ.de iur. Eccleſ. lib. 1.cap.7.num.126.*

25 Et uſus Pallii, quod eſt ſpeciale Patriarcharum, Primatum, & Archiepiſcoporum ornamẽtum, licèt aliquibus Epiſcopis ex ſpeciali priuilegio concedatur, videlicèt Oſtienſi Sacri Cardinalium Collegii Decano, qui Papam cõſecrat, Papienſi in Lombardia, Lucenſi in Tuſcia, Bambergenſi in Germania, Quinque Eccleſienſi in Vngaria, vt referunt Doctores citati à *Barboſ.d.cap.7.n.103.*

24 Eſt autem Pallium, ſeù palleum, zona quædam, ſeù faſcia de lana virgine contexta, albi, ſeù pallidi coloris, rotunda, ſeù circularis, quæ clauditur ad collum ad modum cinguli circa brachia, quatuor habens nigras Cruces, primam ante pectus, ſecũdam ſuper brachio ſiniſtro, tertiam retro, quartam ſuper brachio dextro, de quarum ſignificatione videatur apud *Abb.in rubr.tit.de auth. & uſu Pallii*, ubi plures refert diuerſorum opiniones. Firmatur autem tribus acubus ſuper planetã, itaut non deſcendat de brachiis.

25 Ante cuius Pallii receptionem, quod ſignificat plenitudinem poteſtatis, non poteſt Archiepiſcopus ea munia obire, quæ pertinẽt ad poteſtatem ordinis, vel iuriſ-
26 dictionis. Ex quo ſequitur non ſe poſſe nominare Archiepiſcopum, neque Concilium conuocare, Chriſma conficere, baſilicas dedicare, Clericos ordinare, Epiſcopos conſecrare, vel alia pontificalia exercere, quamuis aliàs conſecratus eſſet Epiſcopus, ſicuti neque cætera officii ſui munia

Digitized by Google

persoluere, quia non tanquam simplex Episcopus, sed vti Archiepiscopus facere videretur, *cap. quod sicut, §. penult. in fin. de elect. Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 7. num. 112.*

27 Post verò acceptum Pallium, potest Archiepiscopus eo vti intra quamlibet Eccclesiã suæ Prouinciæ, etiam in locis exemptis. *cap. 1. de aust. & vsu pall. glos. in Clem. Archiepisc. de priuil. Abb. in d. cap. 1.* etiam extra visitationem. *Quaran. in Summ. Bullar. verb. Archiepiscopi authoritas; vers. notandum, quod licet.*

28 Et quia Pallium est personale, non potest accommodari, neque in morte alicui relinqui, sed cum Archiepiscopus sepeliri debet; Et ad aliam Ecclesiam Archiepiscopalem translatus, nõ potest vti pallio prioris Ecclesiæ, sed indiget nouo pallio. Quod si renunciauit Archiepiscopatui, exercẽs Pontificalia, tam in olim Prouincia, quàm alibi, non potest vti pallio, etiam Episcopo permittente. Quæ omnia, & alia iura videri poterunt in *cap. 1. & tot. tit. vbi Abb. & omnes Doctores de auth. & vsu Pallii. Quaranta, & Barbos. locis supracitatis.*

29 Attentis igitur tot facultatibus Archiepiscoporum in Diœcesibus suffraganeorum, si erigendus esset nouus Archiepiscopatus, quatenùs in locis nuper ad Catholicam Fidem conuersis, vel etiam Catholicis ab antiquo, sed liberis, & exemptis, nulliq; Metropolitano suffragantibus, cum nullius læderetur ius, sufficeret quidem, post assignationem dotis, pro ipsa Ecclesia, Archiepiscopo, Dignitatibus, Capitulo, & Ministris, proportionaliter ad ea, quæ dicemus inferius de erectione Ecclesiæ Cathedralis, *sect. 3.*, docere de insignitate Ciuitatis, nobilitate Ciuium, structura Ecclesiæ, numero, & dignitate Capituli, & Capitularium, deque multitudine Cleri, tàm secularis, quã regularis, ac de omnibus aliis, quæ ipsam Ecclesiam dignam redderent, vt in Archiepiscopalem, & Metropolitanam erigeretur. Et quod assignarentur saltem decem, aut vndecim Episcopi suffraganei. *c. scitote 6. q. 3. gloss. fin. in c. si quis Episcopus 92. dist.*

30 Si autem erigendus esset nouus Archiepiscopatus cum iure Metropolico, & dismembratione ab aliis Archiepiscopatibus ad instantiam supplicantium pro dismembratione, & erectione, procedendum esset seruatis seruandis; Et vltra supradicta, citandi essent ii omnes, quorum læderetur ius, neque deueniendum ad dismembrationem sine ipsorum cõsensu. Sicuti obseruatum fuit sub Pontificatu Gregorii XV. in dismembratione Ecclesiarum, Parisiensis in Archiepiscopalem erectæ, Carnotensis, Aurelianensis, & Meldensis ab Archiepiscopatu Senonensi, cuius erant suffraganeæ, & Parisiensi attributæ; Auditus enim fuit Archiepiscopus Senonensis, qui dismembrationi, pro qua instabat Galliarum Rex, consentire noluit, nisi ab ipso Rege data sibi, & pro successoribus suis Abbatia Sancti Martini. Verum de hac materia, clarius infra, vbi de dismembratione, *sect. 10.*

31 Quod si Papa procederet motu proprio, ac de potestatis plenitudine cum derogatione regulæ de iure quæsito non tollendo, crederem vindicaturam sibi locum, *l. quod Principi placet, ff. de cõstit. Princ.* Ità Pius Secundus rationabilibus de causis animum suum mouentibus, ac de plenitudine potestatis, Senensem Ecclesiam, de qua Ciuitate ipse fuerat oriundus, in Metropolitanam erexit, eidemq; Suanensem, Clusinam, & Grossetaten-

Digitized by Google

tanam Ecclesias, quæ priùs ad Romanam Prouinciam pertinebant, sicuti, & ipsa Senensis, & Massanen; quæ ad Pisanam, suffraganeas constituit, vt in Constitutione, 3. *Bullar. nou. tom.* 1. Sic etiã Gregorius XIII. ad decorandam patriam suã, Bononiensem Ecclesiam de plenitudine potestatis in Archiepiscopalem erexit, eidemque suffraganeas constituit Placentinam, Parmensem, Regiensẽ, Mutinensem, Imolensem, Ceruiẽsem, & Cremensem Ecclesias, à Metropolitanis Mediolanensi, & Rauennatensi dismembratas, cũ derogatione dictæ regulæ, De iure quæsito non tollendo, prout videre est ex eius constitutione 29. Bullar. *nou. tom.* 2. Quæ tamen Imolen, & Ceruien. Archiepiscopo Rauennatensi restitutæ fuerũt à Clemente VIII. in eius Constitutione 116. *Bullar. nou. tom.* 3. Ità pariter Sixtus Quintus ad decorandam Firmanam Ecclesiam, cui dũ Cardinalatus fungeretur honore, laudabiliter prẽfuerat, illam in Metropolitanam erexit, eidemque Maceratensem, quæ prius nulli suffragabatur, Tolentinam, Montis-alti, & Sancti Seuerini Ecclesias à se priùs in Cathedrales erectas, suffraganeas assignauit, prout ex eius Constitutione 95. *Bull. tom.* 2.

SECTIO TERTIA.

De Cathedralibus Ecclesiis, & Cathedralium Ecclesiarum Erectione.

SUMMARIUM.

Cathedralis Ecclesia, vndè dicta; n. 1.
Cathedræ nomine quid intelligatur, 2.
Cathedralis nomine in materia odiosa, non venit Metropolitana, 3.
Illegitimus dispensatus ad Episcopatum, non censetur dispensatus ad Archiepiscopatum, 4.
Illegitimus dispensatus ad beneficia in Cathedrali, non censetur dispensatus in Metropolitana, 5
Ecclesiæ nomine venit Cathedralis, 6.
Ecclesia Cathedralis intitulanda est sub nomine Diœcesis, 7.
Cathedralium noua erectio tripliciter cõtingere potest. 8.
Ecclesiæ in Indiis erectæ, 9. *& seq.*
Oppidum Laureti erectum in Ciuitatem à Sixto Quinto, 11.
Ecclesia non est erigenda sine dote, 12.
Erectio Cathedralis in locis exemptis, 13.
Erectio nouæ Ecclesiæ, vbi Episcopus habet aliquod ius, 14.
Erectio nouæ Cathedralis ad Incolarum instantiam, 15.
Erectio nouæ Cathedralis, contradicente Episcopo, vel Capitulo, 16.
Mutatio status Ecclesiæ de Seculari in Regularem, & è contra, 17.
Episcopus, an possit mutare statum Ecclesiæ de Seculari in Regularem, 18.
Vsufructuario inuito, non potest proprietarius mutare statum rei, 19.
Princeps, & Respublica possunt ex causa rem Domino auferre, 20.
Officialis ex causa potest alteri rem auferre, 21.
Mutatio status Ecclesiæ de regulari in secularem, 22.
Episcopo non licet hodiè mutare statum Ecclesiæ, 23.
Mutatio status Ecclesiæ de seculari in Regularem, nunquam concedenda, 24.
Episcopo Ecclesiæ Regularis, quæ competant in Monachos, 25. *& seq.*
Delicta Regularium, sunt in duplici differentia, 26.
Controuersiæ inter Episcopum Ecclesiæ regularis, & Abbatem, 27.
Episcopo, qui sit etiam Abbas, competit omnimoda iurisdictio in Monachos, 28.

1 CAthedralis Ecclesia dicitur ob honorem Cathedræ Episco

scopalis, quia ibi Sedes,& Episcopalis Cathedra sita est. *Rebuff. in concord.tit.de collationibus,§.1.verbo Cathedralis,* & quia penes ipsam est Cathedra,in qua Magistrorũ magna dignitas designatur,vt exHieronymo notat *Tosta sup. Matth. c.1. q.70.* asserẽs, Cathedrã propriè accipi pro sede Doctoris,ac Prælati, prout etiam in Cathedra Petri Romana Ecclesia designatur ex traditis per *Io:Scoran.contra hæreticos, interrog.4. de Primatu Petri, & Ecclesiæ Romanæ, Isidor. Moscon. de Maiest.milit. Eccles. lib.1. cap. 15. in princ. Ioann.à Cochier.in schol.ad primar. preces princ. littera E. verbo in singulis Catbedralibus.*

3 Porrò in materia odiosa Cathedralis appellatione, nõ venit Metropolitana, *Ioann.à Coch. loco cit. super verbo,in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, paulò post init.*

4 Hinc si illegitimus dispensaretur à Papa ad Episcopatum, non censeretur dispensatus ad Archiepiscopatum, *Maiol. de irregular. lib.1. cap.9 num.6. Sair. de censur.lib.1.cap. 11.num.29.* Quos citat, & sequitur *Santarell.var.respons.p.1. q.38. n.16.*

5 *Barbos.in tract.var.appellat.43. nu.3.* Sicuti pariter illegitimus dispensatus, vt possit etiam obtinere beneficia in Cathedrali, nõ posset in Metropolitana iuxtà Doctores citatos à *Barbos.d.appellat.43. n.2.*

6 Nomine Ecclesiæ,sine ulteriori expressione alicuius Sancti, apud juris Interpretes,tamquam antonomasticè sumptæ, intelligitur Ecclesia Cathedralis iuxtà stylum antiquum Romanæ Curiæ *Monach. in cap.quamuis num.5.post gloss. ibid.in verbo, non extendit,de præben. in 6.vbi Gemin.§.fin.num.10.post med. Abb. in cap. cum super num.6. de Sepult. Mandos.super regul. 26. Cancell. q.3.num.5.& 6. in fin.vers.Romæ autem Franc. Marc. decis. 1123. num.5.*

7 *vol.1.* vbi quod Ecclesia Cathedralis intitulanda sub nomine Diæcesis, non autem Sancti. *Rota in Cæsaraugustana Cathedralis coram Coccino Decano,decis.353.p.1. recent.*

8 Noua Cathedralium erectio, prout diximus sup.de Patriarchalibus,& Metropolitanis Ecclesiis, tripliciter contingere potest, vel scilicèt in locis nuper ad Catholicam Fidem conuersis. *c.1. de verb. signific. in 6.* Prout in Indiis refert *Ioann. Solorzan.de iur. Indiar.tom.2. lib.3.cap.4. num.6.* erectas fuisse sex Metropolitanas; iisdemque adiectas triginta duas, quas nominat; suffraganeas Ecclesias, quæ ducentum Dignitates, tercentum, & octoginta Canonicatus habere comperiuntur, totidemque Portionarios, ac plures Capellanos, Parochias, Beneficiarios, & Ministros, cum aliis minoribus Ecclesiis, quæ septuaginta millium numerum excedere dicuntur.

10 Aut in locis Catholicis ab antiquo, sed nullius Diæcesis,exẽptis, & nullius Episcopatus iura tangendo, prout Sixtus Quintus in Ciuitatem erexit insignissimũ

11 Oppidum Laureti, eiusque Ecclesiam Collegiatam, & exemptam, in Cathedralem, vt in eius *Constitutione 24. Bullar. nou. tom. 2.* Vel ab aliis Cathedralibus dismẽbrando; de qua dismembratione, dicemus inferius *sect. 10.*

12 In quolibet tamen casu nunquam erigenda est Ecclesia in Cathedralem, nisi sit eidem assignata dos, tàm pro mensa Episcopali, quàm Capitulari, pro luminibus, Cantoribus, Ministris, ac manutentione Fabricæ Ecclesiæ, Sacristiæ, & paramentorum, tàm pro Missis, & Diuinis Officiis celebrandis, quàm pro Pontificalibus exercendis,per *text.& scriben. in cap. sicut de consecr.Eccl.vel alt. & cap.nemo,de consecr.di.1.* de qua quidem dote dicemus infra, *sect.seq.*

13 Si erigatur noua Cathedralis Ecclesia in loco nullius Diæcesis,

&

Digitized by Google

& totaliter exempto in quo nullum ius habet Episcopus vicinior, vel alius, vltra supradicta, requiritur tantùm pro sufficienti causa, Christi fidelium deuotionis augmentum, vt in *d. const.* 24. Sixti Quinti; & habetur in *cap. ex parte, de constit. Rebuff. in praxi benefic. tit. de erect. Ecclesiæ.*

14 Quod si Episcopus vicinior haberet aliquod ius, requireretur eius cõsensus per *regul. id quod nostrum, ff. de reg. iur.* Hac enim de causa insigne Oppidum Altamuræ, quater; seù quinquies proposita causa in Sacr. rerum Consistorialium Congregatione, nunquam obtinere potuit erectionem Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem, obstante Episcopo Grauinæ, cuius læderetur ius honorificum, visitandi, &c.

15 Si etiam erigenda sit noua Cathedralis, ad instantiam, & petitionem Incolarum loci, in Ciuitatem erigendi, non contradicente Episcopo, vel Capitulo Cathedralis, à qua dismembrandus esset locus in Ciuitatem erigendus, sufficit docere de insignitate loci, iuxta *text. in cap. Episcop.* 80. *dist.* dotis assignatione, vt supra, & diuini cultus incremento, vt constat ex Bulla creationis Oppidi Sancti Seuerini, tunc Camerinen. Diæcesis, in Ciuitatem, quæ est eiusdem Sixti Quinti 49. *in ordine Bullar. nou. tom. 2.*

16 Parte verò contradicente, scilicèt Episcopo, vel Capitulo illius Cathedralis, à cuius Diæcesi dismembrandus esset locus, in Ciuitatem erigendus, itaut seruatis seruandis esset procedendum, per instantes vltra supradicta, docendum esset de amplitudine Diæcesis dismembrandæ, cui vnus non sufficeret Episcopus, de vtilitate Populi, & difficultate recursus ad Curiam Episcopalem, prout clariùs explicabimus inferiùs, *sect.* 10. & habetur in *cap. præcipimus* 16. *q.* 1. *extrau. Sedes Apostolica, Ioann.* 22. *de conces. præben. extrau. Sedes Apostolica, de offic. deleg. inter commun. & extrau. Saluator, de præben. inter commun.* vbi pro motiuo diuidendi Tolosanam Ecclesiam in quatuor Episcopatus, vltra supradicta, adducitur immensitas redditum, quibus abundabat prædicta Ecclesia, iisque abuteretur Episcopus.

CORROLARIVM Primum.

17 VLtra nouas Cathedralium erectiones in casibus supra recensitis, contingit aliquando mutari statum Ecclesiæ, scilicèt de seculari in regularem, vel è contra de regulari in secularem. *Rebuff. in prax. benefic. tit. de erect. Eccles. in Cathed. nu.* 8. *&* 9. vbi quod de iure facilè fieri potest, vt secularis Ecclesia in regularem conuertatur, *cap. ad audientiam, 2. de Eccles. ædific. & cap. ad Apostolicæ de*
18 *donat.* & quidem sola Episcopi authoritate, etiam inuitis Canonicis secularibus, dummodò ipsis prouideatur aliundè, quoad vixerint, iuxtà mentem *Petri de Perus. in tract. de mutat. Stat. Eccles.* Quod tamen videtur contra mentem,
19 *glos. in cap. possessiones de reb. Eccles. non alien.* Quia inuito vsufructuario, non potest proprietarius deteriorem causam eius facere, etiã in meliorem statum commutando, *l. vlt. ff. de usu, & habit. & text. in l. id, quod nostrum, vbi Dec. de reg. iur.*
20 qui nihilominùs, *nu.* 3. id limitat ex causa, quia videlicèt Princeps, & Respublica possunt ex causa rem meam mihi auferre. Latissimè *Ias. in l. Barbarius, de offic. Præsid. col.* 6. *vers. circa duas vltimas causas, l. item verberatum* 51. *vbi Bar. de rei vindic. l. Lucius, ff. de excus. & notatur in l. Antiochesium, ff. de priuil. credit.*

Quin

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

21 Quinimò etiam Officialis ex causa hoc potest, *l.fin.§.Titius, vbi Bart. de pignor.act.* Quod intelligendum est, dummodò pretium soluat, *l. serui, & ibi Bart. C.pro qui.caus.liber. accip.glos.in l.si locus, §.fin. ff.quemad. seruit.amitt. Archid.in cap.per principalem* 11.*q.*3.

22 De conuersione autem regularis Ecclesiæ in secularem, aliter dicendum, cum sine Papæ beneplacito id fieri non possit, *text.in cap.qui semel.*11.*q.*3.*& cap.inter quatuor, de relig. domibus*, vbi quod locus religiosus reformari non debet de secularibus, nisi in regularium defectum, quod explicat, *ibid. Abb.* vt priùs reformetur locus de regularibus eiusdem Monasterii, in eorum defectum, de regularibus alterius Monasterii, sed eiusdem ordinis, tertiò deueniendum est ad regulares alterius ordinis, & postremò in defectum omnium Regularium, posse institui Clericos seculares.

23 Subdit nihilominùs idem *Rebuff.l.cit.num.*11. quod hodiè non licet Episcopo quomodolibet mutare statum Ecclesiarum sine auctoritate Papæ, quod obtinet etiã accedente consensu Capituli, cũ hoc sapiat alienationem; præsertim attenta constitutione Vrbani Octaui, quæ incipit; Romanus Pontifex, sub dat.die 5.Iunii 1641.

24 Porrò quoad conuersionem Cathedralis Ecclesiæ secularis in regularem, nunquam crederem concedendam, ob euitandas lites, dissentiones, & scandala, quæ de facili possent occurrere. Cùm enim Episcopus, etiam secularis, dicatur immediatè præesse Monachis, licèt Abbas, & Prior imponere possint, & debeant regulares disciplinas, attamen Episcopus potest, & debet illa, quæ maiorem exigunt animaduersionem, punire; Ac propterea Episcopus Ca-

25 thedralis Ecclesiæ regularis, exceptis his, quæ regularia concernunt instituta, omnimodam iurisdictionem habet in Monachos eiusdem Ecclesiæ regularis, *cap.*1. *nè Sed.vac.glos.in fin.cap.nullus vers. & Episcopus etiam secularis, de elect. Grat.discept. forens. cap.*220. *num.*4. *Barbos.de dignit.& can.cap.*1.*num.*12. *Rota dec.*69.*p.*1. *recent.* quam regi-

26 strabimus inferiùs. Et quia ex Regularium delictis, aliqua dicuntur propria, & contra regulam, & quæ contra regulã, quandoque dicuntur communia, quia communem conuersationem lædunt, & contra iuris dispositionem, *Rota decis.*15. *p.*1. *recent.* de

27 facili possent oriri controuersiæ inter Episcopum, & Abbatem, prætendente Abbate, corrigere Monachum secundum regularia instituta, & prætendente Episcopo, illum puniri iuxtà iuris dispositionem, ex quo plura scandala possent emergere, cum integritatis obseruantiæ regularis detrimento; nisi tamen Episcopus cõstitueretur loco Abbatis, itaut nullus alius superior extaret, qui Monasterii caput esset, sed ex ipso Conuentu, & Episcopo constitueretur vnum corpus, iuxtà doctrinã *Lotter.de re.benef.lib.*1.*q.*18. *nu.*6.

28 Exindè deducens, Episcopo tunc competere omnimodam iurisdictionem in Canonicos Regulares suæ Cathedralis, Episcopali, & Abbatiali simul vnitis potent iis, in his, quæ ad regulam pertinent, vtendo Vicaria potestate alicuius Monachi, tamquam ii sdem meliùs versati, vt per *Ioann. Andr. & Gemin.in d. cap.nullus de elect.*

Digitized by Google

Reuerend. P. D. Coccino Decano Montis Regalis Iurisdictionis Lunæ 8. Martii 1604.

SVMMARIVM.

Episcopus est caput loco Abbatis Monachorum regularium Ecclesiæ Cathedralis, num. 1.

Episcopus exceptis his, quæ concernunt regularia instituta, habet omnimodam iurisdictionem in Monachos Regulares Cathedralis Ecclesiæ, nu. 2. & seq.

Verba, prout sunt, important causam, & non conditionem, quando sunt prolata ab habente potestatem disponendi, 3.

Exceptio firmat regulam in casibus expressè non exceptis, 4.

Dictio, vel, est ampliatiua præcedentis dispositionis, 5.

Statutorum verba dubia recipiunt interpretationem à iure communi, 6.

Episcopus habet iurisdictionem etiam in Monachos Regulares Sancti Benedicti, quando eorum Ecclesia est Cathedralis, & etiam quod procedatur in forma iudicii, 6.

Vnio Ecclesiarum censetur facta sine præiudicio tertii. 7.

Tertii præiudicium, censetur reseruatum per clausulam, sine præiudicio. 8.

Mensa separata Monachorum, non impedit Episcopum, 9.

Dispositio Cõcilii Trid. sess. 21. cap. 8. qualiter intelligenda, 10.

1 DVbitaui, An, & qualem iurisdictionem habeat Reuerendiss. D. Archiepiscopus in Monachos Monasterii Montis Regalis, tàm in Ecclesia, & Monasterio, quàm extra. Et Domini vnanimiter censuerunt, omnimodam illum habere iurisdictionem, & in omnibus, exceptis iis, quæ concernunt regularia instituta. Verba enim Bullæ Pauli III. visa fuerunt satis clara in §. *declarant etiã*, vbi dicitur, quod Archiepiscopus est caput ipsorum Monachorum, declarando illorum exemptionẽ à visitatione, & correctione Archiepiscopi, quoad regularia instituta tantùm, & non quoad supradicta in Bulla, vel excessus perpetratos, vel perpetrandos, in quibus visitationi, & correctioni Archiepiscopi, prout sunt, subiecti sint, & esse censeantur. Et hæc quidem dispositio est conformis dispositioni iuris communis, cum enim agatur de Ecclesia Cathedrali regulari, Episcopus est Caput, & loco Abbatis Monachorũ, & ipsi loco Canonicorum, Doctores in *cap. causam, quæ de iudic. il primo, Hostiens. in princ. Ioan. Andr. nu. 3. Abb. antis. num. 1. Bellam. num. 1. & 2. Butr. num. 4. & 8. Imol. num. 1. Dec. nu. 38. & Abb. qui loquitur expressè de Eccles. Montis Regalis num. 8. & seq.*

2 Et idem Episcopus, etiam de iure communi, exceptis iis, quæ concernunt regularia instituta, habet omnimodam iurisdictionẽ in Monachos Cathedralis regularis, *cap. 1. ne sed. vacan. glos. fin. in c. nullus, vers. vt Episcopus, etiam secularis de electione in 6. vbi Anchar. n. 3. vers. sed aduerte, Andr. num. 3. vers. in glos. vlt. Gemin. num. 7. vers. in ea gloss. ibi Franc. num. 3. vers. in glos. fin. Corn. cons. 193. num. 4. lim. 2. ubi nu. 5.* apparet de hoc non esse hæsitandum, cessantibus indultis, & consuetudinibus particularibus loci, propter quæ in illo casu ipse consuluit contrarium, & hanc sententiam aliàs sequuta fuit Rota coram b. m. Oradino in causa Perusina iurisdictionis 27. Februarii 1518. quæ refertur, licèt diuersis verbis, inter Miscell. Cotæ, sub num. 56.

3 Nec placuit Domini, verba Bullæ (prout sunt) esse intelligenda conditionaliter, non causatiuè, quia contrarium est verius, tùm quia D. Archiepiscopus habet dispositionem iuris pro se, tùm, etiam, quia huiusmodi ver-

verba sunt prolata ab habente potestatem disponendi in dispositione certa, & ideò important causam, non conditionem, *Felin. in cap.2.num.10.de rescript.* & tenuit Rota coram b.m. Lauretano in causa Caurien se iurisdictionis, 5. Nouembris 1576.

4 Et hoc etiam euidentissimè apparet, cum Monachi eximantur à iurisdictione D. Archiepiscopi, quoad regularia instituta tãtùm, quæ exceptio firmat regulam in omnibus casibus expressè non exceptis, *Bart. in l.quæsitum,§.denique, ff.de fun.instr.* & præscribit, quod ad alia non expressa extendi nequit, *l. qui in aliena,§.libertas, ff. de negot.gest.*

5 Nec placuit Dominis verba Bullæ esse intelligenda de iurisdictione, quoad Ecclesiam tantùm, quia Bulla vlteriùs prosequitur, scilicèt (vel excessus perpetratos, vel perpetrandos,&c.) quæ dispositio non solùm est generalis, cõprehendens omnia, sed augmentatiua propter dictionem,vel,quæ ampliat dispositionem etiam ad diuersa. *Crauett.cons.326.nu.2.* quæ eò magis vera sunt, quia cum iure communi concordant, à quo verba statutorum interpretationem assumerent, vbi dubia videretur, *l.2.C.de noxal.cap.cum dilectus de consuetud. Alex.in l.non quod §.nõ omnis,ff.ad Trebell.Iaf.in auten.nouissima num.14.C.de inoffic. testam.* Vndè non potest dici, vigore Bullæ iurisdictionem D. Archiepiscopi restringi vltra quam ipsa Bulla facia.

6 Nec subsistit, quod Episcopus non habeat iurisdictionem,etiam quod procedatur in forma judicii,cum sti Monachi sint Ordinis Sancti Benedicti. *Abb.in cap.quanto de offic.ord.in.Rol.cõs.375.cum aliis,* nam omisse, quod ipsi Doctores non loquuntur,quando Ecclesia est Cathedralis regularis, contrarium est verius de iure, *cap. cum personæ de priuil. in 6. cap. 1. de offic. ordin.cap.omnes Basilicæ 16.q.7.& tenent in dicto capite quanto, Innoc. n. 2. Host.nu.9.Ioan.Andr. num.15. Anch. nu. 6. Heur. Boich. num.4.Bellam. num.4.vers.aut igitur, & Butr. nu.10. Dec.in cap.tua nobis num. 16. de conf. vtil.vel inutil.* Et hanc opinionem, tamquam veriorem, & communiorem,sequuta fuit,Rota in Cæsaragustana Iurisdict. 27. Maii 1573. coram b.m. Oriolense & in alia Cæsaragustana exemptionis 13. Nouem. 1587. & 28. Martii 1588.& 12.Februarii 1590.coram b.m.Oradino.

7 Minus etiam subsistit, dum dicitur, quod in omnem euentum cessat iurisdictio D. Archiepiscopi, stantibus priuilegiis Ven. Cõgregationis Cassinensis, cui fuit vnita Congregatio Sicula, *d. cap cum personæ, de priuil. in 6. Corn. d. cons.193. num 7.lib.2. Cappell. Tolos. decis.309.* & censuit Rota in dicta decisione Cottæ. Nàm fuit respõsum, quod unio intelligitur facta sine præiudicio tertii, *cap.2. de relig. domib.Rebuff. in prax.tit.de erect. in Colleg.vers.& in hac erectione, circa med.ibi, & hæ erectiones, Put.dec. 264.num.3. lib.2.* Vnde per talem vnionem, non censetur derogatũ iurisdictioni D. Archiepiscopi.

8 Et cessat omnis difficultas,quia in Bulla erectionis Congregationis Siculæ, in cuius locum subrogata est Congregatio Cassinensis, expressè legitur (sine præiudicio iurium Archiepiscopi) quarè huiusmodi priuilegia non possunt Monachis suffragari,dum degunt in Monasterio Montis Realis iurisdictioni Archiepiscopi subiecto, *cap.1.§.inter eos, de priuil.in 6. ibi, nisi forsan ipsi Monachi, vbi Franc. in 2. not. Gemin.num.3. & 6. Capyc.dec.59.in fin.*

9 Nec facit, quod Monachi habeant mensam separatam, de qua di-

Digitized by Google

disponunt, & quod negotia Archiepiscopi, & Monachorum sint separata, quia ex hoc non potest inferri ad non iurisdictionem D. Archiepiscopi. *c. edoceri de rescript.* Et videmus, quod Capitula Ecclesiarum habent mensam separatam, & negotia separata, & nõ propterea iurisdictio Episcoporum eliditur, *tot. tit. de his, quæ fiũt à Prælat. sine consens. Capit. Doct. in d. c. edoceri de rescript.*

10 Neque etiam Monachis suffragatur dispositio *Sac. Conc. Trid. sess. 21. cap. 8.* quia loquitur de Monachis existentibus in locis exemptis à iurisdictione Ordinarii, quales non sunt degentes in Monasterio Montis Regalis, per supradicta. Et ità conclusum fuit, omnimodam iurisdictionẽ spectare in omnibus ad Reuerendiss. D. Archiepiscopum, præter quam, quoad regularia instituta tãtùm.

SECTIO QVARTA.

De Dote Cathedralis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Dotis significatio. num. 1.
Dos sine matrimonio esse non potest, sicuti nec matrimonium sine dote. 2.
Ecclesia sine dote erigi non potest. 3.
Collegiata Ecclesia dotari debet secundũ numerum, & qualitatẽ Collegii. 4.
Ecclesiæ Cathedrali, Archiepiscopali, quænam dos assignanda. 5. & 6.
Episcopo assignari debent, saltem mille scuta. 7.
Concilium Tridentinum explicatur. 8.
Onera Episcopi. 9.
Congrua Clericorum iuxtà dictum Apostoli, & antiqua iura. 10.
Ecclesiæ decor hodiè creuit. 11.
Commoda sustentatio quid importet. 12.
Sustentari quis non potest commodè decẽtũ florenis, & sustentari potest de vigintiquinque sine penuria. 13.
Victus nomine, quid veniat. 14.
Clerici de redditibus Ecclesiæ, quantus modus habere debent. 15.
Hieronymi dictum. 16.
Luxuriari verbum, quid importet. 17. & seq.
Episcopi in Germania ditissimi, & in Polonia. 19.
In actibus exterioribus debet quis se conformare cum aliis eiusdem dignitatis. 20.
In definienda commoda sustentatione, standum est iudicio prudentum. 21.
Alio modo viuunt Nobiles, alio Pauperes. 22.
Clericus habens de proprio, potest viuere de beneficio, & patrimonium hæredibus reseruare. 23.
Quænam portio sit singulis Clericis assignanda. 24. & seq.
Bona Ecclesiastica ad vsum ministrorum sunt principaliter destinata. 26.
Nemo tenetur propriis stipendiis militare. 27.
Episcopo solemniter celebranti, quot personæ sint necessariæ. 28.
Dos Ecclesiæ ultra mensam Episcopalem pro quibus personis sit assignanda. 29.
Dos, & redditus pro beneficiariis. 30.
Dos assignanda pro Capitulo, & Canonicis, vtrum totaliter in quotidianis distributionibus, an erigendæ sint Præbendæ. 30.
Dos assignanda, etiam pro Cantoribus. 31.
Ecclesiæ in Regno Neapolitano, quarè pauperes. 32.
Ecclesiarum quantitas in Regno Neapolitano erecta à Græcis. 33
Ecclesiæ dos assignanda in bonis stabilibus liberis, & fructiferis. 34.

1 DOtis significatio varia est, nã & dotes animi, corporisque vulgò dicimus, & dotes prædiorũ non semel vocãt Iurisconsulti *l. 2. ff. de fund. instruct. lega. l. amitti, ff. de fidciuss. Duaren. de dote cap. 1.* & Plinius vlmum vitæ dotatam

dixit, & Cicero artem indotatam
2 verborum dote locupletare. Propriè autem dos dicitur, quod nuptiarum causa datur, cum ipsa sine matrimonio esse non possit, *l. 3. ff. de iur. dot.* vbicumque enim matrimonium non est, nec dos esse potest, *l. 48. ff. de iur. dot.* cæterũ existente dote hæc datur marito ad hoc, vt onera matrimonii sustineat, *l. 1. l. dotis fructus, & l. res in dotem, ff. de iur. dot.*

3 Hinc cum inter Episcopum, & Ecclesiam contrahatur matrimonium, iure statutum est, Ecclesiam sine dote construi non posse, *tex. in cap. cum sicut, vbi Abb. & alii,*
4 *de consecr. Eccles. vel altaris.* Et si Collegiata sit, dotari debet secundum quantitatem, & numerum Collegiatorum, & qualitatem Collegii, *Abb. in d. cap. cum sicut, in fin. & notatur 21. q. 1. c. 2. & glos.*
5 *in cap. nemo de consecr. dis. 1.* Vndè per consequens Ecclesiæ Cathedrali assignanda est dos pro Episcopo, pro Mensa Capitulari, pro Ministris, pro manutentione fabricæ, & sacristiæ, quę quidem dos
6 immunis esse debet ab omni tributo, *cap. 1. & ibi scriben. de censi.* Quod idem proportionaliter dicendum est de dote Patriarchalis, Metropolitanæ, seù Archiepiscopalis Ecclesiæ.

7 Et quidem, quod attinet ad Episcopum, assignari debent ei saltem mille scuta, vt colligitur ex *Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 13.* Non obstante dispositione eiusdem Concilii, *d. sess. 25. cap. 1.* iu-
8 bentis, vt Episcopi non solum modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contẽti sint, verũ etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caueant, ne quid appareat, quod ab hoc sancto instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Quia per hoc non ex-
1 cluduntur ea, quæ decent, & conferunt ad imprimendam in animis Populorum Episcopalis dignitatis celsitudinem. Sicuti legimus de Sancto Francisco de Sales, quod serica supellectili non caruerit, ac decenti famulorum numero, licèt ieiuniis, ac disciplinis carnem suam maceraret.

9 Quod si considerentur onera, quæ subire tenetur Episcopus, videlicèt singulis trienniis sacra Limina Apostolorum decenter visitare, ex Constitutione Sixti Quinti, *Bullar. tom. 2.* eleemosynas pauperibus erogare, hospitalitatem seruare, *Barbos. de offic. & potest. Episcopi p. 3. alleg. 77. num. 2.* & in aliorum defectum Ecclesiam reparare, & Sacristiam pro exercendis Pontificalibus manutenere, mille scuta vix sufficere videntur.

10 Quod attinet ad congruam, Clericis, & Ministris Ecclesiæ Cathedralis assignandam, licèt dicat Apostolus victu, & tegumento contenti simus; ex quo videtur, Clericos, imò etiam Prælatos de redditibus Ecclesiæ habere tantùm sumere necessaria, ac de necessaris contentari debere, secundum deducta à *Redoan. de spol. q. 3. §. sed in contrarium, vsque ad num. 13.* cui se opponit *Filinc. eod. tract. cap. 3. q. 7. num. 7.* dicens, quod pars fructuum, quæ tribuitur Beneficiario ad suam congruam sustentationem, non est tantùm misericorditer illi impensa, vt viuat, sed etiam, vt illius labores iusta mercede, & stipendio compensentur; & contrariatur etiam *glos. in cap. Clericis, verbo necessitatem 2. q. 1. ubi* quod illud obtinuit secun-
11 dum antiqua iura, & illa tempora; Hodiè verò, quia creuit decor Ecclesiæ, *de consecrat. dis. 1. vasa.* Clericalis dignitas vilescere
12 non debet, *glos. in cap. Clericis, verbo*

Digitized by Google

bo, deauratis, de vita, & honeſt. Cler. per tex. in cap. Epiſcopi 80. di. facit tex. in cap. poſtulaſti, de reſcript. ibi, valeat commodè ſuſtentari, vbi *notat Abb.* quod non dicitur, ſine penu-
13 ria, vel ſine egeſtate, ſed commodè. Concordat *gloſ. in cap. un. §. ſanè, verbo penuria, de ſtat. regul. in* 6. vbi quod Canonicus Bononiẽſis, de centum florenis non poteſt commodè viuere, qui tamen de viginti quinque ſubſtentatur ſine penuria, *Redoan. d. q. 3. num.* 19.

14 Ipſo quoque nomine: *victus*, deducto à verbo, viuere, importatur quidquid ad tuendam, cõſeruandamque vitam hominis eſt neceſſarium, ac proindè non ſolum cibus, & potus, ac veſtimenta, verum etiam habitatio, famulorum, ac ſeruorum miniſteriũ, & ſi quæ ſunt huius generis alia. *l. verbo victus 45. cum l. ſeq. l. in lege* 203. *& l. quos vos honores*, 234. *de verb. ſignif. l. fin. ff. de alim. & cibar. lega.*

15 Propterea de redditibus Eccleſiæ tantum debẽt habere Clerici, quantũ ſufficiat ad cõmodũ victũ ipſorum, aliorũq; cum ipſis conuiuẽtium iuxtà qualitatẽ, ac dignitatem perſonarum, & regionis, *Redoan. de ſpol. d. q. 3. §. ſed, in contrarium, num.* 19. *per text. in cap. ſanè, de ſtat. regul. in* 6. *& n.* 20.

16 Neque huic doctrinæ refragatur dictum Hieronymi, relatum in *ſumma* 44. *diſt.* quod Clericus de altari viuere debet, non luxuriari, quia verbum *luxuriari*,
17 quod dicit ſuperuacuam abundantiam, & profuſas impenſas, *gloſ. per luxuriam in l. 1. ff. de ædilit. edict.* ac prodigalitatem, *gloſ. 2. in l. ex damni* 40. *ff. de damn. infect.* Nõ
18 contrariatur commoditati, quæ reſtringitur ad ea, quę conueniunt iuxtà dignitatem, *text. in l. Nepos Proculo* 125. *ff. de ve b. ſignif. vbi gloſ. margin. notat.* Illud dicimur poſſe, quod commodè, & conuenienter poſſumus.

19 Et, vt verum fatear, ſi conſideremus tot Epiſcopos in Polonia, qui ſunt membra illius Regni, totque in Germania, pariter mẽbra Romani Imperatoris, videlicèt tres Archiepiſcopos Electores, nouem alios, inter quos unum Patriarchę nomine decoratum, nonaginta Epiſcopos, octodecim Abbates, tres Prępoſitos, & nouem Abbatiſſas, prout recẽſet *Melchior Goldaſti in collect. conſtit. Imperial.* Videtur valdè incongruum, aſſerere, prędictas Eccleſias fuiſſe tàm largè ditatas,
20 vt de illis prouiſi non cum debito ſplendore viuerent, ſed de neceſſariis tantùm alimentis contentari deberent. Circa quam materiam memini, in Congregatione Sacrorũ Rituum, cum à Promotore Fidei animaduerteretur contra humilitatem Serui Dei, quod creatus in Cardinalẽ, palatiũ ſerica, auro intexta, & Phrygiana ſupellectili ornauerat, cũ vaſis argenteis, ac magno Famulorũ numero; exhibita fuerũt à Poſtulatoribus Breuia Apoſtolica, quibus Summus Pontifex illi mandauerat, ut ſpiritũ humilitatis, & paupertatis in corde retinens, in actibus exterioribus, & publicis, circa magnificentiam, ac ſplẽdorem tantę dignitati debitum, cæterorum exemplo ſe conformaret.

21 Porrò in definiẽda portione pro commoda ſuſtentatione Clericorum, ſtandum iudicio Prudentum ait *Zerol. in prax. Epiſc. p. 1. verbo, beneficium, §. ad ſeptimum concluſ.* 8. *Gonzal. ſuper Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 15. *n.* 30. *Ricc. in prax. Epiſc. q.* 2. *cap.* 5. habita ratione qualitatis perſonarum, 41. *diſt. non cogatur.* item ſcientiæ, *cap. de multa de præben.* & dignitatis. *l. in honorariis ff. de var. & extraord. cognit. l. ſed. & ſi quid §. 1. ff. de*
22 *vſufr.* Quia aliis cibis vtuntur

Nobiles,& aliis Pauperes,alio modo viuunt Nobiles, & alio Pauperes, *Innoc.in cap. dudum,n.6.in fin. de elect. gloss. in cap. constitutus, verbo impotentia de appellatio. Philipp. post*
23 *alios in dicto cap. de multa in fin.col. 5. verbo, sublimes, & litteratos.* Vniuersaliter tamen pro sufficienti commoditate dicitur assignandum esse beneficiariis infimę sortis pro vno famulo, equo, & Coquo: Beneficiario Doctori pro duobus famulis vltra Coquum, & equum, Nobiliori pro tribus famulis, duobus equis, rheda, & rhedario, iuxta morē regionis,& sic deinceps. *Azor. instit.moral.p. 2. lib.6.cap.10.Filiuc. tract.41. cap. 9.4. n.10.Bonac. tom.1.disput.4.punt.2.n.8.*

24 Non displicet tamen opinio, quam ex *Nauarr.* adducit. *Antonell.de regim.Eccles.lib.3.cap.4.n.item. 4.* Optimum fore, si vir prudens in assignanda huiusmodi portione,secum reflecteret, quantum ipse erogaret in victum necessarium,& honestū,commodamque substētationem alicuius eiusdem conditionis, & ordinis, ad quem alendum ipse teneretur ex aliqua dispositione, vel contractu, aut paterna pietate,vel cognatione.

25 Licèt enim secundum antiqua iura Clerico habenti de proprio, nō liceret viuere de bonis Ecclesiæ, hodiè tamen Clericus habens sufficiens patrimonium, cum bona conscientia beneficium Ecclesiasticum recipere potest, ac de illius fructibus cōmodè substētari,sibique,ac suis hæredibus patrimonium reseruare. *Abb.post. Innoc.& alios in c.postulasti, de rescript.* Quia hodiè bona Ecclesiastica ad vsum Ministrorum sunt principaliter destinata. *cap. pastoralis de his,quæ fiunt à Prelat.cap.fin.1.q.2.* Cùm nemo propriis stipendiis, & expensis militare teneatur *Innoc. in cap statutum,de rescript.in 6. Card. in d.cap.postulasti,vbi Felin.n.6. Caietan.2.2.q. 185.art.7. ad 3.* Quam opinionem communem fatentur *Felin. & Barbos. in cap. Episcopus de Præbend.*

28 Quod verò attinet ad numerum Clericorum, pro quorum sustentatione dos assignanda est Ecclesiæ,certum est,quod Episcopo solemniter celebranti non minus, quàm viginti personę sunt necessariæ;quinque videlicèt de Capitulo pro assistentia, & ministerio; Prima nempè Dignitas cum pluuiali,duę Dignitates, seù Canonici assistētes cum dalmaticis,& alii duo ministrantes, septem ad minus pro circulo, & vnus,qui Choro præsit, nec non Cæremoniarum Magister, quatuor Clerici, pro mitra, baculo, missale,& thuribulo, quæ tamen munia assignari solent Clericis de Seminario,seù aliis,etiam non de corpore Cleri Ecclesiæ Cathedralis, sicuti Caudatarius, qui caudam vestis Episcopi deferat, solet esse de familia ipsius Episcopi. Vltra prędictos requirūtur quatuor saltem Mansionarii, qui canenda cantent in Choro, duoque Sacristani,cum vnus non sufficiat: Ex quibus patet,quod vltra mensam Episcopalem, pro supra recensitis personis, ac Ministris, assignanda est dos Ecclesiæ Cathedrali nouiter erigendæ. Quæ dos ad duo millia scutorum supra tercentum ascendit, nempè mille pro Episcopo, iuxtà mentem *Concilii Tridentini. sess. 24. de reform.cap.3.* centum pro prima dignitate, octoginta pro singulis Canonicis, ducentum pro quatuor Mansionariis,sexaginta pro duobus Sacristis,& alia sexaginta pro manutentione fabricæ Ecclesiæ, & sacristię,quod omnī difficultate carere videtur.

29 Sed difficultas supereſt, vtrum supradicta dos, fructus, & redditus assignandi sint Capitulo in cor-

corpore pro distributionibus tãtùm quotidianis; an verò erigendæ Præbendæ pro singulis etiam Capitularibus? Et quidem secundum doctrinam *Rebuff. de congrua, sub num.45.* videtur constitui non debere in distributionibus, quia incertum est, an Capitularis seruitio Ecclesiæ intererit, vel propter aduersam valetudinem, aut alios ob casus, qui possunt accidere, sicque, an eas sit lucraturus, per *l.naturalem, ff. de acquir. rerum dominio, Anchar. in clem. vn. in repetit. col. vlt. de concess. præben. Felin. in cap. ad aures, col. penult. de rescript.* Propterea meo iudicio optimum esset, si pro medietate redditum erigerentur præbendæ pro singulis Capitularibus, pro alia verò medietate assignaretur in corpore, & massa communi pro quotidianis distributionibus, quia sic res melius se haberent.

31 Dixi superiùs, dotem Ecclesiæ Cathedralis erigendæ necessariò assignandam pro personis ibidem recensitis, quia cæterò licet non de necessitate, pro maiori tamen eiusdem Ecclesiæ magnificentia, ac decore, requiruntur Musici, organum, Cantores, & alia, sine quibus Ecclesia debito honore, ac præeminentia Cathedralis gaudere non videtur.

22 Neque obstat, quod in Regno Neapolitano, & alibi adsint plures Ecclesiæ Cathedrales, quę nõ solùm dotem non habent pro Capitulo, & ministris, sed neque pro ipso Episcopo, quia fortasse hoc accidit ex iniuria temporũ, cum cæterò quin credendum sit, erectas fuisse cum omnibus requisitis, sed tractu temporis defecisse dotem, quia ipsis Ciuitatibus bellis, & aliis calamitatibus, destructis, & ad nihilum redactis, defecerunt Populi, bonaque Ecclesiæ vsurpata, aut sterilia effecta.

33 Dùm hæc scriberem, ab Illustr Domino Pompeo Sarnello, Episcopo Vigilien. verè doctissimo, & qui ob eius merita, licèt alteriùs Prouinciæ, voto, decisiuo in Concilio Prouinciali Beneuentano decoratus fuit, dono recepi librum, ab ipso compositum, cui titulus. Memorie Cronologiche de Veschoui & Arciuescoui di Beneuento. vbi fol. 240. ex *Tomasin. Vet. & nou. Eccles. discipl. p.1. lib.1. cap.34. n.12.* hoc notat. Obiter hic aduertas, inusitatam illam Metropoleon, & Episcoporum multitudinem in Regno, nunc Neapolitano, magna ex parte profectam esse ab illa Græcorum æmulatione, qua certabant, totidem quasi vinculis opulentas has, florentissimasque Ciuitates, & Prouincias, Ecclesię suæ imperioque arctiùs adstringere.

34 Vnum addo, quod in erectione nouarum Cathedralium, quando fit ad instantiam Regum, & Principum, ipsis pro dote, redditus gabellarum, & prouentuum fiscalium assignare consueuerunt, quod mihi nunquam placuit, quia experientia comprobatum est, hoc non semper debitum effectum obtinere, piamq; mentem ipsorum Regum, ac Principum vix adimpleri, cum dictarum gabellarum, ac prouentuum fiscalium Arrendatores Ecclesiæ soluant quomodo, & quando ipsis placet, ac cum maximo Ecclesiasticorum incommodo, ac dedecore, quia postquam inseruierũt Ecclesiæ, dictos Arrẽdatores quasi pro elemosina pluries adire, ac repetere coguntur. Ac propterea dos prædicta assignanda videtur omninò in bonis stabilibus, liberis, ac fructiferis, vt colligitur ex *tex. & DD. in cap. 1. de censs. ad hoc*, vt qui inseruiunt Ecclesiæ, debito tempore fructus, & redditus percipere valeant. Dixi in bonis stabilibus, liberis, quia

si

si censibus, aut aliis grauaminibus sint obnoxia, cum quorum onere sint transitura ad Ecclesiã, pro dote non erunt recipienda, vt colligitur ex deductis à *Barbos. in d.cap.*1.

Hucusque diximus de dote necessariò assignanda Ecclesiæ, Episcopo, Capitulo, Beneficiariis,& Ministris. Vbi verò pinguiores sunt redditus Ecclesiastici, vltra commodam substentationem, An liceat Beneficiariis, & in specie Prælatis, de fructibus,& prouentibus Ecclesiæ, propriorum laborum,ac meritorum intuitu, portionem aliquam sibi appropriare, seù aliis donare,in Additione in fine operis enucleabimus.

SECTIO QVINTA.

De Capitulo.

SVMMARIVM.

Capituli nomine quid veniat. n. 1.
Episcopo solemniter celebranti, quot personæ assistere, & inseruire debeant. 2.
*Assistentes, & ministrantes Episcopo, qualiter induti.*3.
Præbendarum tituli debent esse distincti. 4.
Archidiaconatus est erigendus. 5.
*Archidiaconus, absente Episcopo, & eius Officialibus, est de iure Vicarius.*6.
Archipræsbyteratus est erigendus. 7.
Decisio Rotæ super præcedentia Archidiaconi in functionibus spiritualibus,citatur. 8.
*Primiceriatus est erigendus, & eius officium.*9
Theologalis præbenda erigi debet. 10.
*Pœnitentiaria est erigenda.*11.
*In Ecclesiis antiquis reperiuntur plures dignitates, Canonicatus, diuersaque officia sub variis titulis.*12.
*Examinatores Synodales eligendi sunt ex Canonicis.*13.
*Iudices Synodales eligendi sunt de Canonicis.*14.
Statuta Capituli erigendi exhibenda in sacra Congregatione. 15.

1 CApituli nomine venit quandoque locus, vbi Canonici congregantur. *Abb.in cap.de causis de elect.* Quandoque verò ipsum Canonicorum Collegium, vt in *cap.capitulum de rescript.*In præsenti autem nomen Capituli sumitur pro numero, & qualitate dignitatum, & Canonicorum, qui Ecclesiæ erigẽdę, & Episcopo inseruire debent,prout diximus supra,*Sect. anteced.num.*26.

2 Quod videlicèt Episcopo solẽniter celebranti, non minùs,quã quatuordecim,vel saltem treidecim de Capitulo pro assistentia, & ministerio requiruntur, nempè prima Dignitas cum pluuiali, duæ Dignitates, seù Canonici assistentes cum Dalmaticis, & duo alii ministrãtes pariter cum Dalmaticis, septẽm ad minus pro circulo,& vnus, qui præsit Choro,
3 qui quidem pro circulo, primus cum pluuiali, duo cum habitu Sacerdotali, duo in habitu Diaconali, & duo in Subdiaconali, prout prudentissimè admonuit Eminentiss. Dominus Card. Vrsinus Archiepiscopus, nobilitatis genere, & omni virtute conspicuus, in proximè celebrato Concilio Prouinciali Beneuentano. Ob id enim in *Sacr. Conc. Trid. sess.*
4 *24. de reform. cap.* 12. decretũ fuit, vt in Cathedralibus Ecclesiis omnes Canonicatus, & portiones annexorũ haberent ordinem, Præsbyteratus, Diaconatus,& respectiuè Subdiaconatus. Licèt huiusmodi decretum non ubiq; suum obtinuerit effectum,
5 In erectione igitur nouæ Ecclesiæ, seù eius Capituli, & Capi-

Digitized by Google

pitularium, erigendus est primo loco Archidiaconatus pro vno Archidiacono, qui post Episcopum primum locum teneat, sitq; eius de iure Vicarius, *tex. in cap. 1. & ibi scribent. de offic. Archidia.* Quiq;
6 absente Episcopo, & eius Officialibus, ipso iure, absque aliquo facto, Vicarii munus exerceat. *Sbroz. de offic. Vicar. Episc. lib. 1. q. 2. n. 14. & q. 36. num. 10.* Ac proindè debet esse Doctor, aut saltem licētiatus in iure Canonico. *Trid. sess. 24. de refor. cap. 12.*

7 Item erigendus est Archipresbyteratus pro vno Archipresbytero, qui Episcopi absentis, seù impediti, in spiritualibus functionibus vices subeat, aliaque peragat, de quibus *in cap. 1. & tot. tit. de offic. Archipr.*

8 Celebris fuit in hac materia decisio Rotæ, in Viterbien. celebrationis Missarum, quæ est 244. *p. 3. recent.* concordans cum pluribus rescriptis Sacr. Rituum Cōgregationis, quod videlicet Archidiaconus, quamuis sit Sacerdos, in functionibus Ecclesiasticis præferendus sit Archipresbytero, ea ratione, quia ex quo Archidiaconus Sacerdos est par in ordine cum Archipresbytero, & illo maior in dignitate, conuenit Maiestati Sanctissimi Sacramenti, & decentiæ Ecclesiæ, vt per digniorem celebretur. Quod tamen non haberet locum in illis Ecclesiis, vbi Archidiaconus non est prima dignitas, vt in pluribus Ecclesiis, præsertim Lombardiæ. Quo casu supplere vices Episcopi spectaret ad primā Dignitatem, quocumque nomine nuncuparetur.

9 Pariter erigendus Primiceriatus pro vno Primicerio, cuius officium sit distribuere lectiones nocturnorum Diaconis, & aliis, necnon responsoria Cantoribus, & præesse Choro, vt diuina officia secundum ordinem celebrentur, *cap. vn. de offic. Primic.*

10 Erigenda est etiam Præbenda Theologalis pro vno Canonico, qui sacram Scripturam interpretetur, & exponat per seipsum iuxta dispositionem *Concil. Trident. sess. 5. de reform. cap. 1.* qui propterea debet esse Doctor, vel licentiatus,

11 Necnon erigenda venit Præbenda pro Canonico Pœnitentiario, Magistro, vel saltem licentiato in sacra Theologia, aut iure Canonico, *Trid. sess. 24. de reformat. cap. 8.*

12 In Ecclesiis antiquis, reperiuntur etiam Thesaurarii, ad quos pertinet custodia thesauri Ecclesiæ, Sacristæ Maiores, Custodes, Cantores, Præcentores, Succentores, Præpositi, Decani Scholastici, Priores, & alii, qui in aliquibus Ecclesiis sunt Dignitates, in aliis Canonici, in nonnullis Mansionarii, vel simpliciter Beneficiati, iuxta consuetudinem singularum Ecclesiarum.

13 Cæterùm in erigendo nouo Capitulo habenda est ratio ad qualitates personales eorum, qui inter Dignitates, & Canonicos sunt adscribendi. Siquidem ex ipsis eligendi sunt Examinatores Synodales, qui debent esse Magistri, seù Doctores, aut saltem licentiati in Theologia, seù iure Canonico. *Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12.*

14 Pariter ex ilsdem Dignitatibus, & Canonicis eligendi sunt Iudices Synodales, iuxta præscriptum *Sacr. Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 10.* quibus committantur causæ à Sede Apostolica, seù eius Legatis, ad formam, & iuxta dispositionem *text. in cap. statutum de priuil. in 6.*

15 Quia verò in aliquibus Ecclesiis, Mansionarii, seù Beneficiati habent vocem in Capitulo in aliis

Digitized by Google

liis verò nequaquam, videretur valdè congruum, vt ad euitandas omnes controuersias, tàm super hoc, quàm super aliis, quæ possent emergere, exhiberentur statuta ab ipsa Sacra Congregatione in erectione Capituli approbanda.

SECTIO SEXTA.

De Clero.

SVMMARIVM.

Nomen Clerus est generale, continens omnes species Clericorum. n. 1.
Cleri nomine veniunt omnes Diuinis ministeriis inseruientes. 2.
Religiosi veniunt sub nomine Cleri. 3.
Equites Militares veniunt sub nomine Cleri. 4.
Tertiarii veniunt sub nomine Cleri. 5.
Eremitæ veniunt sub nomine Cleri. ibid.
Cleri nomen sumitur, prout distinguitur à Capitulo. 6.
Clerus pro erectione nouæ Ecclesiæ debet esse insignis. 7.

1 HOc nomen, *Clerus*, generale est, ceù quoddam genus comprehendens sub se omnes species Clericorum in quacumque dignitate, vel ordine, tàm maiores, quam minores; *cap. de persona 11. q. 1. c. duo. 12. q. 1. cap. si quisquam de cohabit. Cler. & mul.* ac proindè, omissa distinctione materiæ fauorabilis, vel odiosæ, quæ
2 non facit ad præsentem inspectionem, omnes diuinis ministeriis inseruientes, seù Diuino seruitio mancipatos. *Sebast. Medic. in summ. decret. art. 4.* & generaliter omnes, qui non sunt laici, *Summ. Rosell.*
3 *verb. Clericus il primo in princ.* ac propterea Monachos, & Religiosos cuiuscumque regulæ. *Vital. in Clem. Si verò, n. 12. de sepult. & in clé. dignũ. n. 3. de celebr. missa.* Necnõ Nouitios, Cõuersos, & Moniales cuiuscũq; Religionis approbatæ, *c. cũ*
4 *illorum de sent. excomm. c Monachi, & cap. de Monialibus, eod. tit.* Insuper, & Clericos regulares, vt sunt Patres Societatis Iesu, Teatini, & huiusmodi. Nec non milites Hierosolymitanos, Sancti Iacobi, Sancti Mauritii, & similes, ac demum
5 Tertiarios, & Eremitas viuentes sub obedientia Superioris, vel Episcopi. *Carol. de Grass. de effect. Cler. in prælud. n. 253. & plurib. seq.*
6 In præsenti autem sumitur Clerus, prout contradistinguitur à Capitulo, vt *in cap. non minus; & ibi Abb. n. 5.* vbi, quod in tangentibus totum Clerum, non sufficit, Episcopum habere consensum sui Capituli, sed oportet, vt interueniat consensus Cleri.
7 Pro erectione igitur nouæ Ecclesiæ, vltra numerũ Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, aliorumque Ministrorum, & Clericorum Cathedralis, docendum erit de numerositate Cleri totius Ciuitatis, centum Sacerdotum ad minus cum adæquato numero Clericorum, tàm maiorum, quàm minorum ordinum, nè Sedes Episcopalis vilescat. *Isidor. Moscon. de maiest. Militan. Eccl. lib. 1. cap. 15. in princ.* Nec non de Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis, Oratoriis, Laicorũ Cõfraternitatibus, Hospitalibus, aliisq; piis locis, de Regulariũ Monasteriis, & Conuentibus, atque etiã Monialium, quæ omniã locum redderent insignem, Sedeque Episcopali dignum.

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

De Populo.

SVMMARIVM.

*Populi definitio.num.*1. *Differt à Plebe sicuti genus,& ſpecies.*3.
*Populus continet plebem, & patricios, hoc eſt cuiuſcumque conditionis, & ordinis Ciues.num.*2.
*Populus, & plebs diſtinguuntur ſicuti genus, & ſpecies.*3.
Populus, & plebs differunt ſicut id,quod continet,ab eo,quod continetur. 4.
*Populum,plebemue, an decem viri conficiant.*5.
*Requiſita Populi loci, in Ciuitatem erigendi.*6.
Ciues, & Incolæ in nouem claſſes diuiduntur. 7.
*Quæ conſideranda ſint circa Populum pro erectione nouæ Eccleſiæ.*8.

1 POpulum definiuit Cicero in libro de Republica,prout illum refert *D. Auguſt. de Ciuit. Dei lib.*19.*c.*21.Cætũ multitudinis, iuris conſenſu,& vtilitatis communione ſociatum, proindè, vt cætus aliquis populus dici poſſit, nõ imperium, aut excellentia nominis efficit,ſed rerum,fortunarumque communio.

2 Continet autem Populi nomẽ Plebem, & Patritios, hoc eſt cuiuſcumque ordinis, & conditio-
3 nis Ciues, licèt Iuſtinianus Populum à Plebe differre voluerit, ſicuti genus à ſpecie, *gloſ. in l.* 2. §. *creditum,ff. ſi certum petat.* Quod tamen non approbat *Ioann. Caluin. in lex. iur.eod.verbo,* volens, vt dif-
4 ferant tantùm ſicut id, quod continetur ab eo, quod continet.

5 Plerique Populum, Plebemue decem viris confici exiſtimarũt, quod nuſquam probatur, & ratione caret, cum maiorem numerum Populi appellatio requirat, vt ait Alciatus. De quo videatur *Bart. in l.prætor, de vi bon. rapt.& in l.penult.ff.quod cuius c.Vniuerſ.nom.*

6 Quod verò attinet ad præſentem inſpectionem, de Populo loci in Ciuitatem erigendi, videntur attendenda requiſita à *Ioann. Calu. in lex.iur. verbo Ciuitatis appellatio*; vbi Ciues, & Incolas in nouem partes, ſeù claſſes diuidit.

7 Quarum Primam aſſignat Agricolis, quia circa alimenta verſantur,Secundam Opificibus,qui ſe exercent circa artes, ſiuè neceſſarias, ſiuè ad delicias, & voluptates, aut ornamenta pertinentes; Tertiam iis, qui emptionibus, & venditionibus vacant; hoc eſt Mercatoribus, & Nũmulariis, Quartam Mercenariis; Quintam bellorum propulſatoribus, Sextam iis, qui ius dicũt, atque decernunt, Septimam Diuitibus, atque Nobilibus, qui onera Reipublicæ ſuſtinere valẽt, de quibus in §. *Decurionum, Inſtit. qui ſunt ſui, vel alien.iur.* Octauam Magiſtratibus, iis videlicèt, qui publicis fungũtur officiis, & Nonam Conſultoribus, & ius in controuerſiis exponentibus, Aduocatis ſcilicèt, & Curialibus. Ad quam rationem ſaltem decẽ millẽ animas, ſeù duo mille focularia locus in Ciuitatem erigendus, continere deberet. Verùm prima pars de Agricolis,non videtur neceſſaria, neque congruens pro complemento Populi, & Incolarum Ciuitatis, quia Agricolæ degere non ſolent in Ciuitatibus, & locis muratis, niſi aliter cogat neceſſitas, ſed in Villis, & locis apertis, ad hoc, ut ad colendam terram ſint magis prompti,& parati,

8 Habenda eſt demum conſideratio, non ſolum ad numerum,

Nobilitatem, & qualitatem Ciuium, verùm etiam ad Populi guberniũ, an aristocraticè, quod est nobilius post Monarchicum, cum sit penes Nobiles, & Diuites, an verò democraticè, seù popularе, quod damnat Aristoteles, vocans ambitionem imperandi, & corruptum statum, cum vulgus auctoritatem suam conferat ad augendam potentiam tenuiorum Ciuium contra Optimates, sub prætextu se defendendi, vndè tãdem seditiones nascuntur. Nec non ad priuilegia, & prerogatiuas, ad situm, ædificia, & reliqua, quæ ad decorandam Ciuitatem, conferant, prout magis diffusè, vbi de dismembratione, *sect.* 10.

SECTIO OCTAVA

De Diœcesibus.

SUMMARIUM.

Diœcesis nomen qualiter accipiatur. nu. 1.
Ciuitas sine Diœcesi, caput sine corpore. 2
Diœcesanus quid importet. 3.
Distinctio inter Ordinarium, & Diœcesanum. 4.
Episcopus in qualibet parte suæ Diœcesis iudicare potest. 5.
Vicarius residere non potest in quolibet loco Diœcesis, sed residere tenetur apud Cathedralem, nisi sit cum Episcopo. 6.
Diœceses, à quo fuerunt distinctæ. 7.
Diœceses diuidere ad solum Papam pertinet. 8.
Diœcesis appellatione, an comprehendatur Ciuitas. 9.
Diœcesis fines, quomodo probentur. nu. 10. *& seqq.*
Diœcesis probatis confinibus, an probetur, omnia contenta inter illos esse de Diœcesi. 16.
Aliud est esse in Diœcesi, & aliud esse de Diœcesi. 17.
Dictio, de, & in, quid importent. ib.
Diœcesum fines præscribi non possunt. 18.
Diœcesum fines constituti publica authoritate. 19.
Diœcesum fines sunt immutabiles. 20.
Diœcesis intra fines, aliqua loca præscribi possunt. 21.
Diœcesum fines, quomodò præscribi possint 22.
Episcopus locum alterius Diœcesis ad Fidem conuertens, illum triennio præscribit 23.
Desertum locum reducens ad culturam, illum triennio præscribit. 24.

1 NOmen Diœcesis in iure ciuili sumitur pro Prouincia, *l.* 1. *C. de priua. carcer.* Sed Patrum decretis ad Episcoporum munus est deflexum. Cum enim in primitiua Ecclesia temporalia iudicia non exercerent Episcopi, sacraque tantùm administrarent, curarentque; Diœcesis, hoc est, administratio, seù procuratio in eis propriè locum sibi vindicabat. Vndè sicut territorium dicitur, ubi Iudex ius habet terrendi; ità Diœcesis, vbi Episcopus sacra ministrandi ius, & potestatem habet. *Caluin. in lex. iur. eodem*
2 *verbo, Barbos. cum ibi cit. de iur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 3. super quo notare libet, quod Ciuitas sine Diœcesi videtur quasi caput sine corpore, & qui illi præest, habere speciẽ Parochi potius, quã Episcopi.
3 Diœcesi deducitur Diœcesanus, qui æquè dicitur habens domicilium in diœcesi. *glos. in c. statutum, §. multis, de rescript. in* 6. atque Episcopus, qui præest, *Calu. loc. cit.* vbi ità distinguit inter Ordinarium, & Diœcesanum, quod Ordinarius sit ille, qui ordinariam
4 iurisdictionem habet, etiã de iure speciali in aliquo loco; Diœcesanus verò, qui Diœcesi præest, quod soli Episcopo conuenit. *Abb. in c. cum olim; de maior. & obed. & in cap.*
5 *Ioannes n.* 2. *vbi ex professo, de testa.* Qua ratione potest Episcopus in om-

omni loco ſuæ Diœceſis iudicare, neque ſtatutam aliquam iuris dicendi ſedem habet. *cap. cum Epiſcopus, de offic. ordin. in* 6. Non ſic
6 eius Officialis, ſeù Vicarius, cum illi ſolũ tribunal ſit præſtitutum, niſi fortè in comitatu Epiſcopi, tunc enim pro tribunali ſedere poterit, vbi Epiſcopus aderit. *Zaſ. in l. ius pluribus, ff. de iuſt. & iur. Caluin. l. cit.*

7 Diſtinctę fuerunt Diœceſes, & Parochiæ à Dionyſio, vt refertur in *cap. vn.* 13. *q.* 1. *vbi gloſ. in verbo diuiſimus*, quod cuique gregi proprii aſſignati Paſtores, & inferiorum Eccleſiarum Rectores, qui ſuarum ouium ſinguli curam haberent, vt, inquit. *Conc. Trid. ſeſſ.*
8 14. *de reform. cap.* 9. Etenim Diœceſes, & territoria diuidere, & aſſignare, ad ſolum Papam pertinet. *Hoſt. in cap. cum contingat n.* 1. *Butr. n.* 11. *Abb. n.* 18. *de for. Comp.* & dictum fuit in Conſtantien. Iuriſdictionis, *deciſ.* 324. *n.* 1. *p.* 1. *recent. In Calaguritana Iuriſdictionis coram Reuer. Attebaten.* 16. *Iunii* 1606. *& in Burgi Sácti Sepulcri Iuriſdictionis,* 13. *Martii* 1626. *coram Buratto, inter eius impreſſas deciſ.* 920. *n.* 1.

9 Vtrum appellatione Diœceſis comprehendatur Ciuitas, ſeù Cathedralis Eccleſia? licet quæſtionem non contemnendam dicat *Barboſ. de iur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 5. paucis tamen ſoluitur diſtinguendo, quod in materia fauorabili ſub nomine Diœceſis veniat etiam Ciuitas, *c. Sacrorum,* 63. *diſ. cap. cum Clerici, de verbor. ſignific. & cap. cum nullus de temp. ordin.* non ſic in materia odioſa, *DD. citati à Barboſ. d. n.* 5.

10 Diœceſum fines, de quibus in *cap. cum cauſam,* 13. *de probat.* probantur iiſdem probationum generibus, quibus probantur alia confinia. Et primò per libros antiquos. *Maſcard. de probat. concl.* 398. *Duen. reg.* 159. *Soccin. reg.* 294. præſertim hiſtoriarum, & chronicorum, dummodò tamen illis à Maioribus noſtris fides adhibita. *Gutier. pract. lib.* 3. *q.* 13. *n.* 23. *Maſcard. concl.* 396 *n.* 6. *& concl.* 105. *n.* 9. Etenim hiſtoriæ, licèt ſcripturæ ſint priuatæ, ex antiquitate tamen fidem aſſumunt, & auctoritatem; ac proindè maxima fides illis adhibenda. *Caputaq. dec.* 190. *p.* 2. *Decian. conſ.* 21. *n.* 19. *vol.* 1. *Salgad. de poteſt. Reg. tom.* 1. *cap.* 10. *p.* 3. *n.* 278. Videantur quæ de fide hiſtoriarum diximus in *tract. de Sanct. Canoniz. p.* 4. *cap.* 24. *per tot.*

11 Secundò probantur per tabulas geographicas, & mappas. *Rota coram Burat. deciſ.* 367. *nu.* 2. *& coram Card. Panfilio, in Virdunen. electionis Epiſcopatus* 15. *Nouembris,* 1593. dummodò tamen ſeruatis ſeruandis ſint factæ, aliàs parum valent, aut nihil probant. *Rota in Nullius, ſeù Aprutina Iuridictionis,* 10. *Martii* 1624. *coram Dunozetto. Aimon. conſ.* 171. *n.* 10. *Gratian. diſcept.* 736. *n.* 68. *Rota deciſ.* 867. *ante n.* 3. *p.* 4. *diuerſ. Ferentill. ad Buratt. d. dec.* 367.

12 Tertiò probantur confines per lapides, ſeu columnas terminorum, quibus literæ ſint inciſę. *Michael Graſſ. tom.* 1. *comm. opin. lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 6. *pagin.* 429. *Card. Tuſc. tom.* 2. *lit. C. concluſ.* 700. *num.* 4. *Maſcard. de probat. concl.* 329. *num.* 10. *Card. Pereir. de empt. & vend. c.* 21. *n.* 20. *&* 21. *vbi num.* 23. quod probatur etiam per priuilegia, & *nu.* 29. per locorum cuſtodiam.

13 Quartò per inſtrumenta pro confinibus facta. *Brun. à Sole, in locis, commun. verbo, confinia, Maſcard. cõcluſ.* 394. *Card. Pereir. d. c.* 21. *n.* 28. *Valaſch. de iur. emphit. q.* 9. *num.* 21. *vbi num.* 12. reſoluit, quod inſtrumenta, mentionem facientia de confinibus enunciatiuè, veluti dicendo, quod uendita fuit talis domus, cui ab Aquilone cohæret domus Titii, & eſt in tali Caſtro,

& territorio, non probat, illa confinia esse eorum, quæ nominantur, nisi agatur de probandis finibus antiquis, de quo etiam *Mascard. d. conclus. 394. à num. 1.* Enunciatiuis verò plurium instrumentorum iunctis adminiculis benè probantur, *Rota decis. 683. n. 4. p. 1. recent.*

14 Quintò probantur confinia per Testes, etiam de auditu, *Mascard. con. 395. Roman. cons. 92. sub num. 1. vol. 4. Hieron. de Monte, de finib. regund. cap. 51. Farin. in prax. crimin. q. 69. num. 130. Card. Pereir. de empt. & vend. cap. 21. num. 15.* Quod tanto magis locum habet, quando non simpliciter dicunt Testes, se audiuisse ab antiquis, sed explicant, & testantur ab ipsorum Maioribus, illos nominando, *Cravet. de antiquis tempor. vers. viso de forma num. 12. Hieron. de Monte d. cap. 51. nu. 9. Mastard. d. cons. 395. num. 7.* Quo casu probant etiam si singulares sint, *Mascard. d. cons. 395. num. 21. & concl. 753. num. 49.* dummodò dicti sui rationem reddant. *Farin. alios citans in prax. crimin. q. 70. n. 186.*

15 Sextò demum per famam publicam, & antiquam, *Ruin. cons. 92. num. 2. vol. 4. Hieron. de Monte d. tract. cap. 55. num. 20. & cap. 66. nu. 1. Dec. in cap. 1. de appell. vbi Franc. n. 20. & in cap. veniens, il 1. num. 11. de testi. Afflict. decis. 177. num. 2. Cassador. decis. 2. de probat. num. 2. & alii, quos citat Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 20. num. 39.* vbi, quod in probandis antiquis confinibus admittuntur plures probationes imperfectæ, ad constituendam unã perfectam, *cap. cum causam, de probat. Hieron. de Monte d. tract. cap. 51. num. 2. Mascard. conc. 343. num. 2. & seqq. Card. d. littera C. concl. 700. nu. 1. Rota decis. 334. num. 1. p. 2. recent.* vbi tenuit, in probatione confinium, quæ difficilis est, attendi adminicula, ideoque leuem sufficere probationem, licèt non sit omninò plena, *Hieron. de Monte d. tract. cap. 50. nu. 2. cum seqq. Paris. cons. 104. num. 24. & cons. 107. num. 7. & 8. vol. 1.*

16 Probatis autẽ confinib us, licèt currat axioma, Quidquid intra fines meos est, meum censeri, *l. fines C. de euict. l. æde sacra, §. intra maceriem, ff. de contrab. empt. Dec. cons. 271. n. 2. & cons. 109. col. 1. Paris. cons. 4. n. 1. lib. 4. Anton. Gam. decis. Lusitan. 230. n. 1.* Hoc tamen non verificatur in Diœcesibus, quia plures sũt Ecclesiæ inter confinia Diœcesum, quæ nõ sunt de illa Diœcesi, intra cuius fines continentur, de

17 quibus fexcenta adduci possent exempla. Proindè inoleuit adagium, aliud est, esse in diæcesi, & aliud est, esse de Diœcesi, etenim dictio, *in*, importat quidem intrinsicitatem, sed non substantiam, iuxta deducta, *à Barbos. in tract. var. diction. 152. n. 3.* Dictio autem, *De*, importat substantiam, *Soccin. iun. cons. 82. n. 11. vol. 3. Tiraquell. in tract. cessante causa, limit. 20. sub num. 32. Pauin. de potest. Capit. Sed. vac. in primo prælud. n. 1.* veluti si fiat legatum de bonis paternis debentur bona, *Corn. consil. 167. n. 14. vers. dictio enim, de, lib. 2.* vbi quod idem est dicere, de bonis, vel de substantia bonorum, ideoque summa legata de bonis, debetur in tot bonis. *Soccin. cons. 72. n. 10. cum seqq. lib. 3. Ruin. cons. 65. n. 3. lib. 2.* Pariter si dos debeatur à statuto Filiæ excluſæ de bonis defuncti, quod debeatur in substantia, & non de pecunia, *Menoch. de arbitr. casu 163. n. 25. cum duobus seqq. Card. Tusc. litt. D. concl. 26. Barbos. dict. 152. n. 22.* vbi ponens differentiam inter, *In*, & *De*, dicit, quod si mandatur prouideri de Ecclesia, importat omnem Ecclesiam, si verò, in Ecclesia, videtur excipi Ecclesia continens. *Calder. cons. 139. alias 28. de præben. Oldrad. cons. 305. in fin. n. 5. & cons. 304. n. 16. vers. non obstat. Gemin. cons.*

Digitized by Google

36.*in princ.* vbi si mandatur prouideri de dignitate in Ecclesia, talis gratia non capit vnicam dignitatem, quia si est vna dignitas, tunc dicitur Ecclesiastica dignitas, non autem in Ecclesia, *Zabarell. in clem. 1. §. 1. n. 7. in 6. q. de præben.* vbi quod dictio, *In*, quandò adiicitur Ecclesiæ, dicendo in Ecclesia, non comprehendit ipsam Ecclesiam, etiãsi aliud beneficium in ea non reperiatur.

18 Præceptum est in Concilio Carthaginensi, *relat. in can. placuit il 2. 27. q. 1.* nè vllus Episcopus alienas plebes vsurpet; sicuti, quod fines Diœcesum, & Parochiarum præscribi non possint, habetur, *cap. licet, cum seqq. 16. q. 3. cap. super eo, de paroch. Balb. de præscript. p. 6. n. 8. vers. dicimus. Menoch. cons. 147. n. 44.* Quod intelligendum est, quando limites sunt clari, & manifestè distincti, nè videlicèt oriatur confusio cum publico incommodo, tàm inter Prælatos, quàm inter subditos *text. in c. quicumque, & d.*

19 *cap. licet. 16. q. 3.* Ex quo conuincitur, Prouinciarũ, Diœcesũ, & Parochiarum fines in vtilitatem publicam, non priuata, sed publica auctoritate constitutos, & distinctos fuisse *c. 1. dist. 80. cap. 1. 13. q. 1. Trid. sess. 14. de reform. cap. 9. & sess. 24. de reform. cap. 13. in fin.* esseque publici iuris, *l. id quod 7. §. 1. ibi, limites, ff. de peric. & comm. rei venditæ,*

20 ac proindè immutabiles, imperscriptibiles, nè aliàs priuata cuiusque præscribentis auctoritate, sublatis antiquis, passim noui limites constituantur, & tàm in iurisdictione, quam in reliquis ad publicam vtilitatem pertinentibus frequens detur occasio incertitudinis, & confusionis. Quod non cõtingit in prædiorum finibus, qui nõ publici, sed priuati iuris sũt, ac cuiusuis auctoritate, & voluntate instituuntur, aut mutantur, *l. 1. C. fin. regun.* & confusio, quæ timeri possit, non ita principaliter publicum, sed magis priuatum respicit detrimentum,

21 Porrò licèt intra fines Prouinciæ, Diœcesis, aut Parochiæ admitti videatur aliqua præscriptio ad effectum, vt præscribens inter illos iurisdictionem exerceat, seù Episcopalia, aut Parochialia iura obtineat, vt colligitur ex *cap. auditis, & clarius cap. ad aures, de præscript. & cap. cum olim. eod. tit. in 6.* ipsi tamen fines præscribi non possunt ad effectum, vt desinant esse, vbi antea erant, vel restringantur, aliique extendantur, & sint, vbi non erant, quia dispositio *cap. super eo, de paroch.* hoc vetat, sicut è contra non offenditur, vbi manentibus finibus, sicut antea, inter illos præscribitur. *Barbos. cit. cap. 20. n. 28. in fin.*

22 Vbi verò non sint certi Diœcesum, & Parochiarum fines, triũ annorum spatio præscribuntur, quod intra limites Prouinciæ tantùm locum habet, *cap. 1. cum seqq. 16. q. 2. Hieron. de Monte de finib. regund. cap. 107. n. 2. Menoch. cons. 147. n. 44.* Quod idem suo modo dicendum est de Patriarchatu.

23 Episcopus item locum alterius Diœcesis ad Catholicæ Fidei vnionem conuertens, illum trium annorum spatio, nisi intra hunc terminum repetatur, præscribit. *cap. 1. de præscript. Couarr. in regul. possessor. p. 2. §. 11. num. 8. Anast. Germon. animaduers. lib. 1. cap. 20. per tot.*

24 Quod congruere videtur cum dispositione *l. qui agros. C. de om. agr. deser. lib. 11.* ubi qui agrum desertum ducit ad culturam, redditque fructiferum, illum præscribit, nisi dominus intra biennium, solutis expensis, illum recuperare festinauerit.

SEC-

SECTIO NONA.

De Monasteriorum, & Ecclesiarum vnionibus.

SVMMARIVM.

Vnionis beneficiorum definitio. num.1.
Vnio non fit, nisi plura sint beneficia vnienda.2.
Beneficium est terminus uniuersalis.3.
Beneficii nomine non venit culmen dignitatis.4.
Vnio in dubio præsumitur facta contemplatione Ecclesiæ.5.
Vnio duplex est, tẽporalis, & perpetua.6.
Vnio secundum Abbatem, quinque modis fieri potest. 7. Et quid occurrat in prædictis vnionibus. ibid.
Vnio communiter tribus tantùm modis fieri dicitur. 8. & seq.
Vnio fit, quando ex duobus Beneficiis fit vnum.9. & quid operatur. ibidem.
Vnio quandoque fit, vt vna Ecclesia subiiciatur alteri, & quid operetur. 10.
Vnio fit quandoque æquè principaliter, & quid operetur. 11.
Ecclesiis duarum Prouinciarũ æquè principaliter vnitis, quælibet remanet sub primo Metropolitano. 12.
Decreta Sacræ Congregationis pro Episcopo duarum Ecclesiarũ æquè principaliter vnitarum.13.
Decreta Sacr. Congr. in Valuen. & Sulmonen.14.
Decreta Sacr. Congr. in Sutrina, & Nepesina.15.
Decreta Sacr. Congr. in Calaguritana, & Calciaten.16.
Monasteria Cathedralibus Ecclesiis vniri possunt.17.
Vnio Monasteriorum Cathedralibus Ecclesiis rarissimè concedenda.18.
Promiscuis actibus officia turbari non debent.19.
Causæ ob quas vnio fieri possit.20.
Ecclesia, quandò dicatur pauper.21.
Vtilitas, ob quam facienda sit vnio. 22.
Vniones, quis facere possit.23.
Vnio ab allegante probanda. 24.
Vnio qualiter probetur. 24. & seq.
In vnione æquè principali quælibet Ecclesia remanet in statu suo, & retinet nomen, & antiqua iura. 25.
Vnio probatur etiam dismẽbratione. 26.
Dispositio de vniendis Monasteriis, vel Ecclesiis, non habet locum in retentione. 27.
In retentione Ecclesiæ, vel Monasterii, agitur de lucro temporali. 28.
In prouisione duarum Ecclesiarum, æquè principaliter vnitarum, non intercedit duplex coniugium spirituale. 29.
In prouisione alterius Ecclesiæ, prima retenta, initiatur nouum coniugium, durante priore.30.

LIcèt in Constitutione nostra nulla fiat mentio de vnionibus Ecclesiarum, sed tantùm de vnionibus Monasteriorum, illorum scilicèt Monachorum, qui non viuunt sub obedientia, & iurisdictione Abbatum Generaliũ, sed sunt exempta, & de quibus disputatur, vt suo loco videbimus. vtrum per obitum Abbatis, dicatur viduata Ecclesia, & in electione noui Abbatis seruanda sit dispositio, & forma *cap. quia propter de elect.* Quia tamen eædem causæ, quæ requiruntur pro vnione Monasteriorum, requiruntur etiam pro vnione Ecclesiarum, placet vnà de vtrisque discurrere, principaliter tamen de Ecclesiis.

1 Definitur vnio beneficiorum à *Rebuf. in tit. de vnionibus*, quem alii sequuti sũt, cum *Barbos. de iur. Eccl. lib. 3. cap. 16. in princ.* Quod sit beneficiorum, seu Ecclesiarum ab
2 Episcopo, vel alio Superiore facta annexio. Quam ità explicat: ideò dici, *beneficiorum*, quia non fit vnio, nisi plura sint beneficia, cum pluralis numerus duo ad minus requirat, *l. vbi numerus ff. de testi.*

Digitized by Google

testi.reg.pluralis,de reg.iur,in 6. Additur,*seu Ecclesiarum*,quia licèt beneficium sit terminus generalis, omnia comprehendens beneficia, maiora, vel minora, secularia,dignitates,& personatus,atque officia,*cap.*1.*de regul.iur.in* 6.*cap. extirpandæ*, §. *quia verò de prębend.* Nomine tamen beneficii regulariter non venit culmen dignitatis, hoc est Episcopatus,*cap. penul. de præben.gloss,in cap.*2. *eod.tit.in* 6. Sicuti è contra nomen Ecclesiæ comprehẽdit omnem Ecclesiam. Ex quo, subdit, sublatam esse omnem difficultatem,cum omnia beneficia secularia, & regularia, Episcopatus,& Archiepiscopatus vniri possint.

Addit deindè,*ad tẽpus,seu in perpetuum*, quia duplex est vnio, temporalis, quæ ad tempus,veluti quandò fit ad vitam eius, cui conceditur, sicque contemplatione personæ, per cuius mortem expirat,*cap. quoniam Abbas de offic. deleg.*Et perpetua, quæ fit,& exprimitur,vt in perpetuum duret,*cap. exposuisti de præben.* vel quando dicitur, ad perpetuam rei memoriam,aut ad Sedis Apostolicæ beneplacitũ, *cap.si gratiosè de rescript. in* 6.vel si contemplatione Ecclesiæ,*cap.* 1. *nè sed. vacant. & d. cap. si gratiosè*. In dubio autem præsumitur vnio facta contemplatione Ecclesiæ, quia Ecclesiæ magis fauendum est,quàm personæ, *d.cap.* 1.*nè Sed. vac.& cap.requisisti,de testã.* vbi legatum contemplatione Ecclesiæ potius, quàm personæ factum præsumitur,si contrarium non appareat.*Oldrad.cons.*257.*col.*2. *Barbos.d.cap.*16.*n.*4.

Quinq; modis vnionẽ fieriposse, *ex Host,notat Abb.in d.c.*1.*nè Sed. vacan.n.*6. Primò videlicet, quandò Ecclesiæ vniuntur, quò ad spiritualia tantùm,sicuti fieri cõsueuit in aliquibus Monasteriis, in quibus vtriusque Monasterii celebrantur exequiæ Mortuorum. Secundò per viam subiectionis, quandò vna Ecclesia subiicitur alteri, quo casu Ecclesia subiecta remanet sub iurisdictione illius, sub qua fuit constituta ab initio,nisi aliud in ipsa vnione expressum fuerit. *text. in cap. quia monasterium de relig. dom.* Tertiò. quando fit quò ad Prælatum tantùm,ità vt idem sit vtriusque Ecclesiæ Prælatus, quo casu in electione faciẽda,hæc duo Collegia conuenire debent,*argum. ca.Pastoralis,de rescript.*quod si non conueniunt,alternis vicibus sibi Prælatum eligent, *argum.Clem.* 2. *de iure patr.* Et si non concordant in prima electione fienda,stabitur verbis vnionis,vt primò nominata Ecclesia primam habeat electionem;aut ponant sortem de loco, quod prohibitum non videtur in *c. fin.de sortil.*quia loquitur ibi de elect.per sortem, sed in casu proposito de loco tantùm, vbi fieri debeat electio, me tamen remittendo saniori iudicio, Licèt autem hæc ita seruari possint, non sunt tamen de necessitate ; Sed tantùm quod de iure communi hæc duo corpora ad electionem communis Prælati conuenire debeant, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *cap. ad hæc,de offic. Archid.* Verùm de hac materia fusius vbi de electione. Quartò, quandò duæ Ecclesiæ vniuntur simul, quod dupliciter fieri potest, vel scilicèt quod vna vniatur alteri, vel ambæ simul. Primo casu nihil accidit Ecclesiæ vnitæ, nisi quod assumat priuilegia Ecclesiæ, cui vnitur;secundo verò casu sibi inuicem priuilegia communicant. Quintò demum fit vnio quando Ecclesia erigitur in Cathedralem, quod per solum Papam fieri potest, *cap.quod translationem de offic,lega.& cap.sicut vnire, de excess. Prælat.* &

tunc

tunc idem erit Episcopus vtriusque Ecclesiæ. *Hæc Abb.*

8 Cõmuniter tamẽ dicitur tribus potissimũ modis fieri vniones, *glo. in verbo vnire, cap. & temporis, 16. q. 1, & verbo vniendo, cap. 1. nè Sed. vac. Rebuff. d. tit. de vnion. 11. Garz. de benef. p. 11. c. 2. n. 3. Barbos. d. c. 16. nu. 7.*

9 Primo modo fit vnio, quãdo ex duobus beneficiis vnum fiat. *c. decimas ad finem 16. q. 1.* Quæ operatur, vt consuetudines, & priuilegia vnius, competant etiam alteri, & si contraria sint, meliora, & fauorabiliora conseruabuntur. *Petrus de Perus. de vnion. c. 2. n. 3. Gonzal. super regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 7. n. 28. & 55. Garz. de benef. d. cap. 2. n. 10.* sicuti operatur, vt qui sunt Canonici in vna Ecclesia, sint etiam in alia, & vnum Corpus efficiant. *Petr. de Perus. d. tract. de vnion. cap. 1. n. 6. & cap. 2. n. 3. Garz. d. cap. 2. n. 11.* Sicque beneficia vnius Ecclesiæ, censebuntur esse, & alterius *Put decis. 432. lib. 1. in correct.* Quem vnionis modum parùm frequentem asserit *Barbos. d. cap. 16. n. 6.*

10 Secundo modo fit vnio, ità ut Ecclesia vna subiiciatur alteri, seù alteri accessoriè vniatur, tuncque vnum tantùm est beneficium principale, quià accessoriè vnitum per vnionem remansit extinctum, *DD. in cap. cum accessissent, de constit. gloss. in verb. Ecclesias, in clem. per litteras, de præben. Garz. de benefic. p. 3. cap. 5. n. 10.* fuitque factum prædium principalis beneficii, *Verall. decis. 349. n. 1. p. 3.*

11 Tertio modo fit vnio duorum beneficiorum, seù Ecclesiarum inuicem, & æquè principaliter, vtroque remanente Episcopatu, vt erat priùs, & tunc vtraque Ecclesia erit principalis, fruetur quælibet suis priuilegiis, ac suorum statutorum dispositione, solumque operabitur vnio, vt idem vtriusque sit beneficiarius, Episcopus, aut Parochus, *gloss. verb. vnire d. cap. & temporis, 16. q. 1, & verbo vniendo, d. cap. 1. nè Sed. vac. Rot. dec. 114. n. 72. p. 2. diuers. Gonzal. d. gloss. 5. §. 7. n. 112. cum seqq. Garz. de benef. p. 12. c. 2. n. 37. Steph. Gratia, discept. forens. tom. 4. cap. 655.* Quod si istę duę Ecclesiæ ante vnionem diuersis Metropolitanis suberant, neuter ius suum perdit, *cap. quia, de relig. domi.*

12 Quod autem duo Episcopatus æquè principaliter vniti respectu Episcopi reputentur vna Diœcesis, & residendo in vna, factum alterius explere poterit, docet *Rebuff. d. tit. de vnion. n. 16.* Verùm super huiusmodi materia duarum Ecclesiarum æquè principaliter inuicem vnitarum, plura emanarunt Sacræ Congregationis rescripta; Et quidem in Ciuitatis Castellanæ, & Hortanæ, die 8. Iunii 1624. ad proposita dubia, Videlicèt.

13 *Primò, An Episcopus residens in aliquo loco eius Diœcesum, quamuis non resideat in Ciuitate Castellana, vel Hortana, satisfaciat suæ obligationi circa residentiam?*

Secundò in quanam ex dictis Ciuitatibus sit primò inchoanda Synodus, & an possit Episcopus cogere Clericos illius Ciuitatis, in qua non celebratur ad illi interessendum?

Tertiò, An quando Episcopus conficit Chrisma in vna ex dictis Ciuitatibus, Clerus illius Ciuitatis, in qua non conficitur, teneatur illud ab Episcopo accipere. Et an Episcopus ad illi interessendum possit cogere Clerum dictæ Ciuitatis?

Quartò, An Clerus Hortanus monitus ad recipiendum Oleum Sanctum, in spretum sui Episcopi accipiens illud ab alieno, possit aliis pœnis plecti, vltra peccatum mortale?

Quintò, An Episcopus volens in Ciuitate Castellana cognoscere causas ciuiles Hortanæ, & illius Diœcesis, & sic è contra, possit per se ipsum illas cognoscere, scribente Notario, quem maluerit, non solum processus causarum

Digitized by Google

rum, verùm etiam visitationum?

Sextò, An Episcopus existens in Diœcesi Hortana, in negotiis peragendis illius Diœcesis, possit se denominare Episcopum Ciuitatis Castellanæ, & Hortanę, aut Hortanę, & Ciuitatis Castellanę, & quomodò etiam denominari debeat, quandò existens extra territorium committit aliquid peragendum in aliqua ex dictis Ciuitatibus, seù Diœcesibus?

Ad primum. Episcopum in aliqua parte alterutrius ex Diœcesibus residentem suæ obligationi circa residentiam satisfacere, dum in aliqua ex suis Cathedralibus resideat temporibus à Concilio præscriptis, cap. 1. vers. eadem interim admonet, sess. 23. de reform.

Ad secundum. Proximam futuram Synodum esse indicendam, & celebrãdam in Ciuitate Castellana, in qua ad præsens Episcopus reperitur, & residet: deindè verò in Ciuitate Hortana, & sic deindè singulis annis obseruari debere, absquè tamen præiudicio partium, tàm in petitorio, quàm in possessorio iudicio, & donec articulus præcedentiæ plenè cognitus, & definitus fuerit. Cæterùm ad Synodum in altera ex dictis Ciuitatibus celebrandam, nequaquam teneri accedere Clerum alterius Ciuitatis.

Ad tertium. Clerum unius Ciuitatis, non solum teneri sacrum Chrisma, seù sacrum Oleum accipere ab Episcopo illud in alia Ciuitate conficiẽte, verùm etiam posse cogi, eidem Episcopo in eiusmodi ministerio assistere ad sacrorum Canonum præscriptum.

Ad quartum. puniri posse ab Episcopo.

Ad quintum. Episcopum in vna ex dictis Ciuitatibus existentem, posse per seipsum cognoscere causas alterius Ciuitatis, vel Diœcesis, adhibito Notario sibi beneuiso, tàm in processibus conficiendis, quàm in actis visitationum conscribendis, sed tamen debere habere rationem, vt id non passim, sed rarò, & æquæ ex causa fiat, & in arduis tantùm, & grauioribus negotiis, nè constitutio unionis eludatur.

Ad sextum, quemadmodũ Episcopus in Ciuitate Castellana, vel eius Diœcesi existens, Ciuitatis Castellanæ, & Hortanæ Episcopus est appellãdus, ità è conuerso, dum in Ciuitate, vel Diœcesi Hortana moram trahit, Hortanæ, & Ciuitatis Castellanæ Episcopum nuncupari, & inscribi debere. Quod si extra Diœcesim resideat, in negotijs ad Ciuitatem, & Diœcesim Hortanam pertinentibus, Hortanæ, & Ciuitatis Castellanæ, in spectantibus verò ad Ciuitatem Castellanam, & illius Diœcesim, Ciuitatis Castellanæ, & Hortanæ Episcopum esse denunciandum.

Simile quid accidit in Ciuitatibus Parmæ, & Placentiæ Serenissimi Ducis Farnesii, quarum vtraque habet iura regalia, quia in publicis edictis, & in aliis scripturis, quibus præponendus est titulus Ducis, & in cussione monetarum, Parmæ inscribitur Dux Parmæ, & Placentiæ; Placentię verò ponitur Dux Placentiæ, & Parmæ. Ipse verò nè cui magis fauere videatur, vbicumque reperitur, subscribit. P. & P. Dux.

14 In causa Valuen. & Sulmonen. cum Capitulum, & Clerus Valuen. conquesti essent apud Sacrã Congregationem, quod licèt extarent peculiares carceres in Palatio Episcopali Valuen. vbi Vicarius Episcopi morabatur, nihilominùs cum aliquis è Diœcesi Valuen in carcerem esset coniiciendus, Episcopus ad Sulmonen Ciuitatem duci mandabat, in maximum eorum damnum, & incommodum; Sacra Congregatio Concilii Tridentini, 17. Ianuarii 1604. Epistolas dedit ad Episcopum tenoris, qui sequitur. *Quamdiù Amplitudo tua Valuen, & Sulmonen Ecclesiæ, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia præest, ipsam vtriusque Ciuitatis, & Diœcesis, æquè prospicere decet; & propterea cum aliquis, ex Diœcesi Valuen in carcerem fuerit con-*

Digitized by Google

iiciendus, non ad Sulmonen. Ciuitatem erit duc endus, sed carceribus Valuè Palatii Episcopalis, vbi Amplitudo tua moratur, mancipare debebit, nè accedat squallori carceris, etiam itineris incommodũ, ac rerũ necessariarũ defectus, quas vltra propriam Patriã Consanguinei ægrè suppeditant, id summa æquitas postulat, & ab Amplitudine tua obseruari mandant Illustriss. Patres Concilii Tridentini Interpretes.

15 In alia causa Sutrina, & Nepesina, conquerente Sutrinæ Ciuitatis Capitulo de Episcopo, qui adstringebat Clericos ex Sutrina Ciuitate ad Nepesinã ire pro ipsorum causis, ead. Sacra Congregatio sub die 11. Maii 1594. mandauit Episcopo, *Quod si ità est, Vicarium statim deputet in Ciuitate Sutri, & mandet Officialibus Curiæ Nepesinæ, nè Clericos Sutri in aliquo molestent, nec se ingerant.*

16 Et in alia causa Calaguritana & Calciaten iuris corrigendi inter Episcopum Calaguritanum, & Capitulum Calciaten, præsuppositio, quod Episcopus Calaguritanus, & Calciaten sit vnicus, vnica Diœcesis, & vnicus Decanus; necnon præsuppositis decisionibus Rotalibus in hac causa factis, dubitatum fuit. An per Conc. Tridentinum, *cap. 6. sess. 25. de reform.* derogatum sit consuetudini immemorabili à Capitulo prætensæ, videlicèt, quod Episcopus volens procedere ad punitionem, correctionem, & carcerationem Capitularium Calciaten. delinquentium, ad præscriptum *d. cap. 6.* teneatur hoc facere in ipsa Ciuitate Calciaten, & in carceribus ibidem existentibus, non autem in qualibet parte dictæ suæ Diœcesis, vbi domum, & Tribunal habet? Eadem Sacra Congregatio die 7. Septembris 1630. Procuratoribus, & Aduocatis vtriusque partis auditis, iuribusque, & rationibus hinc, indè allatis, maturè perpensis, censuit, per Concilium Tridentinum, *d. cap. 6. sess. 25. de reform.* huiusmodi immemorabili consuetudini fuisse derogatum.

17 Non solùm autem Cathedrales Ecclesiæ cum Cathedralibus Ecclesiis, & Monasteria cum Monasteriis vniri possunt, prout ex supra recensitis Ecclesiis, aliisq; multis, tàm in Italia, quàm extra, sicuti in Delphinatu Diœsis, & Valentinæ, *Rebuff. de vnion. nu. 4.* Verùm etiam Regularium Monasteria ipsis Cathedralibus Ecclesiis vniri possunt, *tex. in cap. Quia Monasterium, de relig. domi. & cap. 1. nè sed. vacant.*

18 Quæ tamen vnio rarissimè, & non nisi urgentissima exigente causa concedenda videtur, quia cum Episcopus Ecclesiæ, cui unitur, fiat Abbas Monasterii vniti, non posset conuenienter seruari religio, ex quo diuersæ professionis essent; Propterea promiscuis actibus officia turbari nõ debent, *arg. C. de testa. l. consulta dixalia, & 89. dist. singula.* Insuper, quia materiam discordiæ communia causare solent, *l. cum pater. §. dulcissimis, ff. de leg. 2.* Et naturale vitium est, negligi, quod communiter possidetur, *glos. verbo, religio, d. cap. 1. nè sed. vacan.* faciunt, quæ diximus supra, *sect. 3. in coroll.* Quatenùs autem concederetur talis vnio Monasterii, Religiosi in eo degentes sub Prioris regimine gubernari deberent, & Episcopus certis redditibus esse contentus, nè hospitalitas, & eleemosynæ fraudarentur. *glos. loc. cit. verbo cæpimus.*

19

20 Causæ, ob quas vnio fieri possit, sunt necessitas, & euidens vtilitas. Necessitas est, si duæ Ecclesiæ sint pauperes, & ad victum duorum non sufficiant. *can. un. 10. q. 3. cap. postquam 16. q. 1. clem. ne in agro, §.*

ad

ad hac, de stat. Monach. glos. in cap. Clericis 21 *q.* 1. dicens eam Ecclesiam esse pauperem, quæ aliquem honestè, & sufficienter alere non potest, neque hospites recipere, aut quando sibi, suisq; nō sufficit. *glos. in authen. præterea, C. vndè vir, & Vxor.* Quod tamen remittendum esse Iudicis arbitrio vult *Rebuff. in d. tit. de vnion. n.* 39. Pariter si ab hostibus destructa, & desolata sit Ecclesia, *cap.* 2. *de relig. domib.* vel Populi decrementum, *cap. ad audientiam,* 2. *& cap. fin. de Eccles. ædific.* Item quandò Ecclesiæ sunt vicinæ, & populus mortuus est, vel sunt pauci, *cap. & temporis* 16. *q.* 1. Ex quibus colligitur, hostilitatis, vel paupertatis necessitate, Sedes Episcopales in vnam redigi, *c. fin. vers. hostilitatis* 25. *q. vlt. Rebuff. loc. cit. num.* 40. *Barbos. d. cap.* 16. *num.* 30. *& 38.*

22 Vtilitas verò est, quando propter tenuitatem fructuum, non inueniuntur idonei ad seruiendum illi Cathedrali Ecclesiæ, seù alteri beneficio, *cap. exposuisti, vbi Abb. & alii de præben. Barbos. loc. cit. num.* 41. *Vgolin. de offic. Episcopi c.* 12. *in princ. num.* 4. aut si fiat ad hoc, vt diuinus cultus augeatur, *cap. ex parte, de constit. Barbos. d. cap.* 16. *n.* 39.

23 Quis autem vniones facere possit, quantum ad Cathedrales Ecclesias attinet, & Monasteria, certum quod solus Papa facere potest, *cap. sicut vnire, de excess. Prælat. & cap.* 1. *de relig. domi. vbi omnes Doctores cum Barbos. de iur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 2. *vers. nono.*

Quò verò ad alia inferiora beneficia, videatur, *Rebuff. d. tit. de union. benef. & Barbos. de iure Eccles. lib.* 3. *cap.* 16. vbi latè dilucidant materiam, quæ ad nostrum non petinet institutum, cum de illis tantùm unionibus agamus, quarum examen, & discussio in Sacr. Congregatione rerum Consistorialium fieri debeat.

24 Cū unio sit aliquid facti, ideoq; ab allegante probanda, quando desunt instrumenta, vel aliæ scripturæ, probatur ex diuturnitate temporis immemorabilis, quod beneficium semper fuit tanquam unitum possessum, *Garz. de benf. p.* 11. *cap.* 2. *d num.* 229. ex Rotæ decisionibus ostendit, ad probādam unionem, requiri immemorabilem cum requisitis à *glos. in cap.* 1. *de præscript. in* 6. vel quadragenariam cum titulo habili ad præscribendum. Et *d num.* 239. ex aliis decisionibus subdit, quod

25 hoc solùm videtur procedere in unione accessoria, & extinctione, seù extinctiua tituli; secus in unione æquè principaliter, in qua beneficium, seù Ecclesia remanet in statu suo, retinetque nomen, & antiqua iura, & solùm agitur, ut unus sit Pastor, seù Episcopus utriusque, ideòque non ità resistit ius commune; ac proindè in tali probatione non erit necessaria immemorabilis, aut quadragenaria cum titulo, sed sufficit quadragenaria sine titulo, cum bona fide tamen. Probatur item in antiquis ex testibus de publica voce, & fama, *Rota decis.* 626. *n.* 4. *p.* 1. *& decis.* 724. *p.* 2. *recent.* Dummodò tamen cum fama possessionis de unito probetur etiam titulus, vt resolutum fuit in *Tiraſſonen. Vicariæ* 15, *Decembris* 1617. *coram Martino Andrea, & in eadem causa* 10. *Martii* 1623. *coram Pirouano.* Probatur denique ex dismembratio-

26 ne, quæ antecedentem unionem supponit perneceſſe, *Oldrad. cons.* 296. *num.* 4. *Caputaq. decis.* 344. *p.* 3. *Rota decis.* 371. *num.* 1. *p.* 1. *rec. & coram Buratt. decis.* 660. *num.* 4.

27 Notandū pro cōplemento, quod iuris dispositio de vniendis Episcopatibus in casibus suprapositis, non est inducenda contra ea, quæ dicemus inferiùs *sect.* . . de non concedenda retentione, seù

noua prouisione plurium Ecclesiarum, & Monasteriorum. Primò quidem, quia in prædictis unionibus attenditur necessitas,
28 seù utilitas Ecclesiæ, non sic autem in retentione, vel noua prouisione, quia non agitur ibi de necessitate, seù utilitate prædictis (unica excepta, nè bona Ecclesię rapiantur ab Hæreticis) sed de mero lucro temporali personæ, cui datur prioris Ecclesiæ, seù Monasterii retentio. Præterea in
29 prouisione Ecclesiarum inuicem vnitarum, non intercedit duplex coniugium spirituale, sicuti in retentione, & noua prouisione, sed vnum tantùm, quia si viduatæ Ecclesiæ, seù viduatis Ecclesiis prouideatur per electionem, vna tantùm fit electio à Canonicis utriusque Ecclesiæ coniũctim, ut supra dictum est, & una tantũ confirmatio; Quod si prouisio fiat per Papam, unum tantum habetur præconium, quod vim habet electionis, vnaque propositio, quæ vim habet confirmationis. In prouisione verò alterius Ec-
30 clesiæ, prima retenta, fit noua electio, nouaque confirmatio, seù noui actus in consistorio, ex quibus nouum initiatur spirituale coniugium, priore durante. Ac proindè locum habet axioma, quod à diuersis, non fiat illatio, *Barbos. axiom.* 114. *per tot.*

SECTIO DECIMA.

De Dismembratione.

SVMMARIVM.

Papa utrum possit erigere Cathedralem, dismembrando. nu. 1.
Imperator potest de vna Ciuitate duas facere, & de duabus unam. 2.
Sixtus Quintus plures Ciuitates erexit dismembrando. 3.
Pius Secundus Senensem Ecclesiam in Metropolitanam erexit. 4.
Gregorius XIII. Bononiensem Ecclesiam in Archiepiscopalem erexit. 5.
Sixtus Quintus Ecclesiam Firmanam in Archiepiscopalem erexit. 6.
Dismembratio qualiter fiat, & qualiter in ea procedendum. 7.
Burgen dismembrationis. 8. *& seqq.*
Rationes in facto pro dismembratione. 9.
Rationes in iure pro dismembratione. 10.
Rationes in facto contra dismembrationem. 11.
Rationes in iure contra dismembrationem. 12.
Epistola Reginæ Matris Hispaniarum. 13.

DIsmembratio ab vno Patriarchatu pro erigendo alio, siuè ab vna Prouincia pro alia erigenda, siuè ab vna Diœcesi pro noua erigenda Ecclesia, dupliciter contingere potest, aut motu proprio Summi Pontificis, vel ad partis instantiam.

1 Licèt enim moueat dubium *Franc. Marc. decis.* 1120. Vtrum Papa possit erigere nouam Cathedralem, dismembrando ab alia Cathedrali circa cõsensum illius Episcopi; Pro affirmatiua adducens, quod sicuti potest duos Episcopatus unire, *cap. præcipimus, & c. sicut duo* 16. *q.* 1. *cap. sicut unire de excess. prælat. cap. quod translationem, de offic. legat.* Sic etiam duos Epi-
2 scopatus ex uno facere possit. Prout pariter Imperator de duabus Ciuitatibus unam, ac de una duas Ciuitates facere potest, *Specul. in tit. de legat. §. nunc ostendendum, vers.* 5. *Bal. in l. rescripta, C. de precib. Imp. offer. cap. ad audientiam de Eccles. ædif.* Pro negatiua verò citans *cap. felix* 16. *q.* 1. *& cap. multis ead. caus. & q.*

3 Attamen in praxi statur pro affirmatiua, sicuti Sixtus Quintus, ad

Digitized by Google

ad honorandum natale ſolum, in Ciuitatem erexit Oppidum Montis alti in Prieno, ciuſque Eccleſiam in Cathedralem, ut conſtat ex bulla eiuſdem erectionis, quæ eſt 48. *in ordine Bull.nou. tom.2.* In qua præmittendo, ſe velle erigere prædictam Terram in Ciuitatem, nemine citato, vel audito, motu proprio illam, cum Portula, Patrignone, Monte-de-noue, Rocella, & Forcia, diſmembrat à Ripana Diœceſi; Nec non Mõtelparem Communantiam, Montem Monachum à Firmana, Caſtagnonam cũ ſuis locis ab Aſculana, eandemque Terram Montis alti, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, Beatæ Mariæ honorem, & Chriſti Fidelium deuotionis augmentum, erigit in Ciuitatem, prædictaque loca eidem aſſignat pro Diœceſi, cum clauſulis prægnantibus, ac derogatione regulæ, de iure quæſito non tollendo.

4 Sic etiam Pius Secundus, rationabilibus de cauſis animum ſuum mouentibus, ac de plenitudine poteſtatis, Senenſem Eccleſiam, de qua Ciuitate ipſe erat oriundus, in Archiepiſcopalem erexit, eidemque Suanenſem, Cluſinam, & Groſſetanam Eccleſias, quæ priùs ad Romanam Prouinciam pertinebant, ſicuti, & ipſa Senenſis, & Maſſanen, quæ ad Piſanam, ſuffraganeas conſtituit, vt in eius *Conſtit.3. Bull.nou. tom.1.*

5 Pariter Gregor. XIII. ad decorãdam Patriam ſuam, Bononienſem Eccleſiam de plenitudine poteſtatis in Archiepiſcopalem erexit, eidemque ſuffraganeas conſtituit Placentinam, Parmenſem, Regienſem, Mutinenſem, Imolenſem, Ceruienſem, & Cremenſem Eccleſias, à Metropolitanis Mediolanenſi, & Rauennatenſi diſmembratas, cum derogatione regulæ, de iure quæſito non tollendo, prout videre eſt ex eius Conſtitutione 17. *in ordine Bulla, nou. tom.2.* Quæ tamen Imolenſis, & Ceruienſis Archiepiſcopo Rauennatenſi reſtitutæ fuerunt a Clemente Octauo, *conſtitut.* 116. *Bull.nou.tom.3.*

6 Idem Sixtus Quintus ad decorandam Firmanam Eccleſiam, cui dùm Cardinalatus fungeretur honore, laudabiliter præfuerat, eam in Metropolitanam erexit, eidemque Maceratenſem, quæ priùs nulli ſuffragabatur, Tolentinam, Montis alti, & Sancti Seuerini Eccleſias, à ſe in Cathedrales erectas, ſuffraganeas aſſignauit, prout ex eius *Conſtitutione* 95. *Bulla.nou.tom.2.* In huiuſmodi enim caſibus locum habet diſpoſitio, *l. quod Principi placet, de conſtit.princ.*

7 Quatenùs verò, non motu proprio Papæ, ſed ad inſtantiam ſupplicantium deueniendum foret ad diſmembrationem, procedendum eſſet ſeruatis ſeruandis, citatis omnibus, quorum læderetur ius, neque deueniendum ad diſmembrationem ſine ipſorum conſenſu. Sicuti obſeruatum fuit ſub Pontificatu Gregorii XV. in diſmembratione Eccleſiarum Pariſienſis, in Archiepiſcopalem erigendæ, Carnotenſis, Aurelianenſis, & Meldenſis, ab Archiepiſcopatu Senonenſi, cuius erant ſuffraganeæ, & Pariſienſis tribuendæ. Auditus enim fuit idẽ Archiepiſcopus Senonenſis, qui diſmembrationi, pro qua inſtabat Galliarum Rex, cõſentire noluit, niſi ab ipſo Rege data ſibi, & pro ſucceſſoribus ſuis Abbatia Sancti Martini. Et quatenus requiratur conſenſus Epiſcopi, requiritur etiã conſenſus Capituli, quod Sede vacante in Epiſcopali iuriſdictione ſuccedit. *Barboſ. cum ibi citatis de dignit.& Canon. cap.42. nu. 61.& ità practicatur.*

8 Cele-

Digitized by Google

8 Celebris in hac materia dismẽbrandi ab vna Ecclesia, ad effectum aliam Cathedralem erigẽdi fuit causa *Burgen. dismẽbrationis*, in qua pro parte Capituli Collegiatæ Ecclesiæ de Santander, & eiusdem Oppidi prætendentium, & instantium, eam dismembrari à Metropolitana Ecclesia Ciuitatis Burgos, erigique in Cathedralem, & Oppidum in Ciuitatẽ, pro verificandis requisitis in *cap. præcipimus* 16. q. 1. *in extrau. Sedes Apostolica, Ioann. 22. de conc. præb. in extrau. Sedes Apostolica, de offic. deleg. inter comm. & in extrau. Saluator, pariter inter com. de præben.*

9 Adducebatur in facto, amplitudo Diœcesis Burgen; tàm in longitudine, quàm in latitudine milliarium 160. cum tresdecim Collegiatis Ecclesiis, Archipresbyteratibus sexaginta duobus, viginti octo Monasteriis, ac mille septingõtis quinquaginta quinq; Parochiis; lõgitudo itineris milliarium circiter nonaginta à Ciuitate Burgen, ubi residet Archiepiscopus, cum suo Tribunali, ad Oppidum de Santander, cum asperrimis montibus, durissimi, ac periculosi itineris pro maiori parte anni, adeout ob niues, ac flumina, frequentiùs non possit iter haberi absque maximis incommodis, atque euidenti discrimine vitæ. Quapropter Archiepiscopi pro tempore, vel nũquam, vel satis raro illam Diœcesis partem visitarunt; indeque plurima emergere inconuenientia ob dictam distantiam à Tribunali Archiepiscopali, & itineris asperitatem, & in specie cum dicta Collegiata Ecclesia de Santander de anno 1648. polluta fuisset, sic per duos annos remansit, ex quo Archiepiscopus ad illam reconciliandam illuc accedere non potuit; oppressiones pauperum à Potentioribus, Parochianos à Parochis malè tractari; eosdem Parochos, aliosque Sacerdotes maximæ ignorantiæ, scandalosos, & in cõcubinatibus viuentes, aliisque vitiis, ac vitæ illicitis libertatibus inueteratos; delicta, quamuis grauia, & notoria, remanere frequentiùs impunita; Sacramentum Confirmationis penè ignotum; pia legata, aliasque pias dispositiones non adimpleri, Ecclesiarum, aliorũq; piorum locorũ bona occupari, & dispergi; Ecclesias demum malè tentas, ac restauratione indigentes, non reparari; paramenta, sacraque vasa cum maxima indecentia teneri; quibus, aliisq; inconuenientibus cognitis, a pluribus Archiepiscopis præstitus fuit pro dismembratione cõsensus; Quinimmò instatum coram Regia Maestate, vt pro eadem Sanctæ Sedi Apostolicæ supplicaret.

Oppidum de Santander continere incolas mille cẽtum quadraginta quinque, scilicèt animas quinque mille, inter quas plures Feudorum possessores, & Vassallorum Dominos, Equites, Doctores, Nobiles, Diuites, Mercatores, alioque viros qualificatos, esse validis recinctum mœnibus, cum turribus, & arca fatissima, atque amplo maris portu; continere tria virorum Monasteria satis cõspicua, nempè Societatis Iesu, Sancti Hieronymi, & Sancti Frãciscí, duoque Monialium. Ecclesiam Collegiatã in Cathedralem erigendam esse magnificæ, & sumptuosæ structuræ, decenter, & splendidè ornatam, sacraque supellectili pomposè prouisam; habituramq; pro redditibus mẽsæ Episcopalis vndecim mille circiter scuta; Capitulum constare tribus Dignitatibus, nouem Canonicis, & duodecim Portionarijs.

Dioe-

Diœcesim futurã longitudinis sexaginta milliarium, & quadraginta latitudinis, cum quatuor centum quinquaginta Parochiis.

Antiquã Diœcesim Burgen remãsuram in lõgitudine, & latitudine centum milliarium, & vltra, cũ mille tercentum, & quinq; Parochiis, vltra plures Collegiatas Eccleſias, Archipresbyteratus, & Monaſteria; eiuſq; Eccleſiæ Burgen redditus, facta diſmembratione, remanſuros in ſcutis triginta millibus.

Adducebantur etiam plura diſmẽbrationum, & reſpectiuè nouarum Cathedralium erectionum exempla. Pro quorum omnium, & ſingulorum verificatione deductæ fuerunt plures teſtium depoſitiones, ſcripturæ, & inſtrumenta ad ſatisfactionem.

10 In iure autem à pluribus Aduocatis, & quidem primæ claſſis, adducebatur in ſubſtantia, quod quandò vnicus Paſtor ſingulorum vultus inſpicere, aliaſque partes boni Paſtoris adimplere non valet, & cum ferè impoſſibile reddatur per tàm latam, & diffuſam Diœceſim ad vnam tantùm perſonam ab Eccleſiaſticis, & Secularibus recurſum haberi, per neceſsè deueniẽdum ad aliquam diſmembrationem, & alterius Cathedralis erectionem, vt ea, quæ non valet vnus tantùm Antiſtes, ſaltem duo explere conentur, iuxtà diſpoſita in extrau. *Saluator de præbend. inter comm. Scraph. deciſ.* 428. *num.* 3. & pluribus comprobat *Franc. de priuil. Eccleſ. Cathed. cap.* 6. *nu.* 47. *cum ſeqq. & ſignanter. n.* 60. Nec refragare, quod Epiſcopus alios ad viſitandum deputare valeat, quia poteſt id admitti in caſu impedimenti accidentalis, vt innuit *Sacr. Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. *in princ. & magis apertè Barboſ. in collect. ad idem Conc. Seſſ.* 6. *cap.* 4. *nu.* 17. *& in tract. de iur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 6. *Secus verò, vbi difficultas, ſeu impoſſibilitas eſt continua, Lap. alleg.* 66. *ſub. num.* 2. *circa fin.* Etenim Epiſcopale munus nõ per Vicarios, ſed per ſeipſos explere debent Epiſcopi, vt exemplo Regis Gontramni docet *Baron. in ſuis annal. tom.* 7. *fol.* 637. *ac Petrus Gregor. de Republic. lib.* 10. *cap.* 3. *num.* 6. Idemque apertiſſimè eruitur ex ſacris paginis, ſignanter *Eccleſ.* 7. 24. vbi Spiritus Sanctus, Pecora tibi ſunt, attendito illis, quæ verba ſonant, Inſpice, & viſita, & *Prouer.* 37. *num.* 23. Diligenter attende vultus pecoris tui, tuoſq; greges conſidera. Et Saluator ipſe dixit in Euangelio, Paſtor proprias oues vocat nominatim, & eas educit, *Ioann.* 10, 3. Quomodò autem dari poterit talis vigilantia, talis agnitio, & talis nominatio in Paſtore, qui per ſe viſitare non valeat, ſed huiuſmodi curam aliis committat? Eſtque tritum in iure, quod viſitationes ab inferioribus Deputatis factæ, nõ ab Epiſcopis, dicuntur impropriè, *Fuſc. de viſit. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 16. *& 17. Gregor. deciſ.* 504. *num.* 6. ea nimirum ratione, quia, vt plurimùm tales Deputati, magis inuigilant propriis, quàm publicis negotiis, ideoquè, vel nullam, vel inanem operam impendunt, contra finem [illegible] viſitationum, quæ ſunt [illegible] reformationem inuentæ, *cap. vn.* 85. *diſ. Fuſ. de viſit. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 22. *& lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. *Merlinus deciſ.* 84. *num.* 3. Et indubitati iuris eſt, ob diſtantiã à Tribunali, & affluentiam Populi, deueniendum eſſe ad noui Epiſcopatus erectionem, præuia antiquioris diſmembratione, *c. præcipimus*, 16. *q.* 1 *cap. ad audientiam, il* 1. *vbi omnes ſcriben. de Eccleſ. ædif. Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de reform. ibique Barboſ. in coll. ſub n.* 11. *verſ. ob locorum diſtantiam,*

tiam, Clem. dudum §. numerus, vbi gloss. verbo exigit. de sepult. gloss. in cap. cum inferior, verbo Cathedralem de maior. & obed. Menoch. cons. 477. Ricc. in prax. for. Eccles. decis. 554. n. 1. Idque certiùs, quando ex distantia plura occurrunt itinerantibus discrimina, ob inaccessibiles Mõtes, ob niuium frequentiam, fluminumque inundationes, *gloss. in d. cap. ad audientiam, verbo magna difficultate de Eccles. ædific. Lap. alleg. 66. sub. n. 2. vers. sed quæro nunquid. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 18. nu. 24. 26. & 27. Franc. de priuil. Eccles. Cathed. cap. 6. num. 144. & seq. Barbos. de pot. Episc. alleg. 68. num. 1. p. 3. Rota dec. 484. num. 2. & 3. p. prima recent. & p. 2. decis. 288. num. 2. in med. & p. 7. decis. 68. num. 8. Greg. dec. 504. num. 8. Martin. Andr. 59. nu. 2.* Et ad summum, quandò aliqua supereſt dubitatio, an distantia loci, siuè altera causa pro similibus dismembrationibus allegata sit sufficiens, remittitur iudicis arbitrio, *gloss. in cap. vlt. 80. dis. Ricc. d. decis. 554. n. 5. Rebuff. in prax. benefic. tit. de erect. in Cathed. Barbos. de potest. Episcop. d. alleg. 68. num. 2. & 4. & in collect. ad Concil. d. cap. 4. num. 8. & 9.* Data verò sufficienti causa deueniẽdi ad dismembrationem, non habentur in consideratione facultatum, & diuitiarum diminutiones, neque dissensus eorum, quibus dismembratio præiudicat, quia spiritualia temporalibus sunt anteponenda, & utilitas publica priuatæ præponderat. *Lap. alleg. 41. num. 4. & d. alleg. 66. sub num. 3. vers. quæro igitur, & sub num. 15. Lotter. d. q. 18. num. 29. lib. 1. Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 68. num. 1. Ricc. d. dec. 59. num. 4. Francesc. cap. 10. num. 2. cum seq.* sunt que iura expressa in *d. cap. ad audientiam, ubi Abb. num. 16. de Eccles. ædific. & in decret. Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform.*

11 E contra verò pro parte Decani, & Capituli Burgen primò, & deindè etiam Archiepiscopi, contra dismembrationem à Diœcesi Burgen, & respectiuè contra erectionem Collegiatæ prædictæ de Santander in Cathedralem, fuerunt pariter in facto deductæ plurium Testium depositiones, scripturæ, & Instrumenta, quibus si nõ in totum elidebantur, multum obnubilabantur probationes pro dismembratione, & respectiuè erectione prædictis. Videlicèt facilitatem itineris à Ciuitate Burgen ad dictũ Oppidum de Santander, plures visitationes, & Sacramenti confirmationis administrationes ab omnibus ferè Archiepiscopis Burgen, Oppidum de Santander non continere nisi focularia ducentum nonaginta nouem, & populi pro maiori parte nauigationem, & piscationem exercẽtium; Ecclesiam minùs aptam, quæ in Cathedralem erigeretur; pluraque damna Ecclesiam Burgen ex tali dismembratione passuram.

12 In iure autem pariter a pluribus Aduocatis ex celebrioribus dicebatur, pro similibus dismembrationibus, & erectionibus, non attendi quamlibet difficultatem itineris, sed magnam esse debere, atque insuperabilem, veluti quandò itinera practicari non possunt, nisi per solos pedestres, cum magnis periculis, & risico vitæ *Cancer. var. resol. p. 3. cap. 3. n. 420. & seqq. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 28. a n. 29. vsque ad 33. Francesc. de Eccles. Cathed. cap. 6. n. 93. 154. & 178.* Tuncque ad dismembrationem, & erectionem respectiuè deueniri, quando talis adest necessitas, cui aliud remedium adaptari non possit; Sed si aliundè necessitati, & causæ prouidere est, nunquam permitti dismembrationem, *cap. 1. de rebus Eccles. non alien. Lap. alleg. 66. sub num. 6. vers. limitatur tamen, Lotter. de re benef. lib. 1. q. 83. nu. 31. Francesc.*

Digitized by Google

ceſ.d.cap.6.num.93.& 94.Rota deciſ. 223. num.10. & 11. p.6. recent. Sicuti ſacri Canones eam non admittunt in præiudicium alterius, *extrau. Sedes Apoſtolica, de offic.deleg.in princ. Piaſec.in prax.Epiſc.p.1. cap.5.num.1.Barboſ.collect. in Conc. Trid.ſeſſ.21. de reform. cap.4. nu.12.* Et ſignanter, quod antiquæ Eccleſiæ relinqui debeant omnia bona, emolumenta, & reditus, poſſeſſiones, aliaque iura quæcumque, *text.in cap. Eccleſia 43.& ſeqq.10.q.1.* Pontifices item non eſſe ſolitos diſmembrare, nouaſque erectiones facere citra conſenſum Epiſcopi, & ſine iuſta, & rationabili cauſa. *Mandoſ. de ſignatura gratiæ,verbo erectiones, Lotter. de re benef.lib.1.q. 11. nu.19. Solorz.de iur.Indiar.lib.3.c.5.nu.16. & 17. Franc.de Eccleſ.Cathed. d.cap. 6. num.45. & cap. 10. num. 60. & 84.* Quæ cauſæ per certas, & inindubitatas probationes verificari debent, *Lotter.d.lib.1.q.28.nu. 33. Rota coram Ottobono deciſ. 6. num.12.& in recent. deciſ. 224. num. 7.p. 10.* Quinimò non eſſe attendendum conſenſum Epiſcopi, eiuſque aſſertiones, quia in materia diſmembrationis non attenditur utilitas Prælati, ſed primariò, & principaliter vtilitas Eccleſiæ. *Rota in Crocouien. diſmembrationis decimarum, 3. Iunii 1650. coram Veroſpio,& in Comen diſmembrationis, dec. 224.num.11. p.10. recent.* In qua quidem materia cõtradictio unius tãtùm ſufficit, & ſuffragatur ad impediẽdam diſmembrationem, ex adductis in *Toletana Parochialis de Madrid 27. Iunii 1601. & 1. Februarii 1602.coram Corduba, apud Garz. de benef.p. 12.cap.3.num.6. in fin.verſ.non obſtat conſenſus.& in Albinganen. diſmembration s 14. Decembris 1654.coram Papien. §.deficit.* Addendum inſuper, quod negligentia Paſtoris nullatenus præbeat iuſtam causã diſmembrandi, *Rota deciſ.484.nu. 5.p.1, recent.& d.deciſ.6. num.18. coram Ottobono, & in Aquilẽen diſmembrationis 18. Februarii 1656.* Nec ſubſiſtere, *coram Meltio.* Quia Antiſtites viſitare,& confirmare negligẽtes,opportunis remediis, etiam cenſuris compelluntur. *Franc,de Eccleſ.Cathed,d.cap,6. nu 7.* Generaliter enim negligentia Prælati nullum præiudicium inferre poteſt Eccleſiæ,*cap.verò de condit.appoſ.vbi gloſſ.verbo, conditione,Abb.num.2. in fin. verſ.modus ergò, Rota coram Burat.deciſ.7. nu.12. verſ.ſiue quia Prælatus.* Qui licèt de rigore iuris cogi non poſſit, mutare ſedem, neque ſibi plures Vicarios Generales eligere, poteſt tamen, ſi velit,tàm ſimpliciter, quàm inſolidum, illos ſibi ſubſtituere, *Doctores in cap.1. de offic.Vicar.in 6. Valleſ.conſ.192. n.5. Barboſ,de offic,& poteſt.Epiſc.p.3.alleg.54.num.129. Sbroz.de offic.Vicar. lib.1.q.50.per tot.* Et de æquitate tantùm, data magna diſtantia, cum difficultate, & aſperitate itineris, tenetur, vt conſulat indemnitati ſubditorum, deputare plures VicariosForaneos ad vniuerſitatem cauſarum. *Innoc. in cap.ſanè, de for.comp. Barboſ. de iur. Eccleſ.lib.1.cap.15.ſub num.30. & de offic.& poteſt.Epiſc.p.3.alleg.74.num. 127. Rot.in Tiraſſonen iuriſdictionis 14. Decembris 1663. coram Vicecomite, confirmata 15. Iunii 1665. coram Ottalora.*

Negari non poteſt, quin propoſita cauſa in Sacra Congregatione rerum Conſiſtorialium, magna, ſeù maxima fuerit altercatio, aliis tàm ex Emin. Dom. Cardinalibus, quàm ex Prelatis, & Conſultoribus affirmatiuam partem, & aliis negatiuam tenentibus. Omnibus tamen,& ſingulis plenè conſideratis die 2. Septembris 1669.reſcriptum fuit: *Non eſſe locum diſmembrationi.* In-

Digitized by Google

stante post modum Capitulo Burgen pro impositione perpetui silentii, die 11. Februarii, 1672. responsum fuit negatiuè.

Non omittendum tamen, quod optante Serenissima Regina, Matre, & tũc Tutrice Catholici Regis Caroli Secundi, nunc feliciter regnantis, ac Regnorum Gubernatrice, eius Confessarium, Patrem Petrum Nidardum Societatis Iesu, posteà S. R. E. Cardinalem, fieri Primum, seù Maximum Hispaniarum Inquisitorem, cumque illi obstaret exceptio Nationalitatis, cum nõ esset Hispanus, Capitulum Burgen se promptissimum exhibuit ad mandatum Suę Regiæ Maiestatis præstare consensum ad fauorem dicti Patris Nidardi, eidemq; supplicauit, quatenùs dignaretur mandare Oratori in Vrbe, vt relinqueret, causam dismembrationis à Diœcesi Burgen, & respectiuè erectionis in Ciuitatem, & Cathedralem, petitæ à Collegiata Ecclesia, & Oppido de Santander, decidi prout de iure; sicuti ab eadem, scripta fuit epistola, tenoris, qui sequitur.

13 *Regina Gubernatrix. Marchio Asturicæ Consobrine Vir honorariæ Cameræ, & Orator in Vrbe. Pro parte Ecclesiæ Collegiatæ, & Oppidi de Santander, facta fuit mihi lata relatio motiuorum, quæ adfuerunt pro intentu erectionis noui Episcopatus in illis montaneis, & dismembrationis Archiepiscopatus Burgẽsis, longi temporis, à quo citra solicitatur, dum habuit principium à tempore Maiestatis Domini Regis Philippi Secundi, nec non Regem Domiũ meum, qui sãcta fruatur gloria, mandasse scribi epistolas ad suam Sanctitatem, & ad Oratorem, vt omnem instantiam faceret, ad effectum, vt insimul, & eodem tempore curreret prouisio Archiepiscopatus tunc vacantis, & ista erectio, dùm erant factæ informationes, & non peruenisse in tempore, ad effectum præsentandi epistolam, quam pro bono habui, scribere ad san. mem. Alexandrum Septimum in commendationem dictæ erectionis noui Episcopatus in districtu, quem vocant à Montibus infra, vulgo de Pennas abaxo, teque non potuisse in hoc particulari facere instantias, tibi à me iniunctas, eo quia priùs sa. me. Alexander Septimus è vita migrauerat, supplicando, quatenus mihi complacerem, iniungere tibi, vt eadem interponas officia apud Beatissimum Clementem Nonum; Et Ego ad eundem scriberem in ea conformitate, qua ad eius Antecessorem. At his visis in Consilio Cameræ, & agnito, hanc esse materiam iustitiæ, & inter partes, quodque non deceat, perpensum ostendere fauorem Regium pro aliqua ex illis, neque etiam scribere ad suam Sanctitatem, decreui præcipere tibi, prout per præsentem præcipio, quatenùs solicites apud Beatitudinẽ Suam breuem resolutionem huius negotii, adhibendo desuper omnia media, quæ iudicaueris necessaria, usque ad eius definitionem, absque eo, quod te perpensum ostendas, vt dictum est, pro aliqua ex partibus, & in eo mihi inseruies, &c. Matriti 27. Nouembris 1667. Ego Regina.*

Quam Epistolam, veluti omnium antecedentium reuocatoriam latè interpretantes Curiales Vrbani, qui optimè norunt aptare quadrata retundis, & oretenùs informando, nonnullas addiderunt rationes, ob quas, licèt extraiudiciales, crederem, potuisse intrare arbitrium, à iure tamen, & prudentia regulatum.



SEC-

Digitized by Google

SECTIO VNDECIMA.

De Cessione, seù Renunciatione.

SVMMARIVM.

Causa cedendi, & dimittendi Ecclesias. num.1.& seqq.
Cedendi causæ aliquæ tangunt animam. 2.
Causæ cedendi aliquæ tangunt corpus.3.
Causæ cedendi nonnullæ proueniunt ab extrinseco.4.
Episcopus ob conscientiam criminis, quàdò cedere teneatur.5.
Episcopus ob debilitatem corporis, quandò cedere teneatur.6.
Debilitatem corporis, non semper sequitur debilitas animi.7.
Episcopus ob infirmitatem non est compellendus cedere, sed dandus illi Coadiutor.8
Senectus, quæ reddat impotentem, relinquitur Iudicis arbitrio.9.
Scientiæ defectus, an præbeat causam cedendi.10.
Scientiæ triplex gradus.11.
Episcopus qua scientia pollere debeat. 12.
Ignorantia, an, & quando sit peccatum. 13.
Malitia Plebis quando præbeat causam cedendi. 14.
Episcopus propter scandalum, an cedere teneatur.15.
Scandalum, vt euitetur, an sit dimittenda iustitia.16.
Irregularitas, an præbeat causam cedèdi, aut cum ea dispensandum.17.
Inimicitiæ quando præbeant causam cedendi.18.
Aeris intemperies quando det causam cedendi. 19.
Boni non sunt dimittendi propter malos. 20.
Episcopus cedere potest, quando nulla supereſt spes correctionis.21.
Episcopo, quando compellitur cedere, danda est compensatio super fructibus.22.
Episcopus confirmatus, sed nondum consecratus, an ob superuenientem infirmitatem sit dimittendus. 23.
Licentiam cedendi petere, est ipsam cessionem offerre.24.
Papa cedendi licentiam concedente, est cessionem admittere.25.
Electio confirmationem in se continet.26.
Episcopus personaliter petens cessionem, resilire nequit.27.
Dictum Papæ Marcellini refertur. 28.
Resignationis causa proposita sufficit. 29.
Licentia cedendi à Papa concessa, non est locus pœnitentiæ.30.
Paria sunt, cedere, & post obtentam licentiam cedere velle.31.
Promissio cessionis pro cessione est habenda. 32.
Promissio renunciandi facta Principi, habetur pro renunciatione.33.
Bona fide semper agitur cum Principe. 34.
Pœnitentiæ non est locus, postquam Episcopus à Papa licentiam cedendi petiit. 35.
Gratia obtenta, non est ab illa recedendū. 36.
Iudicium Papæ, & Sacræ Congregationis ab aliis pendere non debet.37.
Personas Ecclesiasticas variatio dedecet. 38.
Commissum in Vrbe totus Orbis scit. 39.
In resignationibus, non priuatæ personæ vtilitas, vel necessitas, sed Ecclesiæ commoda perpenduntur. 40.
Episcopus in conscientia cedere tenetur, quando non est amplius profuturus. 41.
Ecclesia non vacat, nisi Papa in Consistorio absoluat à vinculo.42.44.& 48.
Ecclesia quando per libellum Papæ porrectum dicatur vacare. 43.
Vacare verbum, qualiter intelligi possit. 45.
Ecclesia, quando impropriè vacare dicatur. 46.
Proximè expellendus non habetur pro expulso.47.
Cedendi facultas non habet vim cessionis

nis, 48.
Licentia alienandi non est alienatio, 49.
Post rescriptum, constare de causis, requiritur noua instantia pro admissione cessionis, 50.
Chirographum consensus subscribere debet Episcopus pro absolutione à vinculo, 51.
Matrimonium spirituale, vt dissoluatur, requiritur consensus vtriusque. 52.
Spirituale Coniugium contrahitur per electionem, & confirmationem. 53.
Consecratio nihil addit ad vinculum spiritualis matrimonii. 54.
Spirituale matrimonium sicuti contrahitur in Consistorio, sic eiusdem solutio. 55.
Actus ad dissolutionem requiritur eadem solemnitas, quæ ad constitutionem, 56. *& seqq*.
Papa, an inuitum Episcopum transferre possit. 60.
Clausula, de plenitudine potestatis, non supplet defectum iuris naturalis. 61
Causæ petendi cessionem non omnes tangunt commodum Ecclesiæ. 62.
Episcopus, ob quæ crimina, cedendi licentiam petere debeat. 63.
Scientiæ defectus duplici ex causa prouenire potest. 64.
Irregularitas ex defectu natalium prouenit absque culpa. 65.
Debilitas corporis quandoque iuuat pro animæ salute. 66.
Infirmitas ob morbum incurabilem non est causa remouendi. 67.
Lepræ morbus non dissoluit matrimonium spirituale. 68.
Scandalum ex duplici causa prouenire potest. 69.
Malitia Plebis est causa extrinseca. 70.
Causis cessantibus, Episcopus à petita cessione recedere potest. 71.

1 CAusæ cedendi, & dimittendi Ecclesias, enumerantur in *cap. nisi cum pridem de renunc.* Quarum aliquæ proueniũt ab intrin-
2 seco, & animam tangunt, vt cõscientia criminis, irregularitas, graue scandalum, & defectus
3 scientiæ; & aliæ tangunt corpus, vt debilitas propter infirmitatẽ, vel senectutem; Aliæ verò proueniunt ab extrinseco, vt malitia Plebis, aeris intemperies, & capi-
4 tales inimicitiæ.

Propter conscientiam crimi-
5 nis, non solùm potest, sed tenetur Episcopus renũciare Episcopatui, *Abb. in d. cap. nisi cum pridem num. 3. D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 4. Redoan. de Simon. p. 2. cap. 3. num. 11. Fusc. de visit. lib. 2. cap. 28. num. 2. vers. & primò, Gig. de resid. Episc. cap. 17. num. 12. Flam. de resign. lib. 5. q. 3. num. 8. Tambur. de iur. Abb. tom. 1. disp. 13. q. 1. nu. 10.* quandò tamen est tale crimẽ, quod post peractam pœnitentiam impediat ordinis executionem, nempè Simoniæ, homicidii, & cuiuslibet infamiam irrogantis, *glos. in eod. cap. nisi cum pridem, verbo, dumtaxat, Innoc. n. 2. Abb. nu. 7. Flamin. d. q. 3. num. 8.* Quia cæterò in nullis penitùs peccare, diuinitatis est potiùs, quàm humanitatis, *l. 1. C. de veter. iur. enucl.*

6 Debilitas corporis ex infirmitate, vel senectute proueniens, & quæ reddit impotentem ad exequendum pastorale officium, & obeunda munia Episcopalia, ponitur inter causas, ob quas non solùm potest, sed tenetur Episcopus renunciare, *Gig. d. cap. 17. num. 12. Fusc. d. cap. 28. nu. 3. Flamin. d. q. 3. num. 3. Tambur. d. q. 1. num. 12.* contrarium tamen tenente *Abb. in eod. cap. nisi cum pridem, §. alia verò*, vbi, quod ad debilitatem cor-
7 poris non sequitur semper debilitas cordis, & intellectus, seù spiritus, sed potiùs augmentatio. Et si infirmitas, seù senectus reddat quem ex toto inhabilem ad
8 temporalia, dat quidem legitimam causam cedendi in volente; inuitus autem propter huiusmodi infirmitatem, ac debilitatem, cedere non est compellendus, sed ei dandus Coadiutor, *cap. ex par-*

Digitized by Google

parte de Cleric. ægrot. quia cæteroquin si sit vtilis,& necessarius Ecclesiæ, satiùs est sub umbra illius gubernari, quàm alteri personæ
9 commirti. *Abb.loc.cit.in princ.* Quę autem senectus dicatur, impotentem reddere Episcopum, ad exequendum officium Pastorale, remittitur arbitrio Iudicis, *Menoch.de arbitr.cas.*53. *Mascard.de probat.concl.*1295.*num.*8. *Flam. d.q.* 3. *num.*56. *& q.*6. *num.* 5. *cum seqq. aliique citati à Barbos.in eod.c.* Nisi *num.*9.

10 Defectus scientiæ, an sit simpliciter causa, vt quis licentiam cedendi petere possit, an etiam ad renunciandum compellendi, non concordāt Doctores. Etenim *Flamin.d.q.*3.*num.*83. hoc ampliat, vt propter defectum scientiæ,nō solùm Episcopo volenti, & petenti renunciare, sit concedenda licentia, sed etiam si non petat, vel nolit, compelli possit ad renunciandum. Cæteri autem tenent, defectum scientiæ præbere quidem iustam causam cedendi Episcopatui,non etiam ad dimittendum compellendi, *Gig. d. cap.* 17.*num.*13. *Fusch. d. cap.*28. *num.*4. *vers. ex defectu, Tambur. d. q.prima num.* 13. Quæ autem scientia re-
11 quiratur in Episcopo; Posita distinctione in scientiam eminentem, mediocrem, & sufficientē, ita vt scientia eminens dicatur illa, per quam nouit quispiam difficillimas quæstiones explicare, & in promptu diffinire sine librorum reuolutione; mediocris, per quam difficiles quæstiones deciduntur cum reuolutione librorum, & sufficiens, quæ requiritur secundum qualitatem officii, seù beneficii, *Abb. in cap. qualiter, & cap. cum in cunctis,de elect.* Quod tamen aliter explicat *Rebuff.in rubr.de reg. ad Prælat. nomin.*§.1.*verbo eminentis scientiæ,ubi referens Barbat.cons.*34. *præclarè col.* 18.*vol.*2. planè fatentem, se nunquam inuenisse aliquē adeò doctum,vt difficiles quæstiones sine reuolutione librorum explicare valeret,se conformat cum *Dec.in d. cap. cum in cunctis*, scientiam eminentem esse,quandò quis scit omnes quæstiones,etiam difficillimas iure decidere cum librorū reuolutione;mediocrem, quādo quis multos habet sibi pares; Et sufficientem, quandò quis per illam expedire scit ea, quæ sibi, & suo officio, seù muneri incumbunt, quod relinquitur arbitrio Iudicis, *Bonif.de Vital.in clem.* 1. *q.* 1.*de ætate, & qualit.* Ex quibus
12 patet, Episcopum saltem sufficienti scientia instructum esse debere; Et fortasse infra sufficientem, quandò imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis, *d. cap. nisi cum pridem, Salced. ad Bernard. in pract. cap.* 21. *in addit.litt.A.in fin.vers.aliquādo, Maiol.de irregul.lib.*1.*cap.*31. *num.*4. *& seqq.*

13 Vtrum autem ignorantia sit peccatum? Respondet *Ioann.de Anan.* quod si proueniat ex defectu,non est peccatum,sed pœna peccati,15.*q.*1.*quod autem,* §.1. Si verò ex negligentia, in quibusdā est peccatum, ut in iis, qui scire negligunt, vt norint ea, quæ ad eorum officium spectat expedire, *cap.*1. *&* 2.*dist.* 28. *Abb. in dicto cap.nisi,*§.*pro defectu.*

14 Propter malitiam Plebis, cuius causa Prælatus Plebi,& gregi sibi subditis doctrinam dare nō potest,cōceditur Episcopatus resignatio, *text.in d.cap. nisi cum pridem,vbi Innoc.num.*4. *Host. num.* 20. *&* 21. *Abb.num.*10. *Gig.d.cap.*17.*n.* 18. *Rebuff. in prax. benef. tit. de resignat.num.*10. *Fusch.d.cap.*18. *num.*5. Non tamen ob hoc cogitur Epi-
15 scopus renunciare, *Barbat.in eod.c. nisi,num.*13. Ratione scandali,non solùm posse Episcopum, sed debe-

bere Episcopatui renunciare, tenent *D.Thom.2.2. q.185. art. 4. Roman. singul. 794. Marsil. singul. 634. num.2. Couarr. in regul. peccatum. p.1. sub num.5. Tambur. d.q.1.n.14. Franc. Mar. decis.944. nu.1. p.1. Bellett. disquis. Cleric. p.1.tit. de disciplina Cleric. §.15.num.19.* ubi ampliat, etiam si Episcopus non sit in culpa illius scandali, & alii citati à *Barbos. in d.cap.nisi cum pridem, num.14.* quandò tamen aliter sedari non potest, *Abb. in cod.cap.nisi, §.pro graui quoq;* ubi, quod pro graui scandalo vitando renunciare quidem quis potest, sed non est renunciare cogendus.

16 Vtrum autem propter scandalum vitandū dimittenda sit iustitia? distinguendum videtur, quia si agatur de iustitia iuris naturalis, vel euangelica, hæc propter scandalum vitandum, nunquam est dimittenda. Si verò agatur de iustitia iuris positiui, hæc ad euitanda scandala, ex causa remitti debet, temperando, relaxando, atque etiam in certis casibus contrarium statuendo, vt notatur in *cap. proposuit de concess. præben. cap.1. de voto, & in cap. eum ad Monasterium, de stat. monachorum, Abb. in d.§. pro graui quoque in fin.*

17 Propter irregularitatem cedēdi licentiam Episcopum petere posse, *text. est in eod. cap. nisi cum pridem, vbi Barbos. n.15. de renunc. G.g. d.c.17.n.10. Fusc. d.cap.28.nu.7. Flamin. d.q.3. n.177. & 179.* vbi, quod stante irregularitate cogi possit Episcopus renunciare Episcopatui. Contra tamen *Abb. in eod. cap. nisi cum pridem, §. personæ verò*, quod propter illegitimitatem latentem non est quis deponendus, nec danda ei licentia cedendi, sed cum eo dispensandum.

18 Inimicitiæ demum, ob quas Episcopus citra periculum mortis in Diœcesi morari nō potest;

19 Nec non aeris intemperies, quia videlicèt Cœli, locique grauitas est contraria naturæ, præbent quidem iustam causam dimittendi, non tamen renunciare cogēdi, *cap. ad supplicationem, iunct. glos. & ibi Abb. & Barbos. de renunc. Flamin. lib.5.q.3.num.244. & 253. Fusc. d.cap.28.n.8.*

20 Distinguendum tamen, quia si non omnes sint mali, sed malis admixti boni, non sunt dimittendi boni propter malos *23.q.4. tu bonus, & c. aduersitas 7.q.1.* Nisi tamen alius magis proficere posset, quia tali casu Papa illum transferre deberet. *Abb. in d. cap.*

21 *nisi cum pridem, §. propter malitiam.* Si autem omnes sunt mali, supereest tamen aliqua spes correctionis, expectare debet Episcopus vsque ad desperationem, nec tàm citò dimittere. Quandò verò nulla spes adest correctionis, tunc cedendi licentiam petere potest. *Abb. ibid.*

22 Notandum verò, quod quandò propter scandalum, aut persecutiones, Episcopus renunciare cogitur, danda est illi recompensa, aut contracambium reddituum, vt viuere possit, nè mendicare cogatur, *cap. ad supplicationem, vbi Abb. Barbos. & alii, de Renunc. Flamin. d.q.3.num.176.*

23 Electus Episcopus, & confirmatus, nondùm tamen consecratus, propter morbum incurabilem superuenientem, an sit ex toto remouendus? distinguendum videtur, quod videlicèt si sine culpa sua id ei accidit, non sit remouendus; secus verò si culpa sua id sibi acciderit, *arg.c.1. de ætat. & qualit. glos. in cap. voluerunt, & cap. vn. de Cleric. ægrot. in 6. Abb. in cap. ex parte eod. tit.*

Nōnullis abhinc annis accidit, vt Episcopus, I. cum supplicasset Sanctiss. pro licentia dimittendi Ecclesiam, ob implacabiles inimi-

Digitized by Google

micitias, sibique illatas iniurias, nec non ob totius Diœcesis aeris insalubritatem, saluti suæ incessanter oppositam, sibique exitialem, confecto desuper processu, relatoque in Sacra Cõgregatione rerum Consistorialium, à qua emanauit rescriptum, *Constare de causis dimissionis*, approbatum à s. m. Clemente Decimo, postmodum ipsum Episcopum pœnituit, atque Ecclesiam dimittere recusauit; Quapropter Abbas M. cui data fuerat intentio de illum præficiendo eidem Ecclesiæ, adducendo *text. in cap. 12. de renunc.* cuius litera sonat, vt sequitur. *Quidam cedendi licentiam cum instantia postulantes, ea obtenta, cedere prætermittunt, sed cum in postulatione huiusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem propriá videantur attendisse, quorum neutrú suasionibus aliquorum, quærentium quæ sua sunt, seu etiam leuitate qualibet nolumus impediri, eos ad cedendum duximus compellendos*, obtinuit in eadem Sacra Congregatione proponi dubium, *An vacaret Ecclesia, vel Episcopus esset dimittere compellendus?*

24 Et pro primæ partis dubii affirmatiua resolutione adducebatur, quod petere à Summo Pontifice licentiam cedendi, est etiã ipsam cessionem offerre, *Maiol. de*
25 *irregular. lib. 3. cap. 6. num. 12.* & Sũmo Pontifice licentiam concedente, est ipsam cessionem admittere, & perficere, ideoque causæ cessionis priùs semper examinantur, non autem post impartitam cedendi facultatem. Si-
26 cuti dicitur, quod electio ipsa confirmationem in se continet, nec in ea desideratur quę fit à Superiore, qui etiam ex eodem, & non diuerso iure eligendi facultatem habet, & ambæ potestates in eo concurrunt, ut notat *gloss. 2. in cap. vt circa, verbo electiones, & gloss. in cap. 1. verbo, prouisionem, vbi Monach. & Archid. de elect. in 6. cap. inter Canonicos, vbi gloss. in verbo, confirmauit de elect. Nicol. Mil. in repert. in verbo confirmare, & verbo electio, Tambur. de iur. Abbat. tom. 1. disp. 6. q. 2. nu. 4. & 5. Rota post eundem tom. 3. decis. 25. num. 12. in Nouarien. Præposituræ 28. Iulii 1652. coram Verospio*, Quod idem procedit in solẽni postulatione *Ioa: Honor. in Summ. Decretal. lib. 1. tit. 5. num. 3. & 6. de postul.*

Eoque magis, attenta Episcopi exhibitione, non simpliciter postulantis pro licentia dimittendi, sed vera, perfecta, & approbatione consummata cessione, dùm ante pro illa exorauit Præsul, eamque admisit Pontifex, petendo nempè resignationem acceptari, eaque mediante in manibus Sãctissimi, à residentia eximi, quod est Episcoporum, præcipuum votum in coniugio cum Ecclesia, vt ait *Suarez de relig.* Propterea dictam Ecclesiam, tanquam dimissam prouideri posse, cum ipse Episcopus quantum ad se, & ex parte sui actum perfecerit, petendo dimissionem, illamque obtinendo; atque in Summi Pontificis libero arbitrio sit, quandocumque Sanctitati Suæ placuerit, dictam renunciatam Ecclesiam alteri conferre, cum de cessione ex dictis petitionibus superabundanter liqueat.

27 Neque alius consensus, aut alia cessio expectanda, cum iam Episcopus cesserit, & à cessione resilire non possit, quia à Papa acceptata, & ab ipso renunciante consensus, non per Nuncium, Epistolam, vel Procuratorem, sed personaliter petitus. *DD. communiter in d. cap. quidam, vbi Abb. n. 5. Imol. n. 8. Anton. de Butr. n. 10. Hosti. n. 5. vers. eos. Bellam. vers. primo, & vers. sextò oppono Cardi. Zabarell. in vers. quartò quæro Innoc. in verbo compellen-*

Digitized by Google

lendos, Ioann. Andreas. vers. Sed quid si Superior, Ioan. Anan. n.2. de elect. Bellam. in cap. solicitè de restit. Spol. n.2. in fin. & n.3.

28 Et quamuis dictæ instantiæ ab Episcopo Papæ, & Sacræ Congregationi factæ apertam cessionem importent, & renunciationem, confirmari hoc etiam potest ex sententia Card Bellam. controu. tom. 1. tit. de Concil. lib. 2. cap. 19. qui per verba à Marcellino Papa, & postea insigni Martyre in Concilio Sinuessano prolata, nempè, Peccaui coram Vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum, dictum Marcellinum renunciasse, existimat. Quidquid sit de eius historia, de qua Scriptores non concordant, & de qua Baron. tom. 2. ann. 308. n. 44. suspicatur, & reiicitur à Fr. Christiano Lupo in Synod. Gener. & Prouinc. decr. p. 5. de 5. Roman. Concil. capitulo 14. in fine. Dictumque Concilium iudicare noluerit, respondentibus Patribus, Prima Sedes à quoquam non iudicatur. Si ergò verba illa Marcellini Papatus renunciationis vim habent, eamque important, à dicto Episcopo exposita, & sæpiùs confirmata, multò magis Episcopatus dimissionem exprimere, & clarissimè præferre valent.

Prò secundæ verò partis dubii fauorabili resolutione, videlicet, Episcopum Ecclesiam dimittere fore compellendum, adducebatur text. ad litt. in d. cap. quidam 12. de renunc. & ad ipsius text. corroborationē (omissis insertis ad ornatum positionis, cuius titulus
29 erat, disquisitio) adducebatur in substantia, quod in Episcopatuum resignatione causa præsertim à iure recepta concurrente, ipsa sola petitio sufficiat, cap. sicut vir. & ibi Gemin. n. 7. & cap. qualiter. 13. q. 1. quocumque modo intentio Papæ, animusque exprimatur. Host. in d. cap. quidam, verbo, decernimus, dummodò Papa intentionem receperit, & ipsorum voluntatem intellexerit, cum sufficiat petitio Episcopi, & assensus Papæ. Gemin. & Præpos. in d. cap. qualiter in princ. vers. & clariùs.

30 Stante igitur dicta licentia à Sanctissimo ex legitimis causis cōcessa, patet, non modo non esse locum pœnitentiæ, nec à requisita Episcopatus dimissione Episcopum se retrahere valere, neq; alium ipsius consensum expectādum, cum iam per tot præcedentes petitiones Summi Pontificis voluntati se submiserit. Pulchrè Ioann. Andr. in cap. quod ob gratiam 61. num. 5. de regul. iur. in 6. Host. in d. cap. quidam num. 5. Abb. cons. 101. sub num. 1. & 4. circa med. Rota corā Coccino decis. 736. n. 8. & 47. Concessa namque per Pontificem dimittendi petita licentia ab ipsamet cessione non differt. Sunt
31 enim paria cedere, vel post obtentam licentiam cedere velle, Petr. de Anchar. in eod cap. quidam num. 1. Ioann. de Anan. n. 40.

Cumque agatur de resignatione exhibita, quæ à sola Episcopi petentis, & Papæ concedentis, seù admittentis voluntate pendet, ad euitandos circuitus, qui nihil substantiale postea in noua
32 subsequenti cessione adderent, promissio renunciationis pro renunciatione habenda est. Negue-rol. alleg. 6. num. 17. Mantic. de taci. & ambig. lib. 4. tit. 3. num. 14. Seraph. de priuil. iuram. cap. 23. num. 13. Tondut. q. ciuil. cap. 50. num. 7. & seqq. Cancer. var. resol. lib. 3. cap. 15. num. 252. & cap. 7. nu. 126. vbi etiam, quod eligendi promissio pro electione habenda.

33 Et quandò promissio renunciandi est facta Principi, quod eò magis habeatur pro renūciatione, tradit Menoch. cons. 92. nu. 31. Molfes. ad consuet. Neapol. tit. de re-

*renunc.q.*10.*n.*1.*to.*1.*Alciat.conſ.*18 *num.*15. *lib.*8.*& præſertim, num.* 4. quando adeſt ſuſpicio fraudis, nè poſt ceſſionem Papa decipiatur, conſenſus habetur pro præſtito in promiſſione. Etenim
34 bona fide ſemper agitur cum Principe. Et geminata petitio facit, quod præſumatur contra petentem, ſi pœniteat, *Hoſt.in eod. cap. quidam in princ.*

35 Præterea non fore pœnitentiæ locum, poſtquam Epiſcopus à Papa renunciandi licentiam petlit, & abſolutam obtinuit, ſimpliciter, & abſque vlla conditione, vt eſſet ſi propriæ conſcientiæ remiſiſſet, aut ſi executorum, quibus negotium commiſſum erat, factum expectaret, *Abb.& Laimon.in princ.lib.decretal.* quia res non eſt ampliùs integra *cap.in cauſis* 30.*cap.publicato* 58. *de elect. & ibi Butrig. num.* 14. *Sanch. conſ.moral.lib.*2.*cap.*3.*dub.*36.*n.* 29. vbi ſufficit, quod Superior cæperit de acceptatione iudicare.

Abſurdum enim nimis eſſet; vt poſtquam Romano Pontifici approbanda poſtulatio porrecta fuit, gratiaque obtenta, ab illa recederetur, contra *c.quàm peri-*
36 *culoſum* 7.*q.*1. Eſſet enim Summo Pontifici, Sacræ Congregationi, aliiſque Superioribus illudere, ſubſannatioque, & illuſio etiam his, qui in circuitu eius ſunt, inferretur, qui ſæpiùs ventilatis proceſſibus, poſt multas propoſitiones ſuper inſtantiis Epiſcopi reſcripſiſſent; & de cauſis dimiſſionis conſtare declaraſſent; Negociumque, in quo omnia inquiſita, & explanata fuerunt, cauſa cognita, tantaque cum maturitate decocta, ut inquit *Hoſt.in d.cap.quidam, in fin.* non ità faciliter ex ſimplici Epiſcopi leuitate, & pœnitentia reuocandũ, nec in eius poteſtate relinquendum, quandocumque illi libuerit, ac pro eius arbitrio, vel ab impetratis recedere, vel conceſ-
37 ſis vti. Maximumque ſcandalũ eſſet, permittere, iudicium Papæ, & Sacræ Congregationis ex illius arbitrio pendere, *c. bonæ, il 2.de poſtul.Præl.* ibi: Si enim poſtulatio ſubſcriptionibus poſtulantium roborata, & præſentata Romano Pontifici approbanda, poſſent ab ea recedere poſtulantes; Nobis frequenter illuderent, & iudicium noſtrum ex eorum arbitrio pendere videretur.

38 Perſonas enim Eccleſiaſticas variatio nimis dedecet, & ab illis eſt vitanda, *Pſalm. 43. ibi.* Et non receſſit retro cor noſtrum. Et præſertim re non integra, variare nefas eſt. *Campanil.in diuerſ. iur.can.rubr.*7.*cap.*6. *num.*68. Summeque deteſtabilis eſt ea, ex qua ſuperioris illuſio prouenit, *cap.*1. *de appell.gloſ.in d.cap. quidam, Clemen.cum illuſio, & variatio, & ibi gloſſ.in verbo illuſio de renunc.Felin. in cap.cum olim num.*5.*de ſent. & re iudic.Selua de benef.p.*3.*q.*16. *num.*3. *Mandoſ.conſ.*18.*num.*9.*&* 10.

Quæ omnia in maiori reſpectu habenda ſunt, cum cauſarum probationes, inimicitiarum nẽpè, & contumeliarum, aeriſque nocumenti fiant in Curia, quod,
39 vt vbique publicatæ dicantur, exuberat. Etenim quod in Vrbe commiſſum eſt, Orbis ſcit, ex *Baron.tom.*2. *ann.*342.*nu.*98. eoque magis ſi in Diœceſi, atque alibi notæ, & diuulgatæ eſſent, & dimiſſionis petitio, & Sacræ Congregationis, & Papæ conceſſio manifeſta. In re namque tàm graui, quam indulgere non ſolet Papa, niſi maxima cum difficultate, renunciationis, ac ceſſionis publicatio citatum, & feſtinum effectum inducere debet, ex *alleg. text.in l.* 1. *§.ſed, & qui, il* 2. *C.de lat.liber. tollen.& cap. publicato* 58. *de elect. ubi Imola,& cæteri*

Doctores, Butr. num. 3. Bellam. in eod. cap. quidam, vers. tertiò oppono, Host. in verb. prætermittunt, ex argum. ibi, ne ejsta petitio fiat, ità publicè, & solemniter; Ideoque cõcludit, quod nec in toto, vel ad minimum tẽpus dilatio toleranda, sed ad dimissionem cogendum.

Fortiùs ad cessionẽ deueniẽdũ, 40 quia in resignationibus huiusmodi, non priuatæ personæ vtilitas, vel necessitas (quæ etsi solũ spectaretur, posset etiã Pontifex licẽtiam Episcopis concedere, vt passim facit ex aeris insalubritate, quia vinculum matrimonii, inter Episcopum, & Ecclesiam contracti, non est iuris diuini, *Suarez de relig. tom. 3. lib. 1. cap. 16. num. 7. & 13. & per tot.*) Sed ipsius Ecclesiæ commoda perpenduntur, *d. cap. quidam, ibi*, quæ aliquorum suasionibus, quærentium quæ sua sunt, impediri non debent, ubi *Host. in fin. verbo neutrum*, aliquorum forsan Nepotum, vel Consanguineorum, aut Familiariũ, de subtractione præsepis, aut impedimento repletionis bursæ timentium, vel propria leuitate inconstantiæ, & variationis, atq; etiam cum detrimento ipsius famæ, cum variatio in viro leuitatis nota sit, *Senec. epist. 35.*

41 Vlteriùs Episcopus in conscientia renunciare tenetur, quando non adest spes, quod sit ampliùs profuturus, cum Episcopale munus, in Populorum cura consistens, implere nequeat, Ecclesiasticasque functiones peragere, ex aeris intemperie sibi contraria ineptus effectus sit, & iam despectus, & Populis suspectus, cum odia in eis duratura sint, iuxtà celebrem *text. in cap. nisi cum pridè de renunc.* Estque cõmunis Theologorum sententia, *Tolet. instit. Sacerd. l. b. 5. cap. 4. in fin.*

Quibus tamen cum pluribus aliis adductis non attentis, à Sacra Congregatione prædicta rescriptum fuit; *Neque Ecclesiam vacare, neque Episcopum dimittere compellendum.*

Ea ratio pro prima parte rescripti est, quia etiam si Episcopus Papæ supplicet pro admissione cessionis Ecclesiæ, & Papa 42 illam admittat, nunquam tamẽ vacat Ecclesia, nisi Papa in Consistorio absoluat Episcopũ à vinculo Ecclesiæ. Verum quidem est, quod si Episcopus porrigat supplicem libellum Sanctissimo, in quo dicat, se cedere, seù di- 43 mittere Ecclesiam, rogando Sãctitatẽm Suam, quatenùs cessionem admittere dignetur, & Secretarius memorialium à tergo eiusdem supplicis libelli rescribat, *Sanctissimus annuit*, Episcopus amplius resilire non possit, neque sit locus pœnitentiæ, vt ex iuribus pro hac parte superiùs adductis; Attamen non vacat Ecclesia, nisi Papa, ut diximus, 44 absoluat Episcopum à vinculo Ecclesiæ. In quo falluntur *Abb. & alii Doctores supra citati in d. cap. quidam*, præsertim qui rerum cõsistorialium peritiam non habẽt, dicendo, quod per admissionem cessionis à Papa vacet Ecclesia; nisi fortè *vacare* verbum intelli- 45 gant secundum illud axioma, quod de proximo accingendus habetur pro accincto. Cum enim ab admissione à Papa Episcopus amplius resilire nequeat, & in arbitrio Summi Pontificis existat illum absoluere à vinculo Ecclesiæ, *cap. quod semel, & ibi Din. num. 10. & 11. de reg. iur. in 6.* dicitur quodammodò Ecclesia vacare, non quidem verè, sed impro- 46 priè. Quod probatur ex eo, quia si verificaretur, quod per admissionem cessionis a Papa vacaret Ecclesia, posito, quod Papa deindè mandaret lacerari rescriptum admissionis cessionis, attenta vacatio-

cationc, vt ipsi opinantur, iterum proponenda esset Ecclesia in Cõsistorio pro eodem Episcopo, quatenus cõtinuare vellet, quod nemo sanæ mentis dixerit. Et è contra si Papa differret per aliquod tempus absoluere Episcopum à vinculo Ecclesiæ, restituere teneretur Episcopus fructus medio tempore perceptos, contra id, quod de proximo expel-
47 lendus, non habetur pro expulso, quin interim exigat, & consequatur fructus possessionis, quã habet, ad not. per *Anch. conf.* 285. *num.* 4. *& seqq.* ubi loquitur de eo, qui soluit Ioanni Bentiuolo, dùm eius imminebat expulsio è Ciuitate Bononię, quia iusta fuit exactio, maximè, quia expulsio esset dubia, licèt proxima, vt ex effectu secuto, *Felin. in cap. eam te, in fin. de rescript.* Propterea secundum hunc sensum intelligendi sunt Doctores citati in disquisitione Abbatis M, dùm asserunt, quod assentiente Papa petitæ cessioni, non expectatur alia cessio, neque petens sit amplius Episcopus illius Ecclesiæ; Videlicèt stare in arbitrio Papæ, præuia ab-
48 solutione Episcopi à vinculo Ecclesiæ illam declarare vacantem. Nullatenùs enim in dubiũ reuocari potest, quod nunquam vacet Ecclesia, nisi Papa, vt pluriès dictum est supra, in Consistorio absoluat Episcopum à vinculo Ecclesiæ, ut constat ex *cap. inter corporalia de transl. Episcopi cum concord. & decis.* 475. *p.* 1. *recent.*

Minus dicendum est, vacare Ecclesiam, si Episcopus non instat pro admissione cessionis, sed
49 supplicat tantùm pro licentia illam admittendi. Facultas enim obtenta, etiam constito in Sacra Congregatione rerum Consistorialiũ de causis dimissionis, non est cessio, neque habet vim
50 cessionis, sicuti licentia alienandi, non est alienatio, licèt plenè constaret de necessitate, vel euidenti vtilitate. Ac proindè quatenus Episcopus intendat complere cessionem, opus est noua instantia, qua in vim rescripti Sacræ Congregationis, *constare*
51 *de causis dimissionis*, Supplicet iterum Sanctissimo pro eiusdem cessionis admissione, & tunc annuente Papa, non erit amplius Episcopo pœnitentiæ locus, stabitque in arbitrio ipsius Papæ, absoluto Episcopo à vinculo Ecclesiæ, illam declarare vacantem, vt supra dictum est. Vel absque alia instantia, si Sanctissimus Ecclesiæ prouidere intẽdit, sufficit, quod Episcopus propria manu subscribat chirographum consensus absolutioni à vinculo Ecclesiæ, aut etiam eiusdem propositioni, consignandum Cardinali proponenti, inseren-
52 dumq; processui Consistoriali. Quarè autem non vacet Ecclesia, nisi absoluto de eiusdem consensu in Consistorio Episcopo à vinculo Ecclesiæ, ratio est, quia sicuti ad contractum matrimonii, tàm spiritualis, quàm corporalis, requiritur consensus vtriusque contrahentis; sic etiam ad illud dissoluendum requiritur consensus utriusque
53 partis. Et sicuti spirituale coniugium inter Episcopum, & Ecclesiam contrahitur per electionem, & confirmationem. *Abb. in d. cap. inter corporalia post initium, & n.* 8. *& seqq.* ubi quod Consecratio nihil addit ad vinculum spiritualis matrimonii, sed solùm potestatem exercendi ea, quæ sunt ordinis; seù per Præconiũ, quod habet vim electionis, & per Propositionem in Consistorio, quæ habet vim confirmationis; Ac proindè sicuti de solemnita-
55 te est, quod huiusmodi spiritualis matrimonii vinculum con-

trahatur in Consistorio; sic etiã absolutio à dicto vinculo in Cõsistorio fieri debeat, *ad not. per Natt. in l. hac consultissima, §. ex im-*
56 *perfecto, C. de testa.* vbi quod in dissoluendo actu, requiritur eadem solemnitas, quæ ad huiusmodi actus constitutionem, & perfectionem adesse debet, quia quælibet res per easdem causas dissoluitur, per quas nascitur, & ponitur, *cap. 1. de reg. iur. c. omnis res 27. q. 2. & l. nihil tã naturale, ff. de reg.*
57 *iur.* Etenim actus resolutio eiusdem est naturæ, cuius est constitutio, *Ias. in l. omnium, in 5. not ab. C. de testi. Dec. & Cagnol. in d. l. nihil tàm naturale.* Et uniuersaliter in
58 contractibus dissoluendis eadem requiritur solemnitas, quæ & in constituẽdis, *authen. è contra, C. de repud. Alexan. cons. 209. nu. 23. vol. 2. Ias. cons. 141. num. 2. vol. 4. Felin. in cap. cum, accessissent num. 5. de constit. Bart. in l. actor, num. 9. ff. rem*
59 *ra. hab.* vbi pariter, quod ea omnia ad actus destructionem requiruntur, quæ de necessitate adhiberi debent in constitutione, *idem Bar. in l. & ideò, ff. de cond. furt.* vbi quod resolutio eiusdem naturæ iudicatur, cuius est ipse contractus, *Surd. decis. 128. nu. 10. & seqq.*

Proindè ob huiusmodi rationes, nunquam mentem meam illi opinioni accommodare po-
60 tui; quod Papa inuitum Episcopum transferre valeat, quia clausulæ, *supplicantes omnes iuris, & facti defectus, & de plenitudine potestatis*, non intrant in iis, quæ
61 sunt iuris naturalis, vt est consensus in statuendis, & dissoluendis contractibus, ex deductis à *collect. Barbos. in tract. variar. clauss. 177. num. 8. & clauss. 42. num. 28.* quidquid sit, an Papa, attenta necessitate, vel euidenti vtilitate, cogere possit Episcopum opportunis iuris remediis ad præstandum translationi consensum.

Quod attinet ad secundam partem rescripti Sacræ Congregationis, videlicet *Episcopum Ecclesiam dimittere non esse compellendum*, fuisse omninò iustum, constat ex intellectu eiusdem *cap. quidam, de renunc.* In quo statuitur, quod Episcopi, obtenta licentia à Sede Apostolica cedendi Ecclesiis, compelli debeant ad dimittendum, cum addatur pro motiuo, quod *in postulatione cedendi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, vel salutem videantur propriam attendisse*, scilicèt salutem animæ, quia fortasse norunt, se Ecclesiam cum bona conscientia retinere non posse, vt explicat *ibid. Abb.* si litera diligenter examinetur, prout iura consideranda sunt, atque intelligenda secũdum sensum, qui cadit in mente periti, atque subtiliter intelligentis, *Abb. in cap. inter corporalia, num. 14. de transl. Episc.* Sequitur perneceſse, quod dispositio *text. in d. cap. quidam*, qui in huiusmodi materia compellendi, ad cedendum Ecclesiis, est unicus, locũ habere non debeat, nisi quando intrat commodum Ecclesiæ, aut salus animæ cedere petentis, ex illa communi regula, quod lex non dicit, nec nos dicere debemus, quam exornat *Barbos. axioma. 136. num. 4. & 7.*

62 Satis autem est notum, causas petendi licentiam cedendi Ecclesiis, non omnes tangere commodum Ecclesiæ, aut salutem animæ dimittere petentis, sicut tangit conscientia criminis, quod post peractam pœnitentiam impedit officii, seù ordinis executionem, nempè simoniæ, homicidii, & cuiuslibet infamiam irrogantis, *glos. in cap. nisi cum pridem*,
63 *verbo dũtaxat, de renunc.* vbi quod in istis criminibus, quæ post peractam pœnitẽtiam ordinis exe-

cu-

Digitized by Google

cutionem impediunt, licentiam petere debet Episcopus, quia pœnitere non potest absolutè, nisi renunciet, cum illicitè retineat.

64 Etenim defectus scientiæ, scilicèt ignorantia spiritualium, & temporalium, in quibus Episcopus debet esse peritus, cum alios docere teneatur, 1. *q.7. conuenientibus*, prouenire potest, tàm ex malitia nolentis vacare doctrinę, quæ dicitur ignorantia crassa, & supina, quàm ex debilitate phantasmatum, aut aliquo accidente, quo lædatur memoria.

65 Irregularitas ex defectu natalium prouenit ex solo iure, sine culpa subiecti, & cum non dicat culpam intrinsecam, de facili est dispensabilis, vt omnibus est notum.

66 Debilitas corporis ex senectute proueniens, licèt inhabilem reddat, ad exercenda munia Episcopalia, non tamen afficit animam, sed tantùm corpus. Quinimò quandoque animæ saluti melior est, quàm sanitas, vt vidimus supra.

67 Infirmitas ob morbum incurabilem, vt lepra, licèt inhabilè reddat ad officium Episcopale, non tamen animam tangit, sed corpus, vt de se patet. Hanc autem non esse causam remouendi, sed Coadiutorem dandi, quo prouidetur Episcopo, & Populo, traditur, *in cap. de Rectoribus, cum duobus seqq. vbi Abb. & alii de Cler. ægrot.* Populo quidem, quia habet exercere, & supplere officium ægrotantis, & Prælato in-

68 firmo, quia coadiuuat ei in officio suo, *Abb. in cap. tua nos, num. 4. de Cler. ægrot.* vbi, quod propter malum lepræ dissolui non debet matrimonium spirituale, cum prouideri possit per dationem Coadiutoris, sicuti dissolui non potest matrimonium carnale, seù corporale.

69 Scandalum prouenire potèst, tàm ex malis moribus Episcopi, quod dicitur scandalum actiuũ, quàm à corruptis moribus Populi, sine culpa Episcopi, quod esset scandalum passiuum.

70 Malitia Plebis, inimicitiæ, & aeris intemperies, sunt causæ merè extrinsecæ, non tangentes animam Episcopi, qui vtplurimum inimicitias ob defensionẽ Ecclesiasticæ libertatis incurrit.

Si igitur Episcopus instaret pro licentia cedendi, & dimittendi Ecclesiam, ob aliquam ex dictis

71 causis, animam, seù conscientiam non tangentibus, eaque, seruatis seruandis, obtenta, euanescerent causæ, ob quas motus fuerat, ad instandum pro dicta licentia, vel faciem mutarent, nescio videre per me, cur esset cõpellendus Episcopus, ad renunciandum, cum hoc non reperiatur in iure cautum, quia *text. in d. cap. quidam*, respicit tantummodò, vt diximus, commodum Ecclesiæ, vel salutem animæ ipsius cedere petentis. Propterea non solùm iura supra deducta, sed ipsa ratio naturalis dictare videtur, quod tunc, & non aliàs Episcopus cogi possit ad cedendum Ecclesiæ, quando in conscientia cedere tenetur; Non verò quandò causæ, ob quas cedendi licentiam petiit, respiciunt solum fauorem, & commodum temporale ipsius petentis.

SECTIO DVODECIMA.

De Permutationibus.

SVMMARIVM.

Permutationis definitio. num. 1.
Beneficium, permutationis causa resignatum, aliàs conferri poterat, exclu-

so

so permutante. 2.
Beneficium resignatum causa permutationis hodiè conferri non potest, nisi permutanti. 3.
Permutationis requisita. 4.
Permutationis causa est dispicienda. 5.
Permutatio requirit consensum illorum, ad quos præsentatio, seù electio spectat. num. 6. & 10.
Permutationi, quando Patronus non possit denegare consensum. 7.
In permutatione, an debeat fieri mentio de Beneficiis. 8.
Requisita ad permutationem, non omnia locum habent in permutationibus Cathedralium, & Monasteriorum. 9.
Permutatio requirit legitimam causam. 11.
Permutationis causa, an respiciat vtilitatem Ecclesiæ, vel etiam personarum permutantium. 12.
Permutatio fieri debet pro causa spirituali. 13.
In permutationibus quando peccatum intercedere possit. 14. & seq.
Permutatio quando fieri possit ob vtilitatem personarum. 15.
Permutatio semper requirit vtilitatem Ecclesiæ, vel saltem consecutiuè. 16.
Permutatio ob vtilitatem personarum de facili non admittenda. 17.

1 DEfinitur, seù describitur generaliter permutatio, quod sit certæ rei, ad alteram facta mutua præstatio, *l. 1. ff. de rer. perm.* nomine autem rei, comprehendi etiam Beneficium Ecclesiasticum, constat ex *toto titulo de rerum permutat. in antiq. sext. & clem.*

2 Licèt autem aliàs de iure antiquo posset alteri conferri Beneficium, permutationis causa resignatum, excluso permutante,

3 *cap. inter de præb.* Hodiè tamen alteri, quàm permutanti facta resignatio nullius est momenti, *cap. vn. de rer. perm. in 6. & clem. un. eod. tit. Bertran. cons. 323. vol. 1.*

4 Ad cuius permutationis in beneficialibus validitatem viginti requisita notat *Rebuff. in prax. benef. tit. de permut. per tot.* Quorum aliqua tantùm hic referemus. Primò videlicèt, quod ab vtraque parte Beneficium resignetur, *d. cap. vn. de rer. permut. in 6.* Secundò, vt fiat collatio Beneficiorum ex causa permutationis vacantium, *d. Clem. vn. de rer. permut.* Tertiò, quod nomina, & cognonima amborum in literis permutationis exprimantur, *cap. inter, de præb.* Quartò, vt vterque ius habeat in Beneficio, *l. 1. ff. de rer. permut.* vbi Prætor ait, nullam contrahi permutationem, si res aliena datur, quià datum non videtur, quod retineri non potest.

5 Quintò, vt intercedat legitima causa, quæ disquirenda est, *cap. quæsitum, ubi DD. de rerum permut.* Sextò, vt per eum ad quem spectat, conferatur, *d. cap. quæsitum.*

6 Septimò requiritur consensus illorum, ad quos præsentatio spectat, vel electio, *gloss. in clem. vn. eod. tit. Felin. in cap. cum Bertoldus col. 5. de re iudic.* Qui tamen con-

7 sensus, attenta vtilitate Ecclesiæ, denegari non poterit. *Abb. in cap. nullus, de iurepatr.* Octauò, quod spiritualia cum spiritualibus, nõ cum profanis commutentur, *Federic. in tract. de permut. benef. q. 13.* & quidem cum spiritualibus, eiusdem generis, non alterius e. g. permutando decimas, vel ius patronatus cum beneficio, *DD. in cap. fin. de rer. permut.* Nonò, vt Beneficium pacificè possideatur, nec sit litigiosum, *cap. si beneficia, de præbend. in 6.* Decimò, quod permutans non habeat aliud diuersum ius in Beneficio permutato, *Rebuff. loc. cit. num. 26.* Vndecimò, nè qui primò resignauit, moriatur, antequam alter compermutans resignet, *Rebuff. loc. cit. num. 29.* Nisi Papa derogauerit

Digitized by Google

rit regulæ de viginti. Duodecimò, vt in noua prouisione causa permutationis, fiat mentio de Beneficiis, quæ permutantes retinent, ac de illorum qualitatibus, *Rebuff. loco cit. nu. 34.* Contra verò *Ecderic. in tract. de permut. benef. q. 18.* vbi tenet, permutationē valere, non facta mentione aliorum Beneficiorum. Decimo tertiò, nè in permutatione fraus interueniat, quia quamuis licitum sit, vnum Beneficium cum pluribus, & plura cum uno Beneficio permutare, ex inæqualitate tamen præsumitur fraus, præsertim si iuncta sit cum aliis coniecturis, *cap. ad quæstiones, vbi DD. de rerum permut.* Item quando Beneficium erat de proximo vacaturum, *cap. commissa de elect. in 6. & cap. ex transmissa de renunc.* Pariter, quando fit permutatio cum Capellania, vel Canonicatu fictis, & nullius momenti, quia nemo præsumitur iactare suum, *l. cum de indebito, ff. de probat. Paris. cons. 130. col. 1. & 2. vol. 4.* vel si fiat permutatio cum sanguine iunctis, *Paris. d. cons. 130. post Bart. in l. post contractum, ff. de donat. Abb. in cap. 1. de Cleric. non resid.* Aut cum is, qui renunciauit, semper remanet in possessione Beneficii resignati, *l. sicut, §. superuacuum, ff. qui. mod. pign. vel hyp. solu.* Decimoquartò, vt fiat publicatio resignationum causa permutationis, iuxtà dispositionem regulæ Cancellariæ de publicandis resignationibus. quæ omnia latiùs refert *Garz. de benef. p. 11. cap. 4.*

9 Quæ quidem requisita, dempto septimo de cōsensu illorum, ad quos præsentatio, vel electio pertinet, vix possunt habere locum in permutationibus Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ coram Summo Pontifice fieri debent, earumq; causę discuti in Sacra Congregatione rerum Consistorialium.

10 Quem consensum, quod attinet ad Regem Franciæ, in permutationibus Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Prioratuum, quas fieri contingat in Regno Franciæ, omninò requiri, tenet *Rebuff. super concord. in rubr. de reg. ad prælat. nomin. §. 1. in verbo etiam per cessionem*, ea ratione, quia cum in cessione permutationis causa Ecclesia vacare dicatur, & occurrente vacatione, Rex nominare possit, per consequens ad illius consecutionem permutationis causa requiritur illius consensus. Quod innititur etiam dispositioni iuris communis in *cap. cum dilectus, & ibi Anchar. in 4. notab. de iurepatr.* Quod idem absque dubio ob easdem rationes obseruandū videtur in permutationibus Ecclesiarum, ad quas Reges, & Principes præsentandi, & supplicandi ius, & facultatem habent.

11 Cum autem ad permutationē requiratur legitima causa, *cap. quæsitum de rerum permut.* disputāt Doctores, an permutatio fieri debeat ex causa necessitatis, vel

12 utilitatis Ecclesiæ, an verò ex sola expedientia, & utilitate personarum fieri possit; Et quidem requiri videtur necessitas, seù vtilitas Ecclesiæ, *d. cap. quæsitum, vers. si autem Episcopus, & tradunt Anchar. Bellam. & alii, Boer. decis. 205. n. 7. Flam. Paris. lib. 11. q. 5. n. 27. Zerol. in prax. Episc. p. 1. verbo, renunciatio, seù permutatio, §. 3. dub. 5. D. Thom. in 4. sent. disput. 25. q. 3. art.*

13 *3.* vbi quòd permutatio fieri debet pro causa spirituali, nempè, vt meliùs Deo seruiatur, seù, vt tali loco possit quis meliùs Deo seruire, aliàs si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius fiat permutatio, sit simoniaca. Quem sequitur *Siluester. verbo permutatio, 2. num. 3. & Ioan Bapt.*

Digitized by Google

14 *Bapt. Corras. in respon. cas. consc. q. 24. Vgol. de Simon. cap. 24. §. 1. num. 6.* vbi ait, quod simonia committitur, vel certè peccatur, quando non ob necessitatẽ, aut utilitatem Ecclesiæ, ideoque, vt meliùs Deo seruiatur, permutatio fit, prout est facienda, sed ob terrenum commodum, nullo habito respectu ad Diuinum cultum. Quapropter qui Beneficium permutat cum alio ob id, e. g. quod ubi aliud est Beneficium, venationibus, vel aliis deliciis operam dare possit, non est tutus in conscientia.

15 Quod verò ad permutationẽ sufficiat expedientia, seù utilitas personarum, tenet *gloss. 2. per text. ibi, in cap. cum uniuersorum, de rer. permut. & ibi Abb. num. 7. & in d. cap. quæsitum num. 6. Card. in clem. 1. num. 12. eod. tit. Petr. de Perus. in tract. de permut. benef. p. 3. q. 2. num. 7. & p. vlt. num. 54. aliàs 58. Lambert. de iur. patr. p. 8. lib. 8. q. 6. art. 6. num. 39.* quia expedientia, & vtilitas personarum redundat in augmentum Diuini cultus, & ut meliùs, ac promptiùs Deo seruiatur. Ac propterea simoniam, aut etiam peccatum committere non videtur, qui ob inimicitias, vel ob aerem pestilentem, seù ob alias huius generis causas Beneficium permutat, quoniam attenta vtilitate personarum, potest fieri commutatio, dummodò non resultet damnum Ecclesiæ, sed vtilitas, *Anchar. in clem. 1. de rer. permut. Anton. de Butr. in d. cap. quæsitum, Calderin. cons. 1.* vbi quod licèt permutatio fieri possit

16 ob vtilitatem permutantium, sẽper tamen adesse debet utilitas Ecclesiæ, saltem consecutiuè, vt iustitiæ innitatur, *Garz. de benef. p. 11. cap. 4. à num. 45.*

17 Omnia tamen supradicta de expedientia, & utilitate personarum, quando respiciunt tantùm ipsas personas permutantiũ, mouere de facili non debent Superiorem; quia ad hoc, vt Superior teneatur admittere permutationem, requiritur causa necessitatis, vel euidentis vtilitatis Ecclesiæ, *Garz. loc. cit. num. 48. Cardin. Tusch. conclus. 305.*

SECTIO DECIMATERTIA.

De Sedium Episcopalium, & Episcoporum Translatione.

SVMMARIVM.

Translationes dupliciter fieri contingit. num. 1.
Cathedras transferendi causæ. 2.
Cathedra Episcopalis Ciuitaten translata ad Oppidum Sancti Seueri. 3.
Translatio Cathedralis per solum Papam fieri potest. 4.
Cathedralis in translatione requiritur consilium Capituli. 5.
Translationis effectus. 6
Priuilegia antiquæ Ecclesiæ, quæ transferantur. 7.
Presbyteri in antiquiori Ecclesia relinqui debent. 8.
Ecclesia destructa ad profanos usus redigi non debet. 9.
Causæ transferendi Episcopos. 10.
Episcopi à solo Papa transferri possunt. 10.
Traslatio fieri debet ob vtilitatem loci. 11.
Translatio quandoque fit ob merita personæ. 12.
Differentia inter translationem propter merita Ecclesiæ, & ob vtilitatem personæ. 13. & seqq.
Prior Ecclesia, quando vacat per translationem. 14.
Prior Ecclesia vacat per absolutionem à vinculo. 15.
Transferre Episcopum leuius est, quàm transferre Cathedram. 16.
Episcopus quãdo trãslatione uti potest. 17

Epi-

Episcopus, an inuitus transferri possit. 18.
Matrimonium carnale dissolui nequit, etiam de consensu Coniugum. 19.
Matrimonium spirituale dissolui potest. 20.
Papa absoluere an possit Episcopum sine causa. 21.
Papa transferre an possit Episcopum inuitum. 22.
Episcopus cum causa cogendus præstare translationi consensum, 23.
Translationes Sedium Episcopalium, ubi vigent concordata, qualiter faciendæ. 24.
Episcopus translatus quænam de priori Ecclesia secum deferre possit. 25.

1 TRanslationes dupliciter fieri contingit, Cathedræ scilicèt, & personæ. Quod ad Cathedras, & Sedes Episcopales attinet, illas transferendi causæ enumerantur in *c. tribus, de conſ. diſ.* 1.

2 Videlicèt si malè viuentes ea loca infestent, nec indè aucti possint, vt ibi, *& in cap. Ecclesias, vbi gloss.* 16. *q.* 7. Aeris intemperies, *glos. in d. cap. tribus, & in cap. quorundam,* 74. *di.* Si locus aquarum inundatione turbetur, *Rebuff. in prax. benef. tit. de transl. Episc. num.* 5. *per l.* 2. *ff. si quis caut.* Si Ciues Episcopos occidere consueuerint, *cap. ità nos* 25. *q.* 2. vel etiam malè tractare,

3 *Rebuff. loco cit. num.* 6. Adde si locus sit destructus, seù destitutus, & ab incolis derelictus. Sicuti destituta Ciuitate Ciuitaten, Papa Gregorius XIII. Cathedram Episcopalem ad tunc opulentum, & insigne, nunc miserabile Oppidum Sancti Seueri transtulit.

4 Huiusmodi autem Cathedræ translatio, non solùm de una Ciuitate ad aliam, sed neque de una Ecclesia ad aliam in eadem Ciuitate sine auctoritate Papæ

5 fieri nequit, & quatenus facienda, requiritur consilium etiam Capituli, & Capitularium, *text. in c.* 1. *& ibi Abb. de translat. Episc. cap. si quis vult* 16. *q.* 7. *Rebuff. loc. cit. num.* 6. Quod clarè patet in illa celebri Cæsaraguſtana Cathedralitatis, in qua causa tot emanarunt decisiones, & tandem die 3. Iulii 1658. per diffinitiuam sententiam, declaratum fuit, Ecclesiam B. V. Mariæ de Pilari pro antiquiori, & actu Cathedrali dictæ Ciuitatis habendam, non obstantibus gestis per Regem Aragonum, ac priuilegiis Apostolicis ad fauorem Ecclesiæ Sancti Saluatoris, ad quam, non constat, auctoritate Apostolica translatam fuisse Sedem, & Cathedram Archiepiscopalem.

6 Effectus translationis sunt, primò, vt prior Ecclesia desit esse Cathedralis, *Rebuff. loco cit. nu.* 17. Secundò, vt perdat priuilegia, & in aliam transferantur, *gloss. in d. cap. si quis vult* 16. *q.* 7. Intellige de priuilegiis Cathedra-

7 litatis, & personarum, secus si rem, & locum ipsum concernat, e. g. si Cathedralis suppressa, vel in ea adesset Capella, dicata Diuo Antonio Abbati, & in eius die festo fieret animalium benedictio, cum receptione eleemosynæ, vt in pluribus locis fieri cõsueuit, quia tale priuilegium non transfertur ad Cathedralem nouiter erectam, ad notata per *Rebuff. loco cit. num.* 19.

8 Debent autem in priori Ecclesia relinqui Clerici, saltem vnus, si redditus pluribus non sufficiãt, qui ibidem ministrare habeant, *d. cap. si quis vult*. Et si destruatur

9 Ecclesia, debet poni clausula, quòd locus ad profanos usus nõ redigatur per *regul. semel Deo, de regul. iur. in* 6. plantari Crux, & situm dirutæ Ecclesiæ, quatenùs in Campestribus, seù agris, spinosis saltem sepibus circumuallari.

10 Causæ verò transferendi Episcopos,

copos, qui pariter nisi à Papa transferri nequeunt, notantur in *cap. mutationes 7. q. 1.* videlicèt necessitas, vel communis utilitas, *d. cap. si quis vult 16. q. 7. Abb. in cap. quanto num. 5. de transl. Episc. Rebuff. loc. cit. num. 7.* omnesque
11 Scribentes, Quæ necessitas, siuè utilitas, licèt videatur concernere locum, ad quem fit translatio, non autem personam transferendam, vt colligitur ex *tex. in*
12 *d. cap. si quis vult.* Fit nihilominùs etiam quandoque translatio Episcopi de vna Ecclesia ad aliã ob merita personæ, vt notat *Abb. in cap. cum nobis nu. 5. vers. vndè facit, aliique Doctores ibid. citati, de*
13 *elect.* A quibus adducitur differentia inter translationem ob merita personæ, & translationẽ propter necessitatẽ, seù utilitatẽ Ecclesiæ; Quod videlicèt primo
14 casu non vacat Ecclesia, nisi à die præstiti consensus à translato; secundo casu verò vacat prima Ecclesia à die translationis ad secundam. Quod tamen ità distinguitur à *Rota decis. 475. nu. 21. p. 1. recent.* vt opinio prædicta locum habeat in translatione facta, inuito Episcopo, quia tunc absolutio, & translatio intelligitur facta, quatenùs illi placeat, non verò quando translatio fit de consensu illius Episcopi translati, cum enim de illius consensu translatio facta fuerit, voluisse præsumitur, vt ante omnia absoluatur à vinculo primæ, quo tenebatur, Ecclesiæ; licèt contrarium tenere videatur *Franc. Marc. decis. 1140. num. 4. p. 1.* quando videlicet præsumptus consẽsus redundaret in damnum ipsius Episcopi, per *cap. quod ob gratiam, de reg. iur. in 6.* Generaliter tamen
15 primus Episcopatus statim vacat per absolutionem ab ipso, & translationem ad secũdum à Papa in Consistorio de ipsius translati consensu. *Garz. de bene[illegible] cap. 6. num. 39.*
16 Inimicitiæ, & malitia Ple[illegible] quamuis enumerẽtur inter causas dimittendi Ecclesias, *cap. n[illegible] cum pridem de renunc.* illas tamen esse etiam causas transferen[illegible] Sedem Episcopalem, tenet *glos[illegible] in d. cap. tribus, verbo difficultas, de cons. di. 1. Rebuff. loco cit. num. 6.* E[illegible] per consequens etiam tranferen[illegible] diEpiscopum, cum leuius sit trã[illegible] ferre Episcopum, quàm Sedem[illegible] Episcopalem, vt patet experien[illegible] tia, cum sæpiùs videamus tran[illegible] ferri Episcopos, rarò autem, im[illegible] rarissimè Sedes Episcopales.
17 Equidem si oriantur inimic[illegible] tiæ inter Episcopum, & Popul[illegible] ob merita Episcopi in tuenda l[illegible] bertate Ecclesiastica, corrigen[illegible] disque delictis, & ob malitiam [illegible] Plebis, & Populi, quandoque [illegible] etiam Cleri, Capituli, & Capitu[illegible] larium, qui ob sanguinis co[illegible] iunctionẽ uniantur Popularibu[illegible] contra Episcopum, nescio vide[illegible] re, cur tali casu, & ex causis præ[illegible] dictis ad euitandum euitanda [illegible] possit Episcopus impediri pro s[illegible] transferendo.
18 Causæ, ob quas Episcopus [illegible] uitus de vna Ecclesia ad aliam [illegible] transferri possit, notantur à *Fla[illegible] min. Paris. de resignat. lib. 3. q. 18. nu[illegible] 14.* Ex qua inuiti Episcopi trans[illegible]
19 latione maxima insurgit diffe[illegible] rentia inter carnale matrimonii[illegible] & spirituale, quia carnale matri[illegible] monium, legitimum, ratum, & [illegible] consummatum dissolui nequit[illegible] neque citra consensum, neque de[illegible] mutuo consensu ipsorum Con[illegible] iugum, nisi fortè religionis cau[illegible] sa; matrimonium verò spiritua-
20 le, legitimum, ratum, & consu[illegible] matum, quod fortiùs ligare di[illegible] citur in *cap. inter corporalia de transl. Episcop.* dissolui potest etiã contra voluntatem Episcopi.
21 Quæ quidem sententia, licèt

cum

cam teneat *Franc. Marc. dec.* 1100. *num.*6. vbi quod Papa absoluere potest Episcopum à vinculo suæ Ecclesiæ, etiam sine causa, cum habeat plenitudinem potestatis, *glos. in c. per principalem 3. q. 3. Calderin. cons.* 1. *de translat. Prælat.* Ac
22 proindè Episcopum inuitum, & contradicentem trãsferre valeat, *Innoc. & Ioann. Andr. in cap. fin. de postul. Prælat.* Mihi valdè dura videtur per ea, quæ notat idem *Franc. Marc. decis.* 1122. *nu.*4. & dixi superiùs *sect.* 11. *num.* 62. Propte-
23 reà eueniente casu, quo Episcopum ad aliam Ecclesiam trãsferri, expediret, opportunis iuris remediis crederem fore cogendũ, ad consensum præstandum, prout seruatum vidi, in cogendo dimittere Ecclesiam, legitimis exigentibus causis.

24 Quod attinet ad translationem Sediũm Episcopalium, vbi vigent concordata, non videtur ambigendum, quin exigentibus causis Papa transferre possit. Vtẽdum est tamen distinctione, quia si agatur de loco ad locum, in vtroque vigentibus concordatis, minor est difficultas, licèt quatenùs adsit, requiratur assensus Patroni, iuxtà doctrinam *Rebuff. mox citan.* Si pariter agatur de translatione Sedis Episcopalis à loco extra concordata ad locum Concordatorum, facile pariter erit negotium, cum hoc cadat in fauorem Concordatorum. Si verò agatur de translatione Sedis Episcopalis à loco, vbi vigent concordata, ad alium locũ in concordatis non comprehensum, requiritur consensus eorũ, qui eligendi, nominandi, seù supplicandi facultatem habent, & generaliter eorum, de quorum agatur præiudicio; *Rebuff. in praxi benef. tit. de traslat. Episcop. nu.* 13. Sin minus ipsos citari ad prouidendum, aliàs videndum trãsferri Sedem Episcopalem. Colligitur ex *c. decernimus* 16. *q.* 7. Est enim generale, vt semper citandus sit is, de cuius præiudicio tractatur.

25 Notandum pro complemento, quod Episcopus de una ad aliam Ecclesiam translatus, secum deferre potest fructus iam perceptos, resque mobiles non pretiosas, ex fructibus primi Episcopatus acquisitas, non autem libros Chori, ornamenta, paramenta multa, & similia, nisi illa secum in aduentum ad Ecclesiã secum deportasset, quia quæ sunt Ecclesiæ penes priorem Ecclesiã remanere debent: *Barbos. in cap.* 1. *de transl. Episcop. citans pro se Barbat. cons.* 20. *num.* 11. *vol.* 3.

SECTIO DECIMAQVARTA.

De Pensionibus.

SVMMARIVM.

Pensionum assignationes, non examinantur in Congregatione rerum Consistorialium. num. 1.
Pensiones Ecclesiarum concordantur cũ Dataria, vel cum cedente. 2.
Pensionũ causæ discutiuntur in Rota. 3.
Decisiones in plerisque sibi contrariæ. 4.
Decisionum ex contrarietate vtilitas. 5.
Expensæ extraiudiciales non repetuntur num. 6.
Romana Curia semper condemnat victum victori in expensis. 7.
Deus nullum permittit malum, nisi exindè secuturum sit aliud bonum. 8.
Decisionum in contrarietate interuenit tantùm malum Physicum. 9.
Episcopatum cum pensione vtrum recusare liceat. 10.
Episcopatum vtrum appetere liceat. 11.
In Episcopatu tria consideranda. 12.
Bonum opus desiderare, bonum est. 13.
Episcopatum iniunctum, vtrum recusare

liceat. 14.
Episcopatus in assumptione duo consideranda. 15.
Saluti propriæ primò insistendum. 16.
Proximorum utilitati quis se debet exponere. 17.
Episcopatum à Superiore iniunctum recusare non licet. 18. & 22.
Pensionis reseruatio non est odiosa. 19.
Beneficio ex pinguiori plures ali debent. 20.
D. Thomæ auctoritas explicatur. 21.
Pensiones vltrò nonnulli offerunt. 23.

LIcèt Sixtus Papa Quintus in supra extensa institutione Sacræ Congregationis rerum Consistorialium, eidem facultatem dederit, examinandi pensionum assignationes super fructibus, & redditibus Cathedralium Ecclesiarum, nunquam tamen de huiusmodi materia in eadem Congregatione tractatum audiui, quia promouendi ad easdem Ecclesias, antequam proponantur in Consistorio, concordant de quantitate pensionis cum Ministris Datariæ, si Ecclesia vacat per obitum, seù per liberam dimissionem, aut cum cedente, si vacatura est per cessionem, quatenus cedens gratiam obtineat à Papa, pensionem sibi reseruandi. Quod si deindè qui consensum præstitit, aut eius Successor adducat nullitatem, seù excessum pensionis huiusmodi, causæ deducuntur ad Rotam, vt constat ex tot decisionibus, impressis, & manuscriptis, tàm super dubiis principalibus, quàm super articulis incidentibus, & emergentibus, quę iam in infinitum creuerunt, & quidem in plerisque, diuersis principiis innitentes, sibi inuicem contrariæ. Ex qua tamen contrarietate hoc bonum emersit, vt ex earundem tenore ambę partes de fauorabili euentu dubitantes, aut de contrario timentes, vel saltem ad parcendum sumptibus, qui non sunt leues, & quia maiori ex parte extraiudiciales, non repetuntur; licèt in sententiis hoc inconcussè seruetur in Romana Curia, vt victus victori in expensis condemnetur, ad concordiam, vt plurimum deueniant. Ex quo verificatur omnium Theologorum communissima sententia. Quod nunquam Deus malum in quocumque genere etiam physico permittat, nisi exindè bonum aliquod sit secuturum. Etenim in varietate, seù etiam contrarietate decisionum datur tantummodò malum physicum, non autem morale, quià verè credendum est, Decidentes, Deum, & Iustitiam præ oculis semper habere, ex hoc autem malo physico emergit bonum, de quo supra.

Vtrum autem Episcopatum cum pensione iniunctum recusare liceat? Præmittenda est doctrina *D. Thomę* 2.2.*q.*185. vbi postquam *art.* 1. super dubio, An liceat Episcopatum appetere? Respondens in Episcopatu tria considerari posse, quorum vnum est principale, & finale, scilicèt Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur: Aliud est altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur: Et tertium, quod consequenter se habet ad ista, scilicèt reuerentia, & honor, ac sufficientia temporalium; Resoluit, quod appetere Episcopatum ratione huiusmodi circumstantiarum, & honorum, est omninò illicitum, quià pertinet ad cupiditatem, & ambitionem; ac proinde Christus Dominus contra Phariseos dixit, amant primos accubitus in Cęnis, & primas Cathedras in Synagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. *Matth.* 25. Quantum autem ad secundum, scilicèt ad alti-

ad altitudinem gradus, appetere. Episcopatum, esse præsumptuosum, & damnabile. *Matth.* 20. Appetere autem, prodesse proximis, esse quidem secundum se laudabile, & virtuosum; verùm quià prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus altitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat, ad hoc, vt subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente. Vndè secundum *Chrisost. super Matth. homil. 3. operis impert.* Opus quidem
13 desiderare bonum, bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est; Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem autem se horret.

14 Quærit deindè Sanctus *Doctor, eadem q. art. 2.* Vtrum liceat Episcopatum iniũctum omninò recusare? Et adducta sententia *Augustini ad Eudaxium epist. 81.* Si qua opera vestra mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, neque otium vestrum necessitatibus Ecclesię præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodò nasceremini, non inuenietis; Respondet, quod in assumptione Episcopatus duo sunt consideran-
15 da; primò quidem, quid deceat hominem appetere secundùm propriam voluntatem; Secundò quid hominem deceat facere secundum voluntatem alterius;
16 Quantùm igitur ad propriam voluntatem, conuenit homini, principaliter insistere proprię saluti; sed quod aliorum saluti intendat, hoc conuenit homini, ex dispositione alterius potestatem habentis. Vndè ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur; ità etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omninò contra Superioris iniũctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset, propter duo, primò scilicet, quià hoc repugnat
17 charitati proximorum, quorum vtilitati se debet aliquis exponere pro loco, & tempore, dicente *August. lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 19.* Quòd negotium iustum suscipit necessitas; Secundò quià hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis se debet subiicere. Tunc enim ante Dei oculos est vera humilitas, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, contumax non est, *Gregor. in pastor. p. 1. cap. 6.*

18 Ex quibus patet, quod Episcopatum à Superiore iniũctum, simpliciter loquendo, recusare non licet. Verùm si iniungatur cum pensione, res non transit sine difficultate; Quià licèt asserat *Barbos. in sua prax. exigen. pension. p. 1. in proœm. n. 9.* reseruationem
19 pensionis nullo modo dici odiosam, quià iustum, & Sanctum est, ex superfluis ab vno auferri, vt detur egenti per eum, cui reddituum Ecclesiasticorum absoluta est administratio; & quia non reseruatur in odium Titularis, sed
20 in fauorem tertii, habeatque ad mixtam illam publicæ vtilitatis rationem, vt scilicet ex pingui Beneficio plures Clerici alantur, *Burratt. cons. 126. n. 9. lib. 2. Mandos. super regul. 19. q. 11. n. 1, cum seq. Gonzal. super regul. 8. §. 6. prob. n. 21. Rota coram Duran. decis. 67. n. 1*

21 Videtur tamen vtendum distinctione, quia si pensionis reseruatione non obstante, redditus Ecclesiæ sufficiunt pro subueniẽdo Pauperibus, pro exercenda hospitalitate, aliisque piis operibus, ad quæ tenetur Episcopus, non videtur ambigendum, quin auctoritas D. Thomæ supra citata lo-

Digitized by Google

ta locum habere debeat. Quod si ob reseruationem pensionis ità
22 depauperentur redditus Mensæ Episcopalis, vt non solùm ad pia opera, sed neque ad ipsius Episcopi commodam substentationem sufficerent, non tenetur quis Episcopatum à Superiore, cum pensione iniunctum acceptare, per ea, quæ tradit Portell. dub. regul. p. p. verbo obedientia n. 2. in addit.
23 Quæ dicta sint ex abundanti, quia cæteroquin nonnulli, adeò presumptuosi sunt, atque ambitiosi, vt non dico, quod assentiant, sed ipsimet vltrò pensiones offerunt, quas optimè norunt sine offensa Dei, ac decorticatione Cleri, aliisq; grauaminibus solui non posse. Sed veh illis.

SECTIO DECIMAQVINTA

De Monasteriorum Pluralitate.

SVMMARIVM.

De quibus Monasteriis agatur in constitutione. num. 1.
Monasteria Consistorialia, quæ dicantur. 2.
Monasteria Consistorialia prouidentur, etiam extra Consistorium. 2.
Monasteria Consistorialia etiamsi prouideantur extra Consistorium, non mutant statum. 3.
Decretum Sacræ Congregationis super statu Monasteriorum consistorialium, 4.
Beneficiorũ pluralitas in iure prohibita, 5
Doctrina D. Pauli ad Timot. 1. declaratur 6.
Dignitatum pluralitas à iure Ciuili prohibita, 7.
Militias duas habere prohibitum, ibid.
Collegia duo habere prohibitum, ibid.
Officia duo habere prohibitum, ibid.
Rationes prohibendi Beneficiorum pluralitatem, 8.
Beneficiorum pluralitas materiam tribuit dissolutionis, vagationis, ambitionis, cupiditatis, & animarum periculum. ibid.
Beneficiorum ob pluralitatem fraudantur piorum Testatorum, ac Fũdatorum voluntates, ibid.
Causæ dispensandi super Monasteriorum pluralitate, 9.
Ecclesia indiget viris literatis, quorum scientia Mundus illuminatur, 10.

1 NOn agitur in præsenti cõstitutione nostra de omnibus Monasteriis, in quibus vel viget regularis obseruantia, vel conuentualitate carent, sed de illis tantùm, quorum annuus valor ducentorum auri florenorum excedit; quæ reseruantur in re-
2 gula secunda Cancellariæ Apostolicæ, & quæ dicuntur Consistorialia, quia de illis Papa in Consistorio prouidere solet, licèt etiam extra Consistorium, vt plurimùm prouideat; de qua re vtrum per prouisionẽ extra Consistorium, huiusmodi Monasteria primæuum statum amittant, ac de aliis, videri poterunt, *decis.* 584. *p.* 3. *lib.* 3. *diuers. ac decis.* 791. *coram Coccino parte* 3. *recent.* vbi tamen adducitur decretum Sacræ Congregationis rerum Consistorialium, sub die 9. Iunii 1591.
3 quod Monasteria habentur pro Cõsistorialibus, etiãsi extra Consistorium per signaturam manu
4 Papæ aliquando expediantur.

Quod verò ad rem nostram attinet de pluralitate Monasteriorum, notandum est, neminem
5 de iure plura Beneficia obtinere posse, videlicèt Curata, Dignitates, personatus, seù alia incompatibilia, *cap. quia nonnulli de Cler. non resid. c. quia in tantum, de præb. cum concord. c. factorum.* 70. *dis. vbi*, quod vnus Clericus non connumeretur in duabus Ecclesiis, quia negotiationis hoc est, & turpis lucri pro-

Digitized by Google

crí proprium commodum, & ab Ecclesiæ consuetudine penitùs a-
6 lienum, *cap. Clericus, 21. q.1.* facit illud Pauli ad Timot. & ad Tit. Episcopum debere esse vnius vxoris virum. Quod licèt communiter exponatur de matrimonio carnali, potest tamen etiam applicari coniugio spirituali, *argu. c. inter corporalia, de trás. Episc.*

7 Concordat huiusmodi prohibitio plurium Beneficiorum cum dispositione iuris ciuilis, quo interdicitur duas habere militias, *l. his quidem C. qui militare non poss. lib. 12.* duo Collegia, *l. 1. ff. de illic. Colleg.* duos honores, *l. hac parte in fine, C. de prox. Sacr. Scrin. lib. 12.* duo officia, *l. libertus §. præscriptio, ff. ad Municipal. d. l. hac parte,* ibi nullo modo duplici fungantur officio, nec geminis chartis irrepserint, vt non occupentur plura, in vnum se commoda collaturi, nihilque reliquis relicturi.

8 Rationes prohibendi huiusmodi pluralitatē Beneficiorum, adducuntur à *Rebuff. in prax. benef. tit. de dispens. ad plura Beneficia,* quia videlicèt talis pluralitas tribuit dissolutionis, & vagationis materiam, & Animarum periculum, *cap. in tantum, & cap. dudum de elect.* ambitionis, & cupiditatis, extrau. *execrabilis, Ioann. 22.* Diuini cultus diminutionem, qui potiùs est augendus; *cap. ex parte de constit. & c. Vasa, de Consecr. dist. 1.* fraudantur piæ Testatorum, & Fundatorum voluntates, quas interest Reipublicæ seruari, & executioni demandari, *l. vel negare, ff. quem ad. testam. aper. cap. vltima voluntas, 13. q. 2.* Et demùm sequitur inæqualitas, quia vnus esurit, & alter ebrius est, *1. ad Corin. 11.* quod licèt in alio sensu explicetur à glossa ordin. cum Nicolao de Lira, potest tamen sine scrupulo applicari casui nostro, vt patet experientia; Exclamante Boccalino, de rerum temporalium inæqualitate, Vno ne hà tanta, che non la può gouernare, e l'altro tanto poca, che non vi si può gouernare.

9 Causæ verò Dispensandi super pluralitate Monasteriorum, aliarumque Dignitatum sunt ferè eædem, quas adnotauimus supra de vnionibus, videlicèt Nobilitas, & sciētia *c. de multa, in fin. de præ-*
10 *bend.* quia Ecclesia indiget Viris literatis, *c. cum ex eo, de præbend. in 6. cap. fin. de Magistr.* quorum Scientia Mundus illuminatur *authent. habita, ne fil. pro pa. r.* Vtilitas, aut necessitas Ecclesiæ, non Personæ, ac meritorum prærogatiua, *c. tali, 1. q. 7.* de quibus quidem, & aliis causis latiùs dicemus, sectione sequenti, & in additione in fine.

SECTIO DECIMASEXTA.

De Dignitatum Incompatibilitate

SUMMARIVM.

Incompatibilia Beneficia, quæ dicantur, n. 1.

Beneficia Curata duo simul quis habere nequit, 2.

Per promotionem ad Episcopatum vacant omnia Beneficia, & pensiones, 3.

Retentio Beneficiorum, & pensionum, facilè conceditur. 4.

Per translationem ad alium Episcopatum vacat primus. 5.

Retentio primæ Ecclesiæ, vel Monasterii sapit polygamiam. 6.

Abbates dicuntur quodammodo Sponsi, 7.

Polygamia semper fuit prohibita, 8

Polygamia non est contra primæua naturæ principia, 9.

Polygamia non satis congruit cum matrimonio, 10.

Vxorū pluralitas aduersatur secundario fini matrimonii, 11.

Vxor non subditur viro, nisi, vt socia, 12.

Parti-

Digitized by Google

Participatio plurium in eodem officio lites affert, 13.
Vnus non potest eodem tempore pluribus vxoribus satisfacere, 14.
Vxores simul plures habere nunquam licuit, 15.
Infidelis plures Vxores habens, suscepto Baptismo, cum prima sola remanere debet, 17.
Vxores plures simul habere de iure ciuili est prohibitum. 16.
Papa dispensare non potest super Vxorum pluralitate, 18.
Vxorum pluralitas consuetudine induci non potest, 19.
Deus dispensauit cum antiquis Patribus super Vxorum pluralitate, 20.
Diuina dispensatio super Vxorum pluralitate fuit per internam inspirationem, 21.
Diuina dispensatio super Vxorum pluralitate, an ad Populum Gentilem extensa fuerit, 22.
Vxorum pluralitas in antiquis Patribus figuralis fuit, 23.
Pluralitatis Vxorū Abrahæ figura, 24.
Pluralitatis Vxorum Iacob figura, 25.
Iacob ob Vxorum pluralitatem de incontinentia culpari non potest, 26.
Figuralis expositio Deuteronomii, cap. 21. 16. n. 27.
Synagoga semper rebellis, Ecclesia semper fidelis, 28.
Beneficiorum pluralitatis figuralis expositio, 29.
Responsio Papæ Pauli, & Episcopi Parisiensis super pluralitate Dignitatum, 30.
Ecclesias duas habens, debitum seruitium vtrique præstare non valet, 31.
Duobus Dominis nemo seruire potest, 32.
Beneficia plura habentes maledicuntur à Deo, 33.
Mercenarii nihil curant de ouibus, 34.
In habilitatione ad plures Dignitates videndum est, an ex aliquo capite pietas erga Deum reluceat. 35.
Causæ concedendi Dignitatum pluralitatem. 36. & seq.
Per Amicos, & pecuniā multa facimus. 38.
Episcoporum Italiæ infelicitas. 39.
Episcopum maiorem, aut minorem non facit potentia, aut paupertatis humilitas, 40.
Episcopi paruæ Ciuitatis contemnuntur ab idiotis, 41.
Ecclesiarum, & Monasteriorum pluralitas tendit ad lucrum. 42.
Felix censendus est, qui vnam Ecclesiam fructuosè regere valet. 43.
Monasteria Regularia Sæcularibus Personis commendari non debent, 44. & 45.
Commendare verbum quid importet. 45.
Episcopi alias commendabant, 46.
Parochialem Ecclesiam commendare non potest Episcopus, 47.
Commendatarius an sit Prælatus, 48.
Ecclesia commendata, an vacare dicatur. 49.
Commendatarius an faciat fructus suos. 50.
In impetratione Ecclesiæ, an fieri debeat mentio de Commenda. 51.
Ad Commendam an sit vocandus Patronus, 52.
Commenda quarè inuenta. 53.
Ex Commendis quæ mala proueniunt, 54.
Constitutio Innocentii Octaui Commendarum prohibitiua, 55.
Monachi audiendi super necessitate commendandi, 57.
Dispensatus ad plura, an sit tutus apud Deum, 58. & 62.
Dispensatio quid sit, 59.
In dispensando ad quænam sit habendus intuitus. 60.
In dispensatione, quæ requirantur, 61.
Deus aliter iudicat de homine, quàm Ministri Dei, 63.
Beneficiorum pluralitatis prohibitio est de iure positiuo, 64.
Papa de omnibus iudicat, & à nemine iudicatur. 65.
Ius constitutum super bono communi, priuata consideratione, omitti non debet, 66.
In prohibitione plurium compatibilium, non comprehenduntur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, 67.
Cardinales, quarè vocantur Reges, 68.

Digitized by Google

1 INcompatibilia generaliter dicuntur Ecclesiastica Beneficia quæcumque perpetuæ residentię,
2 quorum unum impedit exercitiũ alterius; Ex quo fit, vt duo Curata Beneficia simul quis obtinere nequeat, sed per adeptionem secundi vacat primum, *cap. de multa, de præbend. cum concord.* quæ innouata fuerunt in *Conc. Trid sess. 7. de reform. cap 4. & sess. 24. cap. 17. de reform.*

3 Hinc est, quod per promotionem ad Episcopatũ de iure vacãt omnia Beneficia promoti, *cap. cum in cunctis*, §. 1. *de elect.* etiam simplicia, & pensiones, *Garz. de benef. p. 11. cap. 6. num. 1. & seqq.* Nisi tamẽ
4 à Papa dictorum Beneficiorum, & pensionum concedatur retentio, quæ de facili, ante propositionem Ecclesiæ in Consistorio, concedi solet, sicuti etiam per trans-
5 lationem ad alium Episcopatum vacat primus, *Garz. cum ibi citat. dicto cap. 6. num. 39.* eo scilicèt modo, quo diximus supra de translatione, *sect. 13.* nisi pariter à Papa concedatur retentio, quæ rarò conceditur, nisi fortè ex causis inferiùs dicendis.

6 Quæ quidem retentio Ecclesiæ, vel Monasterii, ex illis, quorum Abbates dicuntur quodammodò sponsi, quia per eorum obitum Ecclesiæ remanẽt viduatæ, *Abb. in cap. quia propter num. 7. de elect.* cum sapiat aliquid polygamiæ spiritualis, & spirituale coniugium reputetur aliqualiter à carnali.

8 Notandum est, in carnali matrimonio polygamiam semper fuisse prohibitã, & aliquibus tantùm in lege veteri ex Diuina dispensatione permissam, vt fusè probat. *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 80. per tot. & præsertim n. 8.* vbi confutatis aliorum sententiis, resoluit, polygamiam vnius viri cum
9 pluribus Vxoribus non esse quidem omninò contra ius naturæ, atque ideò non esse contra prima, & vniuersalia eius principia, sed tamen aliquo modo aduersari iuri naturali, quatenus est contra conclusiones ab ipsis primis principiis deriuatas; quod videlicèt etsi non repugnet naturæ matri-
10 monii, non tamen satis cum matrimonio congruat, si omnes eius fines spectemus, ac proindè matrimonium cum alia Vxore initum, prima superstite, attento iure se-
11 cundario, esse nullum. Primò quidem, quia Vxorum pluralitas aduersatur secundario fini matrimonii, nimirum tranquillæ, & pacificæ cohabitationi cõiugum, ac domesticæ gubernationi, qui
12 est secundarius finis, teste *Phylos. 8. Ethic. cap. 9.* Vxor enim non subditur viro, vti famula, sed uti socia, & collateralis, *D. Chrisost. homil. 20. in Epist. ad Ephes. & D. Tho. prim. 1. q. 92. art. 3.* ac proindè facillimo negotio inuidiæ, & rixę inter Vxores pullulabũt, & eò maximè si vna præ aliis à viro diligatur; tùm etiam, quia partici-
13 patio plurium in eodem officio lites non modicas afferat. Cuius rei singulare testimonium habetur, inter Sanctas etiam fœminas, eidem viro coniugatas, huiusmodi rixas fuisse subortas, sicuti de Sara, & Agar, de Lia, & Rachele, *Genes. 16. & 30.* nec non de Anna, & Phenenna, *1. Reg. 1.* Consonat *Aul. Gel. lib. 1. noct. attic. c. 17.* respõsum Socratis Alcibiadi, demiranti, quod domi ferret Vxores 5 Hæ me domi docent tolerantiã, qua in Publico utendum est.

Secundò, quia Vxorũ pluralitas aduersatur alteri fini secundario matrimonii, quatenus scilicèt est in remedium concupi-
14 scentiæ; Non enim vnus vir concupiscentiæ plurium Vxorum, si contingat, illas simul debitum pe-

Digitized by Google

tere, satisfacere poterit, & per cõsequens periclitabitur cõcupiscentia illius, cui negabitur debitum.

15 Tertiò, quia, vt habetur in *cap. gaudemus, de diuort.* nunquam licitum fuit, absq; Diuina dispensatione plures insimul Vxores habere, *D. Chrisost. homil. 56. in cap. 30. Genes.* Quod confirmatur ex eo, quia si sola lege Euangelica esset interdicta Vxorum pluralitas, Infideles non ligaret, & per consequens eis licita fuisset: Cuius tamen contrarium habetur in *l. eum qui duas, C. ad l. Iul. de adult.* quę
16 est Valeriani, & Gallieni, & licita nunc esset eisdem, cum ante susceptum Baptisma peculiaribus Christiani Populi legibus non adstringantur. Contra quod tamẽ
17 deciditur in *d. ca. gaudemus*, videlicèt Infideles pluribus Vxoribus coniunctos cum sola prima post susceptum Baptisma remanere debere; si enim talia matrimonia essent legitima, post Baptisma non dissoluerentur, vel saltem licitum esset baptizato, quam mallet secum retinere, quod tamen negatur, dùm dicitur in *eodem cap. gaudemus*, quod cum sola prima Vxore remanere debeat.

Ex hoc autem, quod neque lege ciuili apud Ethnicos unquam permissa fuerit Vxorum pluralitas, quod, vltra *te xt. in d. l. eum qui duas, C. ad l. Iul. de adult.* pluribus
18 aliis probat *Sanch. loc. cit.* Inferrtur primò, Summum Pontificem super Vxorum pluralitate dispensare nõ posse, quod tùm lege naturali, tùm etiam Christi Dñi lege, ob verã Sacramenti significationem interdictum sit. Secundò, nulla consuetudine posse
19 fieri licitam Vxorum pluralitatem, quia contra ius naturale, &
20 Diuinum non valet consuetudo, vt omnibus est notum. Tertiò potuisse Deum cum antiquis Patribus super huiusmodi Vxorum pluralitate dispensare; ac proindè Patres antiquæ Legis, pluribus Vxoribus coniunctos, culpæ immunes fuisse, eo quod cum illis Deus dispensauerit. *d. c. gaudemus, de diuort. Sanch. loc. cit. n. 9. & seqq.*

21 Quæ quidem dispensatio concessa eis, non fuit externa aliqua scriptura, aut locutione, sed interna inspiratione facta Patriarchis, quæ in vim exempli, & imitationis deriuata fuit ad reliquos de Populo Israel; ac proindè illis pluralitas Vxorum videbatur indulta, prout colligere est *Deuteron. c. 2.* de qua quidem dispensatione paulò inferiùs nonnnulla dicemus.

Subdit verò idẽ *Sanch. ibid. n. 13.*
22. secundum nonnullorum sententiam satis probabile videri, dispensationem illam ad Populum Gentilem extensam fuisse, atque etiam ipsis antiquitùs Vxorum pluralitatem fuisse licitam, vt tenere videtur, *D. August. contra Faustum, lib. 2. c. 27. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 11. propos. 6. Ledesm. parte 4. sess. 67. n. 2. Valent. parte item 4. disput. 10. punct. 3. col. 4.* Ipse verò probabiliùs tenet, extensam non fuisse, ex quo in illo Populo dispensationis ratio non militaret, nempè figura, vel alia causa, vt mox dicemus. Quare nisi excusati ob ignorantiam, Gentiles non fuissent immunes polygamiam exercentes, iuxta doctrinas *ibid. à Sanch.* adductas. Videatur, *Gloss. ordin. super cap. 4. Genes.* vbi Lamech, qui primus contra morem, & contra naturam polygamia vsus est, siuè abusus, adulterium dicitur commisisse.

23 Dispensatio igitur pluralitatis Vxorum cum antiquis Patribus, & Populo Israelitico fuit figuralis, seù figuratiua, quia, vt inquit Apostolus, omnia in figura
24 contingebant illis. Sic Abrahæ, qui

Digitized by Google

qui Saram vxorem, Agar primò, & post mortem Saræ Cethuram concubinas habuit, polygamia figurabat hoc, quod Agar, & Ismael eius Filius repræsentabāt carnales veteris Testamenti; Cethura, & eius filii hæreticos, qui dicunt, se ad nouum Testamentum pertinere; Sara verò figura fuit Ecclesiæ, quæ in hac peregrinatione inter alienigenas viuit sine macula, vel ruga, in gloriam Christi viri sui, cuius pulchritudo honor est Christi, cuiusq; pulchritudini Reges offerunt munera, sicuti Achimelech Saræ *Gloss. ordin. cum Liran. in Genes. cap.* Polygamia Iacob tendebat ad multiplicationem Populi Fidelis cōtra Infideles. Etenim Iacob licèt vltra duas Vxores primarias, Rachelem principalem, quia in ipsam primò consensit, & Liam, duas etiam secundarias habuerit, Balam ancillam Rachelis, & Zelpham ancillā Liæ, ex quibus omnibus suscepit liberos *Genes. c.* 29. 26. & 30. Si tamen res diligenter examinetur, Iacob ob huiusmodi pluralitatem Vxorum de aliqua incontinentia notari non potest, quia ipse nisi vnam Rachelem requisiuit, in Liam verò, sibi ignoranti suppositam, ordinante Deo, & Laban compellente, consensit, ancillas verò ad suasionem Vxorum, & amore prolis, non libidine ductus accepit. Sciebāt enim Rachel, & Lia Iacob à Deo electum, vt eius Filii nominarentur Tribuum capita Populi Electi, adeoque nil mirum, si ab ipso prolem optabant habere, non modo naturalem, sed etiam adoptiuam, quia nesciebant, de qua Christus nasci dignaretur. *Liran. in d. cap.* 30.

27 Quod verò dicitur *Deuter.* 21. 6. Si habuerit homo duas Vxores, vnam dilectam, & aliam odiosam, &c. ex quo infertur, quemlibet de illo Populo duas Vxores habere potuisse, significabat Christum Dominum, qui sibi duas Vxores, videlicèt Populum Iudæorum, & Populum Gentilium cōiugii nomine copulauit, odiosa semper Synagoga, quia semper contentiosa, dura ceruice, & incircumcisa corde, & auribus, dilecta verò Gentilis Ecclesia, quia fidelis, & obediens, *Gloss. ordin. ibid.* 28

His ita, veluti ex necessitate præmissis, videndum est, an eadem scandala, quæ contingunt in carnali polygamia, cōtingere possint in spirituali, & fortasse maiora, cum spiritualia carnalibus sint digniora, *gloss. fortiùs, in cap. inter corporalia, de transl. Episc.* 29

Et primò quidem se offert *additio moralis ad gloss. ordin. super cap. 4. Genes. ad illa verba, Lamech accepit duas Vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella, genuitque Ada Iabel, qui fuit Pater habitantium in tentoriis, atque Pastorum, & nomen Fratris eius Iubal, ipse Pater fuit canentium cithara, & organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & Faber in cuncta opera æris, & ferri. Soror verò Tubalcain Noema.* Vbi sic habetur, Lamech, qui interpretatur doctrina, significat malū hominē, literatum tamen, qui accipit duas Vxores, idest plura Beneficia Ecclesiastica, quorum quodlibet de se, considerata conditionibus status, & Personæ, sufficere deberet. Generat autem quatuor pueros, scilicèt Iabel, qui inuenit tentoria Pastorum, ad quærendum pascua de loco ad locum, & ideò significat multiplicitatem, & diuersitatem famulorum; Iubal, qui significat ineptam lætitiam dissolutorum, & Tubalcain, qui significat multiplicitatem, & superabundantiam vaso-

sorum auri, & argenti. & huiusmodi; & Noema, quæ reperiit lanificium ad custodiam vestium; in his verò quatuor superfluis, & aliis, ad quæ inducunt ista quatuor, bona Ecclesiæ nonnulli Ecclesiastici expendunt.

30 Videatur *Rebuff. in prax. benefic. tit. de commenda, n. 23.* vbi cum Papa Paulus rogaretur, vt Filio Regis Episcopatum habenti alium Episcopatum cõcederet, vel Abbatiam, absit, inquit, vt in Ecclesia ponam bigamiam. Et cum cuidam Sancto Episcopo Parisiẽsi oblata fuisset Abbatia, respondit, Absit, vt cum Sponsa habeam concubinam.

31 Et certè negari non potest, impossibile videri, quod duas habens Ecclesias, vtrique debitum seruitium reddere valeat, hoc est opportunè, importunè, & sine intermissione eas docere, easque prudenter regere, & amare, *cap. sicut vir 7. q. 1.* sic neque officium in ambabus persoluere, neque rebus earum necessariam curam impendere, *c. vnio, 10. q. c. singula.*

32 89. *dist. cap. per laicos, 16. q. 7.* Tritumque satis est, neminem duobus Dominis seruire posse, *c. 1. 21. q. 1.* cũ cæteroquin vix vni Ecclesiæ quis dignè sufficere possit, *c. 1.*

33 *de consuetud in 6.* Ideòque plurales huiusmodi in Prælaturis, aliisque Beneficiis maledicuntur à Deo, iuxta illud: Veh qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? *Esai. c. 5.* Et per consequens ambabus non sufficiens, alteram non sine periculo tradet in manibus Mer-

34 cenariorum, ad quos cum nihil pertineat de Ouibus, rapientur, & dispergentur *Ioann. 10.* quià, vt inquit *ibid. Liran.* per Censuras Ecclesiasticas turbatoribus non resistunt, neque per sanam doctrinam hæreticæ prauitati: Ad quod facit *Ezech. 34.* Veh Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis,

Propterea quandò agitur de habilitato per breue ad electionem passiuam, vel postulato, an sit danda eidem retentio prioris Ecclesiæ, vel Monasterii, videndum est; An aliquo ex capite pie-

35 tas erga Deum elucere possit, quæ quantum ad huiusmodi retentionem, ad hoc reduci videtur, nè bona Ecclesiæ occupentur ab Hæreticis, à quorum rapacitate qui

36 de noua prouidetur cum retentione prioris Ecclesiæ, sit potens, & valeat ipsa tueri. Quæ quidem causa si adsit, non solùm gratiosè, verùm etiam necessariò concedenda erit retentio, nè Ecclesiæ, carentes Defensorum auxilio, in bonis, & iuribus suis, ac libertatibus collabantur, *extrau. execrabilis, post initium de præbend.*

Altera causa concedendi retentionem, vel etiam nouam prouisionem, non quidem Ecclesia-

37 rum Cathedralium, sed Abbatiarum Secularium, est, vbi Prælati ingrediuntur, & vocem habent in Dietis, & Parlamẽtis Regnorum, ac Prouinciarum, ad hoc, vt donariis, iocalibus, ac muneribus conciliãdo sibi Amicos, Ecclesiasticam libertatem tueri valeant,

38 & promouere, quia secundum Diuum Thomam per Amicos, & pecuniam multa possumus. Sic refert *Crantz lib. 2. Vuandal. cap. 3.* Ciuitatem Adelburgum cum tota Obrotitorum Prouincia per Othonem Magnum fuisse concessam Pontifici Marconi, ad hoc, vt Episcopi temporalium rerum affluentiã haberent, vndè possent sibi Populi cõciliare fauorem, & Regulis honorabiliores essent. Quæ consideratio vtinam haberetur

39 retur hodiè, quia tot Ecclesiarum Italiæ Prælati, tamquam signa ad persequentium sagittas
40 non essent positi. Licèt enim Episcopum inferiorem, vel sublimiorem non faciat diuitiarum potentia, aut paupertatis humilitas, *cap. legemus, 93. dist.* Episcopi tamen pauperes, & paruæ Ciuitatis
41 contemnuntur, *Gloss. ibid. in verbo, humilitas.*

Cessãtibus autẽ supradictis causis tuendi bona Ecclesiarum à voracitate hæreticorum, & augẽdi splendorem Prælatorum, eorumque potentiam in Dietis, & Parlamentis Regnorum, & Prouinciarum, quæ pietatem sapere videntur, cessare etiam debet dispẽsatio super retentione, vel noua prouisione alteriùs Ecclesiæ, seù Monasterii, ad tradita per *Tiraquell. in tract. cessante causa, n. 89. & seqq. & n. 179. & seqq.* aliàs non erit dispensatio, sed dissipatio, iuxta superiùs tradita.

Etenim negari non potest, quin pluralitas Ecclesiarum, & Monasteriorũ, aliorumque Beneficio-
42 rum, vltra commodam, seù commodiorem sustentationem, tendat ad lucrum temporale de bo-
43 nis Ecclesiasticis, quia in spiritualibus valdè felix censendus est ille, qui vnam Ecclesiam benè, ac fructuosè cum Animarum sibi commissarum salute regere valeat. *Conc. Trid. sess. 6. de reform. c. 2.*

Eædem suprarecẽsitæ rationes, quæ militãt contra pluralitatem Ecclesiarum, Abbatiarum, seù a-
44 liorum Beneficiorum in titulum, vrgent etiam contra huiusmodi pluralitatem in Commendam, præsertim Monasteriorum Regularium Sæcularibus Personis, attenta dispositione *Sacr. Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap. 10.* vbi deplorando detrimenta, quæ plerasque Monasteria, Abbatiæ, & Prioratus, quę ex mala eorum, quibus commissa fuerãt, administratione, tàm in spiritualibus, quàm in tẽporalibus sunt passa, decernit, vt eadem non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis deinceps conferantur.

45 Quod autem ad Commendas attinet, sciendum est, quod verbum, *commendare*, importat idem,
46 quod deponere, *text. ad lit. in l. Lucius Titius, & in l. Publia, ff. depos. & clariùs in l. commendare, ff. de verb. signific. Gloss. in c. nemo de elect. in 6.* quo vocabulo deinde vsi fuerunt Episcopi, quando ità exigente necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ, fortè quia non poterant de Personis idoneis prouidere, vel opus erat, fructus, & redditus in Ecclesiarum reparatione conuertere, constituebant Procuratores, siuè Custodes, qui earundem Ecclesiarum fructuum, & reddituum curam, & custodiam gererent. Contra quos deindè prodiit decretum in secundo Lugdunensi Concilio sub Gregorio X. *translatione in cap. nemo, 15. de elect. in 6.* Vt nemo Pa-
47 rochialem Ecclesiam alicui in ætate legitima, & Sacerdotio non constituto, commendare præsumat, nec tali, nisi vnã, atq; euidẽti necessitate, vel vtilitate ipsius Ecclesiæ suadente, neque vltra sex Menses.

Super qua quidem materia gloss. ibidem, verbo, commendare, plures excitat quæstiones. Primò scilicet, An talis Commendatarius sit Prælatus? & respondet
48 negatiuè, sed tantùm Procurator cum legitima administratione, 2. *q. 1. relatio, & cap. qui plures, cap. cum nobis 2. §. fin. de elect.* Secundò an in-
49 terim Ecclesia vacare dicatur? Et pariter negatiuè respondet, quia titulus est canonicus, sicut alii. Tertiò an Commendatarius fa-
50 ciat fructus suos? Et respondet item negatiuè, quia custos est, nec habet ius in Ecclesia, neque super fructi-

ctibus, nisi ad colligendum, gubernandum, sibique, & Ministris, prouidendum, quodque superest in vtilitatem Ecclesiæ conuertendum, *Host. in cap. dudum de elect.* Sub dens tamen, quod contrarium fiat de facto. Quartò, nunquid talem habens Commendam, & impetrans Ecclesiam, teneatur de Commenda facere mentionem? ad quod respondet affirmatiuè, *argum. cap. cum nostris, & cap. literas, de conces. præbend.* Et quintò nunquid ad talem Commendam vocandus sit Patronus? Et resoluit pariter affirmatiuè, secundum *Innoc. Host. & Card. argum. 16. q. 7. filiis.* Idemque de aliis, qui læduntur in tali Commenda, per *l. nonità ff. de adopt. l. in causæ, ff. de minor. c. ad hæc, §. fin. de offic. Archid.*

51 52 53

Videatur hac de re *Alciat. in l. commendare ff. de verb. signific. relat. à Caluin. in lex. iur. eod. verbo*, vbi commendare censendus est Romanus Pontifex Sacerdotia, cum Administratorem Generalem alicuius opulenti Templi aliquem constituit, censeturq; iis liberam habere administrationem, modò nimirum reperto, quo citra ius irreuocabilis tituli luxurientur.

Quæ verò mala ex huiusmodi Commendis eueniant, notat *Rebuff. in prax. benef. titul. de commendis n.* 10. Nempè quod Diuinus mi-

54 nuitur cultus, quod multi Abbates Commendatarii vix, aut nunquam sunt in seruitio Dei, sed alludendo ad verbum suæ concessionis, ad comedendum habere se putant, Ecclesiarum, & Monasteriorum cura negligitur, bona, & iura ipsarum dissipantur, ac subiectis Personis, & Populis spiritualiter plurimum, & temporaliter derogatur; Animarum cura paritèr negligitur, quia ad venationem, & alia solatia sunt intenti, Hospitalitas non seruatur, sed in totum omittitur; Aedificia ruinis patent, quia Commendatarii non residunt; Omnia iura tàm spiritualia, quàm temporalia ex Ministrorum defectu collabuntur, quia extranei possidentes Abbatias, non nisi lac, & lanam quærunt, ideſt vtilitatem *gloss. in Clem. dudum de sepult.* Et quamuis in Commendis Abbatiarum, & Monasteriorum dicatur, quod per huiusmodi Commendam Diuinus cultus, ac solitus Monachorum numerus nullatenus minuantur; Sed illius, & Conuentus congruè supportentur onera consueta, & quod oneribus huiusmodi debitè supportatis, necnon quarta, si Abbatia sit separata, & seorsim à Conuentuali, si verò communis mensa inibi existat, tertia parte omnium fructuū, reddituum, & prouentuum Monasterii in restaurationem illius fabricæ, seù ornamentorum emptionem, vel fulcimentum, aut Pauperum alimoniam, prout maior exegerit, vel suaserit necessitas, omnibus aliis deductis oneribus, annis singulis impartita, de residuis Monasterii fructibus, & prouentibus disponere &c. Ex quibus constat, Papam velle, vt Diuinus cultus non minuatur, & onera consueta soluantur, nihil tamen fit. Decoloratur demum status vniuersalis Ecclesiæ, quia non est Sæcularis Abbas, qui regulam seruet, & disciplinam, nec qui seruari præcipiat, quomodo seruabunt, cum non sint Regulares? Ideoque futurum est, vt alia quamplurima eueniant mala, si hæ Commendæ, dempta vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ, non cessent. *Hæc Rebuff. loc. cit.*

A quibus non longè distat Cōstitutio Innocentii Papæ Octaui, prohibentis, commendari Eccle-

55 sias, Monasteria, Abbatias, & Prioratus Ordinis Cistercienſis, in eorum priuilegiis impressa, ibi,

ibi: *Ex quo in dictis Monasteriis, Prioratibus, & aliis locis, sic commendatis Diuinus cultus plurimú minuitur, & in pluribus locis totaliter extinguitur, & cessat. Piæ Defunctorum intentiones defraudantur, Monasteria ipsa, in quibus Seruorum Dei numerus, iuxtà eorundem Monasteriorum, & locorum facultates augeri solebat, debito Monachorum numero destituta, & priuata, aut ex omni parte ad ruinam redacta sunt, & eorum aliqua, expulsis, quod abominabile est, indè Monachis, propriis Laicis coniugatis, & eorundem Familiis, ac etiam animalibus replentur, & ad profanos usus totaliter rediguntur; Sanctorum reliquiæ, iocalia, libri, & alia quæcumque preciosa mobilia, & immobilia bona diuersis mediis alienantur, iura perduntur, hospitalitatis, & eleemosynarum, & alia pia charitatis opera in ipso Ordine abundè fieri solita, cessant, Regularis obseruantia, quæ in illis antea summa pietate vigebat, omninò deficit, & pristina viuendi forma relicta est. Alia quoque innumerabilia, præter nostram, & Prædecessorum nostrorum mentem, & intentionem in Commendis huiusmodi oriuntur damna, incommoda, & detrimenta, non sine Religionis opprobrio, & dicti Ordinis præiudicio, ac pernicioso exemplo, & scandalo plurimorum, & nisi prouideatur, verisimile, ac breui est formidandum de totali Monasteriorum, Prioratuum, & locorum prædictorum ruina, & desolatione.*

Hinc patet, quàm sit abhorrendum ab huiusmodi Commendis, Abbatiarum, & Monasteriorum
56 Regularium Sæcularibus Personis, cum nihil in iure tàm commune, quã scandalis obuiandum *Clem. 1. & ibi gloss. scandala de offic. Ordin. cum concordan.* facit *text. in cap. nihil de elect. vbi* Nihil sic nocet Ecclesiæ, quàm promotio eorum, qui sunt indigni, & minùs habiles ad regimen Ecclesiarum. Quod esse menti tenendum, dicit *Abb. ibid.* Et quando necessitas vel vtilitas Ecclesiæ suadet ad huiusmodi Commendã deuenire, videtur omninò audienda pars super tali necessitate, vel vtilitate, Mo-
57 nachorum scilicèt Monasterii sententia, *gloss. in cap. nemo, verbo, commendare, de elect. in 6.*

Super huiusmodi incompatibilitate Dignitatum, & Beneficiorũ pluralitate videatur *Abbas in*
58 *repetit. §. quia vero, cap. extirpandę de præbend.* Vbi mouens quæstionẽ, seù dubium; An sit tutus apud Deum ille, cum quo dispensatur per Papam super pluralitate Beneficiorum, præmissa doctrina,
59 *D. Thom. 2. 2. q. 9. art. vlt.* quod dispensatio sit commensuratio cõmunis ad singula, vndè gubernator familiæ dicitur dispensator, quia dispensat singula singulis, & laborem, & præmium. Esseque opus dispensatore, qui legem, uniuersalem ex causa interdum, relaxet, quod spectat ad illum, qui legem communem potest e-
60 dere, vt est Papa, & Imperator. In dispensando autem habendum esse intuitum rationis, & boni vniuersalis, & causæ, propter quã dispensatur. Quæ causa in Beneficiis potest esse triplex, necessitatis videlicet, vtilitatis, & euidentis prærogatiuæ meritorum, *cap. de multa, & cap. exposuisti de præben. & 1. q. 7. dispensationes, cum cc. seqq.*
61 Quibus cessantibus, non meretur dici dispensatio, sed dissipatio. Et cum in dispensatore requiratur fides, seù fidelitas, & prudentia, *Luc. 12.* Infidelis esset dispensator, qui non haberet intuitum ad bonum commune, essetque imprudens, in non ponderando causas prædictas. Dictaque doctrina præmissa, resoluit quęstionem, dicendo, quod si di-
62 spensatio facta sit, causa cognita, talis dispensatus à Papa, sit tutus apud Deum. Si verò dispensatio fa-

Digitized by Google

facta esset sine causę cognitione, apud Deum non esset tutus, sed tãtùm quoad forum Ecclesię Militantis, quo casu Deus aliter iudicat de homine, quàm Ministri Dei, & iustitię, *cap.cum æterni, de re iudic.& cap.cum à nobis,de sentent. excomm.*

64 Deindè ad obiectionem, quæ fieri posset, quod prohibitio pluralitatis Beneficiorum non descēdit à lege Diuina, sed à iure positiuo, super quo Papa dispensare potest, illudque in totum tollere, cum sit solutus legibus, iuxta notata per *Innoc. in cap.cum Monasteriũ,de stat.regul.vulg.l. Princeps, ff.de legi.* eiusque sit tollere, cuius est concedere, neque de factis Papæ liceat disputare, *c.si quis,§.qui autem 17.q.4.* Respondet, prędicta procedere, quoad forum Ecclesiæ Militantis, in quo non licet disputare de factis Papæ, quia

65 ipse de omnibus iudicat, & à nemine iudicatur. Sed quoad Deum non procedere, quia ius fundatum est super bono communi. 41. *dist.erit autem lex*, quod priuata

66 consideratione non debet omitti, 61. *dist.miramur, & cap.licet de regul.cum concordan.*

67 Quæ tamen dicta sunt de Commendis, & pluralitate incompatibilium, locum non habent in S.R.E. Cardinalibus, quia respectu ipsorum intrat potissima causa excellentiæ meritorum, Romanum Pontificem in regimine Vniuersalis Ecclesiæ consilio, & industria coadiuuando, *Redoan.de*

68 *spol.q.3.§.ex his nu.10.* Qui propterea appellantur Reges, quia cum Papa totum Mundum regũt. *Host.in cap.dilecti, il 1.de præbend. c. bonæ,de postul.Martin. Laud. in tract. de Card.q.31.*

SECTIO DECIMASEPTIMA.

De Præsentationibus;

SVMMARIVM.

Præsentatio quid sit.num.1.
Reges Hispaniarum gaudebant antiquitus præsentandi facultate. 2.
Præsentandi facultas Regibus Hispaniarum restituta.3.
Concessio facta Hispaniarum Regibus est simpliciter fauorabilis. 4.& 5.
Rex Hispaniarum præsentat ad plures Ecclesias Regni Neapolitani, & Siciliæ.5.
Præsentatio à nominatione, quomodò differat. 6.
Præsentandi facultatem habens, plures præsentare potest, non sic nominandi facultatem habens. 7.
Plures si præsententur, an sit optioni locus.8.& 9.
Vota quandò sunt paria, quis præferendus.10.
Variatio, an habeat locum in Patrono Ecclesiastico,& quando.11.
Portugalliæ Reges præsentandi facultatem habent.12.
Poloniæ Reges supplicandi facultatem habent.13.
Indultum concessum Polonię Prælatis.14

1 PRæsentatio definitur, seù describitur in genere, quod sit quædam Personæ per Patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta exhibitio, *Abb.in cap.ea noscitur,de his,quę à Prælat. Rebuff. in praxi benef.tit.de præsent.num.3. & in §. præfatique Ordinarii de collat. in concord. Franc. verbo præsentationem.* De qua quidem præsentatione plurima scripserunt *Rocch.de Curt.Paul. de Cittad. & Cæsar Lambert. in suis tract.de iurepatr.* Et de qua, quia tangit inferiora Beneficia, non

loqui-

Digitized by Google

loquimur in præsenti, sed agimus tantùm de iure, quod habet Rex Catholicus, seù alii Reges præsẽtandi Successores in Episcopatibus, Abbatiis, seù aliis Dignitatibus in suis Regnis, qui si digni reperiantur, in Prædecessorum
2 Sedibus præficiuntur. Qua quidem facultate gaudebant etiam antiquitùs Hispaniarum Reges ex dispositione *c. cum longè 63. dist.* At quia ob aduentum Arabum in Hispaniam, illam quasi perdiderant, eis restituta fuit priùs à
3 Sixto Quarto, & postremò ab Adriano Sexto, qui Carolo V. Imperatori, & Hispaniarum Regi, eiusque Successoribus Episcopos, aliasque Dignitates Hispaniæ, qui, & quæ anteà ad Regiã postulationem præficiebantur, ius præsentandi concessit *Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 8. nu. 80. & seq.* Non quidem ad obuiandum aliquibus scandalis, sed ex mero fauore, quo Regem Catholicum
4 Romana Ecclesia prosequitur. Ac proindè huiusmodi cõcessionem esse merè fauorabilem probabimus infer ius. *n. 15.*

5 Gaudet item Rex Catholicus iure præsentandi ad plures Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias in Regno Neapolitano, uti utriusq; Siciliæ Rex, & inter alias ad Salernitanen, Matheranẽ, & Acheruntinen, inuicem unitas, Hydruntinen, Tarentinen, Brundusien, & Rhegyen, Acerranẽ, Castri Maris Stab. Aquilanen, Potẽtinẽ, Motulenen, Vritanen, Arianen, Vgentinẽ, Monopolitanẽ, Iuuenacen, Cotronen, Troquitanẽ, Cassanen, & Liparen, atq; ad alias Metropolitanas, & Cathedrales in Sicilia, nec non ad Vigleuanen in Ducatu Mediolanen, titulo tamẽ Ducali.

6 Differt præsentatio à nominatione, quia qui nominandi gaudet facultate; tempore vacationis vnum tantùm nominare potest, non autem plures, qui nominatus si recusetur à Papa, tunc alterum nominare poterit, ac proindè secundum nominare non potest, nisi à die recusationis primi, & per consequens non datur locus variationi, *Rebuff. in rubr. de reg. ad præl. nominat. in verb. vnum.* Quod si secundus etiam fuerit reprobatus, tertium nominare non poterit, ex adductis à *Tiraquell. in*
7 *l. boues num. 25.* Habens verò facultatem præsentandi, plures præsentare potest, cumulatiuè tamen, non recedendo à primo, *cap. cum autem 24. ubi Abb. de iurepatr.* Quod
8 si plures præsentauerit, an sit locus gratificationi? Videtur quod sic, quando cætera sunt paria, aliàs qui potior, seù primo loco præsentatus, est præferendus, *Abb.*
9 *in d. c. cũ autem num. 3. in fin.* Quandò verò aliquis ex præsentatis est idonior altero, an sit locus optioni? Affirmatiuè sentire videtur Ananias, cum in præsentatione non ponderetur excessus idoneitatis, sed satis, quod vterque reputetur idoneus. Negatiuè tamen *Abb. in eod. cap. cum autem n. 5. per cap. si forte 63. dist.* ubi dicitur,
10 quod quando vota sunt paria, præferendus est, qui maioribus iuuatur meritis, aliàs appellare posse, tenet *idem Abb. ibid.* Quæ quidem variatio locum non ha-
11 bet in Patrono Ecclesiastico, quia ipsius præsentatio vim habet electionis, ac proindè sicuti Electores variare non possunt, *cap. publicato de elect.* ità neque Patronus Ecclesiasticus. Quod tamen intelligendum est de Patrono Ecclesiastico, cui competit præsentatio iure Ecclesiæ; secus si iure Patrimonii, quia tunc idem per omnia in eo, quod in laico, *Abb. in d. cap. cum autem num. 3.*

12 Eandem facultatem præsentandi ad Metropolitanas, & Cathe-

Digitized by Google

drales Ecclesias fuisse concessam Regibus Portugalliæ tempore Alphonsi Quinti, ex *Cald. Pereir. notat Barbos. in trac. de iur. Eccles. lib. 1. cap. 8. num. 42.* Illaque gaudere
13 pariter Poloniæ Reges, *idem Barbos. ibid. num. 84. in fin.* titulo tamen supplicationis, licèt hodiè dicatur, quod s. m. Innocentius Vndecimus ad gratificādum moderno Regi Ioanni, qui adstitit Imperatori, ad liberandam Ciuitatem Viennæ ab obsidione Turcarum, nominandi facultatem illi concesserit. Qui Reges Poloniæ ex concessione Sixti Quarti, & Innocentii Octaui Summorum Pontificum, ad plures præsentant Ecclesiasticas Dignitates maiores
14 post Pontificales. Clemens etiã Septimus, intuitu meritorum Sigismundi Regis, & Prælatorum eiusdem Regni, quandam indulsit alternatiuã, in qua cõceditur Ordinariis Collatoribus prouisio in sex Mẽsibus de Beneficiis nõ reseruatis, exclusis gratiis, expectatiuis, regressibus, ingressibus, & coadiutoriis cum futura successione. In cuius quidem indulti, & concessionis Bulla cum legatur expresè, *Quod huiusmodi literæ vim pacti, & contractus, ac statuti initi, & iurati habeant*, adiuncto decreto irritante cum clausula, *Etiam per Nos*, & emanauerint, non solùm intuitu Fidei, constantiæ, & integritatis, atque eximii deuotionis affectus Regis erga Sedem Apostolicam, verùm etiã intuitu laborum, ac meritorum eiusdem Regis, Ordinariorumq; Collatorum, qui vtpotè Consiliarii Reipublicæ eiusdem Regni, diuersa sustinent onera, vt *in prædicta Bulla*, videtur etiam prætextu ingratitudinis reuocari non posse, *l. si pater, §. fin. ff. de donat. Bal. in l. si cum mihi, ff. de dol. Roman. cõs. 436. Tiraquell. in repet. l. si unquam, in verbo donatione num. 13. C. de reuoc. donat.*

15 Quò verò ad priuilegium, & indultum Catholici Regis præsentandi ad omnes Hispaniarum Ecclesias, esse simpliciter fauorabile, cum pro tunc temporis initio fauore Ecclesiæ concessum fuerit, constat ex lectura Concilii Toletani, mutilatè *Transl. in cap. cum longè 63. dist. ubi §. 6. sic habetur. Illud quoque collatione mutua decernendum Nobis occurrit, quod in quibusdam Ciuitatibus decedentibus Episcopis propriis, dùm differtur diù ordinatio Successoris, non minima causatur officiorum Diuinorũ offensio, dum tractu terrarum commeantium impeditur celeritas nunciorum, quo aut non queat Regis auribus decedentis Præsulis transitus innotescì, aut de Successore morientis Episcopi libera Principis electio postulari; Nascitur sepè, & nostro ordini de relatione talium difficultas, & Regiæ potestati, dum consultum nostrum pro subrogandis Pontificibus sustinet, iniuriosa necessitas. Vndè placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ, & Galliciæ, saluo priuilegio uniuscuiusque Prouinciæ, vt licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque Regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani Pontificis iudicium dignos esse probaverit, in quibuslibet Prouinciis, & in præcedentium Sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis, eligere Successores.* Ex quo patet, huiusmodi indultum fuisse omninò fauorabile: Secundam verò concessionẽ à Sixto Quarto, tertiamque ab Adriano Sexto non posse dici nouas, sed antiqui iuris restitutiuas.

SE-

Digitized by Google

SECTIO DECIMAOCTAVA.

De Nominationibus.

SVMMARIVM.

Nominationis verbum quot modis accipiatur. num.1.
Nominatio ad Beneficia Ecclesiastica tripliciter diuiditur. 2.
Nominatione acquiritur ius. 3.
Nominatio quomodò differat à postulatione.4.
Nominantes non priuantur potestate nominandi, etiam si nominauerint indignum.5.
Nominatio qualiter æquiparetur postulationi. 6.
Nominatio competens Regi Franciæ.7.
Nominatio competens Vniuersitatibus Regni Franciæ.8.
Nominationes Vniuersitatum inuentæ fuerunt usque de anno 1438.num.9. Sed non fuerunt legitimæ, nisi post approbationem in concordatis. 10.
In concordatis, quæ concedat Papa Regi Franciæ.11.
Gratia nominandi ex concordatis non excedit personam Regis.12.
Priuilegium, concessum Dignitati, ad Dignitatem tantùm transit.13.
Rex ante coronationem nominare valet. 14.
Imperator ante coronationem priuilegia concedit. ibid.
Coronatio non est necessaria, sed honoris, & officii causa. 15.
Rege Franciæ non apparente, an Vicesgerens nominare posset.16.
Rege Franciæ non apparente, vtrum Capitula eligere possent.17.& seq.
Regi Franciæ an spectet nominatio ad Ecclesiam nouiter erectam. 19. & 23.
Regi Franciæ, an competat nominatio ad Ecclesias existentes in Prouinciis acquisitis post concordata.20.
Regnum est quid vniuersale. 21.
Beneficium concessum Regno, trahitur ad eius augmentum.22.
Laicus non habet beneficium nominandi, nisi sibi expressè concedatur. 24.
Concessio facta Regi Franciæ in concordatis, de quibus Ecclesiis intelligatur.25.
Seruitus futuro ædificio non constituitur. 26.
Verba Concordatorum non trahuntur ad futuros Episcopatus.27.

1 NOminationis verbum quot modis accipiatur in iure nostro, notat *Rebuff. in tract. nominat. in princ. ac diffusè per tot. 1. quæst.* Et primò quidem dicitur nominatio, quando exprimitur nomẽ, & cognomen alicuius, vel aliud æquipollens *l.1. & seq. ff. de lib. & posth. & l. certum, ff. si cert. pet.* Secundò pro quadam publicatione, uti quando excommunicatus nominatur in Ecclesia per Presbyterũ Parochialem, quæ tamen nominatio non probat, si de graui agatur præiudicio, puta de Beneficio amittendo, *gloss. in cap. 1. verbo, nomen, de except. in 6. & gloss. in cap. licet, in fin. de sent. excomm. eodem lib. 6.* Tertiò accipitur nominatio, quãdò quis conuenitur actione reali, & is authorem suum nominauit, à quo rem habuit, vt causam defendat, *l. 2. C. ubi in rem actio, l. authore de euict.* Quandò item quis rem furtiuam possidet, ut furti suspicionem euitet, eum, à quo rem habuit, nominare tenetur, *l. ciuile, & l. in ciuilem, C. de furtis.* Quartò pro electione in Officiis secularibus, quandò agitur de eligendis Consulibus, Rectoribus, Sindicis, Consiliariis, Præsidentibus, & aliis huius generis, quæ quandò tribuat ius sine confirmatione, *idem Rebuff. d. q. 1. à num. 12.*

2 Quintò, & de qua in præsenti, dicitur nominatio ad Beneficia Ecclesiastica, quæ tripliciter, & in

Digitized by Google

in tres species diuiditur. Prima competit iis, qui facultatem habent eligendi, ab his enim potest fieri nominatio Papæ de pluribus habilibus, & inhabilibus, vt unũ eligat, atque assumat, *text. in cap. 1. dist. 85. Archid. in cap. nulla de elect. in 6. & cap. quanto, dist. 63. ubi*, quod quandò sunt duo, vel tres excellentiores in Ecclesia, nominantur
3 omnes Papæ, ut de vno prouideat, *d. c. 1.* atque ex tali nominatione acquiritur ius *cap. contrà 16. q. vlt.* vt videlicèt ea pendente, ad aliam electionem non procedatur. Quæ quidem nominatio differt à postulatione, in qua vnus tantùm postulatur, plures autem nominantur. Item, quia nominatio fieri potest alternatiuè, non sic autem postulatio, *Ioann. Andr. & Imol. in cap. bonæ, in fin. de postul.* Et in his primò nominatus censetur dignior, *cap. quorundam de elect. in 6. Felin. in cap. dilecta num. 5. de reser.* ac magis dilectus, *Bal. in rubr. C. si quis omiss. cau. testa. Dec. in cap. Nicolao de appell.* Quæ quidem
5 nominatio si non fuerit perfecta, non priuantur nominantes potestate nominandi, *Rebuff. loc. cit.*
6 *num. 27.* Aequiparatur tamen postulationi in hoc, quod ante præsentationem variare quidem poterunt, non autem post, *cap. bonæ, il 2. de elect. Selua in tract. de benef. p. 3. q. 1.*

7 Aliæ duæ species nominationũ competunt singulariter, vna Regi Franciæ ad Prælaturas, quia Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis vacantibus, nec non Abbatiis, & Prioratibus, quibus prouidendo seruabatur aliàs forma, & dispositio *cap. quia propter de elect.* Rex nominat Personas
8 prouidendas, & altera Vniuersitatibus eiusdem Regni, quibus conceduntur nominationes de Personis graduatis, ac debito modo qualificatis, ut ipsis prouideatur, in vim Bullæ Concordatorũ inter Leonem Papam Decimum, & Franciscum Primum Francorum Regem, quæ registratur in *Bullar. nou. Laert. Cherub. tom. 1. fol.* 499. de qua re clariùs mox dicemus. Quas quidem Vniuersitatũ nominationes inuentas fuisse
9 usque de anno 1438. asserit *Rebuff. loc. sup. cit. q. 2. in princ.* non fuisse, tamen legitimas, nisi post
10 approbationem Papæ in concordatis; sicut filius naturalis non potest dici legitimus, nisi post legitimationem à Principe, vel Magistratu obtentam.

11 In quibus quidem concordatis Papa Regi Franciæ concedit, vt in dicto Regno Franciæ, Delphinatu, ac Comitatu Dien. & Valentin. Cathedralibus, ac Metropolitanis Ecclesiis, etiam per cessionem vacantibus, Rex Franciæ vnum grauem Magistrum, seù licentiatum in Theologia, aut in vtroque, seù altero Iurium Doctorem, aut licentiatum in Vniuersitate famosa, & cum rigore examinis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & aliàs idoneum, infra sex Menses, à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, Romano Pontifici, seù Sedi Apostolicæ nominare, & de Persona per Regem huiusmodi nominata, per Papam prouideri debere. Et si contingeret, præfatum Regem Personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, teneatur idem Rex infra tres alios Menses, à die recusationis Personæ nominatæ non qualificatæ, solicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter facte, intimandæ, computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare, alioquin, vt dispendiosæ Ecclesiarum huiusmodi vacationi consulatur celeriter

riter, Eccleſiæ tunc ſic vacāti per Papam de Perſona, vt præfertur, qualificata; nec non Eccleſiis per obitum apud Sedem Apoſtolicā vacantibus, ſemper, nulla dicti Regis præcedente nominatione, liberè prouideri poſſit. Conſanguineis tamen præfati Regis, & Perſonis ſublimibus ex cauſa rationabili; & legitima, in nominatione, & Apoſtolicis literis exprimenda; nec non Religioſis Mēdicātibus Reformatis, eminētis ſcientiæ, & excellentis doctrinæ, qui iuxtà ſui Ordinis regularia ſtatuta ad gradus huiuſmodi aſſumi non poſſunt, ſub prohibitione præmiſſa minimè comprehenſis, ſed de eorum Perſonis dictis Eccleſiis pro tempore vacantibus per Papam liberè prouideri poſſit. Monaſteriis verò, & Prioratibus Conuentualibus, idem Rex, illorum occurrente vacatione, Religioſum eiuſdem Ordinis, in ætate viginti triū annorum ad minus conſtitutum, infra ſimile tempus ſex Menſium, à die vacationis Monaſteriorum, & Prioratuum huiuſmodi computandorum, Papæ nominare, & de Perſona per Regē huiuſmodi Monaſterio, vel Prioratu vacante nominata per Papā illi prouideri, & cōferri debeat. Si verò idem Rex Presbyterum Secularem, vel Religioſum alterius Ordinis, aut minorem viginti trium annorū, vel aliàs inhabilem infra dictum ſemeſtre nominauerit, talis nominatio recuſati, & nullatenùs ipſi prouideri debeat; ſed Rex ipſe infra trimeſtre, à die recuſationis ſupradicto modo intimandæ computandum, alium ſupradicto modo qualificatum Monaſterio, ſeù Prioratui tunc vacanti nominare, & de Perſona ad Monaſterium nominata illi prouideri, & conferri debeat. Alioquin dictis nouem Menſibus effluxis, nulla, ſeù de Perſona minùs idonea, & modo prædicto non qualificata, facta nominatione, ac etiam vacantibus apud Sedem Apoſtolicā, ſemper, ac etiam nulla expectata Regis nominatione, per Papam, Monaſteriis prouideri, Prioratus verò Perſonis, vt præfertur, qualificatis dumtaxat prouideri liberè poſſit.

12 Quæ quidem gratia nominandi, cum in concordatis conceſſa fuerit Regi, ſequitur, quod Delphinus, vel alius extra Regem, etiamſi eſſet Regina, vel Mater Regis, nominare non poſſit, quia non ſunt Rex Franciæ, cui conceditur talis nominatio, & non alteri, *tex. in l. ſeruus ſi hæredi, in fin. princ., ibi: perſonæ dumtaxat eius, qui demonſtratus eſt, adhæret, ff. de ſtatu lib. Rebuff. ſuper cōcord. verbo Rex Frāciæ.* Priuilegiū enim Dignitati cō-

13 ceſſum, ad Dignitatem tantùm tranſit, *cap. quoniam, Abb. de offic. deleg.* Ac per conſequens neque Filius Regis, etiam Primogenitus nominare poterit, quia non eſt Rex, ſed vocatur ſimpliciter Dominus, vel Delphinus, ſicuti Secundogenitus dicitur Dux Aurelianenſis, & Tertiuſgenitus Dux Engoliſmenſis, qui cum de Conſuetudine non vocentur Reges, nominare non poterunt. Ipſe verò Rex etiam ante Coronatio-

14 nem nominare valet; ſicuti Imperator ante Coronationem priuilegia concedit, *Bar. & alii in*

15 *proh. ffff.*, Quia, quæ ad coronationem pertinent, honoris, vel officii cauſa magis fiunt, quàm, vel neceſſariò, vel ut ex hac coronatione quicquam iuris Regibus accedat, *Hier. Balb. in tract. de Coron. Imper. fol. 68. per tex. & ibi not. in cap. per venerabilem, de elect. Luc. de Penn. in l. vn. col. 2. C. de re. poſt. lib. 10.*

16 Quod ſi Rex non appareret, e.g. ſi à Turcis captus eſſet, vt accidit Diuo Ludouico, an Viceſgerens

Digitized by Google

rens in Regno nominare posset? *Rebuff. loc. cit. verbo existens*, asserit, tunc fortè nō fore absonū, quod
17 Ecclesiæ Franciæ, scilicèt earum Capitula eligerent, quia electiones sublatæ fuerunt in Regis fauorem, vt nominare possit, quo non existente, meliùs fore, vt eligant Ecclesiæ. Super quo tamē malè sentire videtur, *Rebuff.* quia tali casu eueniente, prouidendū
18 esset à Papa iuxtà dispositionem *regul. 2. Cancell. Apost.* quæ generaliter loquens, afficit etiam Capitula, Collegia, & Ecclesias Franciæ.

19 Quibus concordatis attentis, atquē illorū tenore, nascitur quęstio, si in Francia noua erigeretur Ecclesia, vel eidem Franciæ Regno nouæ adderentur Prouinciæ; Vtrum Ecclesiæ nouiter erectæ prouisio spectaret ad Papam, non obstantibus concordatis, sicuti etiam Ecclesiarum existentium in Prouinciis, nouiter ad prędictum Regnum vnitis, vel
20 prouidendum esset ad Regis nominationem? Crederem, quod attinet ad Ecclesias existentes in Prouinciis nouiter acquisitis, Regnoque vnitis, & incorporatis, prouidendum fore ad Regis nominationem, quia quando Prouincia adiicitur Regno accessoriè, regi debet secundùm regulam Regni, cui accedit, atque iisdem legibus, & priuilegiis gubernari, quibus ipsum Regnum, *Bar. in l. si conuenerit, §. si nuda, ff. de pignor. act. Abb. in cap. quia Monasterium, de Relig. Domi. Curt. cons.* 55. Regnum
21 enim est quid vniuersale, ac proindè omnes accessiones sibi contigentes, ipsius Regni naturam sequuntur, *l. peculium, in princ. ff. de lega.* 2. Et beneficium concessum
22 Regno, tamquam Principali, trahitur ad eius augmentum, *c. quia circa de priuil. facit l. fin. C. de allu. Albert. Brun. in tract. de augmē. Rebuff. in tract. nomin. q. 6. n. 5.* vbi quod de anno 1534. in Magno Consilio fuit pronūciatū arrestū, per quod conceditur Vniuersitati Cadomensi in Normannia nominare, & nominationes concedere, licèt concordata de ea non loquerentur. Quod si ageretur de alio Regno, seù Prouincia, totaliter disiuncta, & separata à Regno Franciæ, aliter esset dicendum, sicuti videmus, quod Hispaniarum Rex non præsentat ad Ecclesias Regni Neapolitani, nisi ad eas, ad quas specialiter habet ius præsentandi.

Quò verò ad Ecclesiam nouiter erectam, videtur quod Rex Franciæ nominatione non gauderet, nisi ei in erectione concederetur
23 expresè; tùm quia statuta in Concordatis sunt Ecclesiis odiosa, ideòque restringi debent, *l. cum quidam ff. de liber. & posth. cum cōcord.* Tùm etiam quia Laicus non ha-
24 bet beneficium nominandi, vel conferendi, nisi sibi expresè concedatur, *cap. si quis deinceps 16 q. 7.* Insuper quia concessio facta Regi Franciæ intelligitur de Eccle-
25 siis tunc existentibus; nominatio enim dari non potest ad Ecclesiam, quæ nō est; cum seruitus
26 futuro ædificio nō constituatur, *l. si Seruitus, ff. de seruit. vrban. prad.* Et per consequens prouisio spectaret ad Papam, cum verba con-
27 stitutionis non trahantur ad futuros Episcopatus, per *Clem. fin. & ibi DD. de rescript. tex. in l. si ita, ff. de aur. & argen. lega. l. Iulianus, in fin. cum l. seq. & l. vxori, ff. de lega. 3. Rebuff. super concord. in rubr. de reg. ad* Prælat. *nomin.* §. 1. *fol. mihi* 65. *col.* 1.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIVM SECVNDVM

Concordatis num altera pars derogare valeat.n.1.
Conditori legis aduersus suam constitutionem dispensare licet.2.
Papæ, & Princeps habent plenitudinem potestatis.3.
Fides in Principe lucere debet.4.
Constitutio,quæ transit in contractum, reuocari non potest.5.& 6.
Principis in arbitrio si staret contractum infringere,nullus cum eo contrahere vellet.7.
Pœna grandis est,inter homines existere, & hominum carere commercio.8.
Contra substantiam contractus,illo remanente,disponi non potest.9.
Contractus de substantia, est, vt sit vltro, citroque obligatorius.10.
Princeps contrahendo, se submittit naturæ,& substantiæ contractus 11.
Id,quod nostrum est, sine facto nostro nobis tolli non potest.12.
Princeps de iure naturali obligatur propter consensum.13.
Contractus fidē nō seruari, est mentiri.14.
Mendacium est abominabile.15.
Princeps non est solutus lege naturali, dictamine rationis, nec iure Gentium.16.
Imperator est sub pedibus iuris Gentiū.17
Papa, & alii Principes ex pacto, & contractu obligantur.18.
Priuilegium licèt transierit in contractū, Papa reuocare potest.19.
Iusta causa reuocandi priuilegium relinquitur Summi Pontificis arbitrio. 20.
Papa nisi ex iusta, & legitima causa priuilegium reuocare non debet, 21.& 22.
Papæ summa potestas à Christo immediatè proueniens.23.
Papa suam potestatem in aliqua parte à se abdicare non potest. 24.
Iuri publico quis renunciare non potest. 25.
Caput politicum, & hierarchicum implicat, vt non sit tale.26.
Concordata non habent vim pacti,sed priuilegii. 27.& 28.
Spiritualia non cadunt sub commercio.29
Papa in concordatis nihil acquisiuit, sed plurimum de suo dimisit. 30.
Papa recedere potest à contractibus cum suis subditis initis.31.
Differentia inter Papam, & Principem Secularem. 32.
Princeps Secularis quidquid cōcedit Ecclesiæ,concedit Superiori.32.
Papa quidquid concedit Principi Seculari, concedit inferiori.33.
Successor censetur vna persona cum Antecessore.34.
Concessio facta à Principe Seculari, quādò præiudicet Successori.35.
Successor ligatur ex pactis Antecessoris. 36.& 37.
Antecessor non potest iura Successoris subuertere,nec minuere.38.
Pacta sub nomine Dignitatis ligāt Successores.39.
Pacta Regalia sub nomine Gentis ligant Successores.40.
Summus Pontifex non habet causam à Prædecessore.41.
Papa,& Imperator Successoribus suis legem imponere nequeunt.42.
Par in parem nullum habet Imperiū. 43.
Differentia inter Papā,& Imperatorē.44
Imperator contrahens nomine Imperii ligat Successorem, non sic Papa. 44.
Papa potest ligare voluntatem Successoris.45.

CVm autem in concordatis, quæ super materia præsentationū, nominationum, supplicationum, atque electionum,inter Papam,& Sedem Apostolicam, ac Principem, Regem, aut Nationem fieri contingunt,inseratur,vt plurimū clausula,*quod veri contractus, & obligationis, legitimè initi, vim,& robur obtineant*,disputat *Rebuff.loc.supra citat.vers.insuper quæro*,num altera pars concordatis derogare
1 valeat? Et pro affirmatiua adducit,quod Conditori legis aduersus suam constitutionem, etiam
sine

2 sine causa dispensare liceat, quia sicut motus fuit ad agendum, ità etiam ad tollendum, & dispensandum, cum par ius sit ligandi, & soluendi, *c. verbum de pœnit. dist. 1. l. qui condemnare, ff. de re iud.* eiusq; sit nolle, qui potest, & velle, *l. eius, vbi Dec. de reg. iur.* Insuper, quia Papa, sicuti etiam Princeps habet plenitudinem potestatis, *l. Princeps, ff. de legi. cap. proposuit, de concess. præben. Bal. in cap. fin. de prohib. feud. alien. per Federic.* & prout clariùs dicemus inferiùs.

4 Pro negatiua verò, quam dicit, se credere veriorem, adducit, nihil esse quod ampliore fulgeat luce, quàm recta fides in Principe; quandò verò constitutio trãsit in contractum, reuocari non

5 potest in præiudicium eorũ, quibus ex eodem contractu ius est quæsitum, *Innoc. in cap. nouit, de iudic. Ioann. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de cens. §. nunc videdum, vers. quod si Vniuersitas, Bar. in l. hi qui, C. de*

6 *excus. mun. lib.* 10. Cui non obstat, quod suam constitutionem Cõditor reuocare possit, quia hoc habet locum, nisi transierit in cõtractum, tunc enim tollere, vel contra eam dispensare non potest, *argum. l. quod semel, ff. de decr. ab ordin. fac. Innoc. in d. cap. nouit, de iudic. Bal. in cap. innotuit de elect.*

7 Quia si staret in arbitrio Principis contractum à se factum confringere, nullus cum eo contrahere vellet, sicque humano commercio careret, quod valdè absurdum esset, vt qui omnium Præsul, pariter omniũ exul esset, *Bal. in l. Princeps, ff. de legi. Ias. in l. si pecuniam, col. 5. num. 13. ff de cond.*

8 *cau. dat. Alex. cons. vlt. num. 22. col. 4.* Cum tàm grandis pœna sit, inter homines existere, hominumque carere commercio, *l. hi qui Sanctá C. de post. l. quod si minor §. 1. ff. de min.* Et indubitati iuris est, neminem posse contra substantiam

9 contractus, illo remanente, disponere, *l. cum de precario, ff. de precar. gloss. in c. 2. de consuetud. in 6. l. vbi, ff. de donat. cau. mor.* Cumq; de substan-

10 tia contractus existat, vt sit vltro citroque obligatorius, *l. labeo, ff. de*

11 *verb. signif.* Princeps contrahẽdo, se subiicit naturæ, & substantiæ

12 contractus, habetque locum regula, id, quod nostrum est, sine facto nostro nobis tolli non potest, *l. id quod nostrum, vbi Dec. ff. de regul. iur.* ex contractu autem ius quæritur parti per supradicta.

13 Insuper quia Princeps de iure naturali obligatur propter con-

14 sensum, *l. 1. ff. de pact.* & nisi seruaret fidem contractus, esset mentiri, *l. dolus, ff. manda.* mendacium autem est abominabile, præser-

15 tim in ore Principis, *Bal. cons. 24. col. 2.* proindè licèt Princeps solutus sit legibus, non est tamen solutus dictamine naturalis ratio-

16 nis, nec lege naturæ, neque iure Gentiũ, cui Princeps derogare nõ potest, *Bal. in l. 2. col. 6. n. 40. C. de seru. & aqu. Dec. cons. 48. col. 3. gloss. in l. 2. c. de prec. Imper. offer. l. ex hoc iure*

17 *ff. de iust. & iur.* licèt enim Imperator sit supra caput iuris ciuilis, est tamẽ sub pedibus iuris Gentium, eoque iure ligatur, *Barbat. in cap. 1. col. 11. n. 78. de constit.* Et demum quia ex communi omniũ vtriusque iuris professorum sententia,

18 Papa, & alii Principes ex pacto, & contractu obligantur, *Bar. & alii in l. digna vox C. de legi. Bal. in l. fin. C. de transac. & l. ex imperfecto C. de testa. Ias. in l. Ciuitas, col. 3. ff. si cert. pet. Barbat. in d. cap. 1. col. 5. de constit.*

Quia tamen maxima est differentia inter veros contractus, de quibus loquũtur authoritates adductæ à Rebuffo, in quibus aliquid hinc, inde datur, vel promittitur, ità vt mutua sit obligatio, & priuilegia, quæ dicuntur habere vim contractus, ideò negatiua reiecta, dicendum, ac tenendum est,

Digitized by Google

est, quod licèt priuilegium tran-
19 sierit in contractum, illud tamen Princeps ex causa publica, & iusta reuocare possit, *l. si hominem, ff. mãda. Soccin. cons. 4. col. 3. vol. 3. Alex. cons. 16. col. penult. vol. 5. Aretin. in c. nouit, in gloss. quicumque, de iudic. Rebuff. in præfat. ad rubr. de coll. fol. 141.*
20 *vers. ité priuilegiũ.* Quãdò verò iusta dicatur causa reuocandi, tradit *Ias. cons. 1. col. 10. vol. 1.* Sed absolutè relinquendum arbitrio Summi Pontificis, *cap. illorum, de senten. excomm. Roman. cons. 332. Frãc. Marc. decis. 1251. p. p.*

21 Verùm hanc materiam generaliter ex professo disputat *Nicolart. in prax. benefic. tit. de vsu, & obseruat. concord. German. dub. 3.* & præmissis rationibus pro negatiua, ipse deindè resoluit affirmatiuè, cum hac tamen distinctione, quod Papa passim pro suo arbi-
22 trio, & absque legitima causa concordatis derogare non debeat; possit autem, vbi legitima causa, Ecclesiæ scilicèt vtilitas, vel necessitas, aliaue similis pro locorum, & temporum circumstantiis id exegerit. Quod probat primò ex summa, & absoluta au-
23 thoritate, à Christo immediatè proueniente, quæ in Summo Pontifice, ceù capite materiali, & eiusdem Christi Vicario residet, de rebus omnibus Ecclesiasticis, & præsertim de Beneficiis, & officiis disponendi, *text. in clemen. vt*
24 *lit. pend. in fin.* Quam potestatem pro aliqua parte adeò à se abdicare non valet, quin penes se maiorem retineat, *vulg. cap. dudum, de prebend. in 6. Gonz. super regul. 8. Cancell. §. 1. prob. n. 10. & seqq. Suarez contra Reg. Anglię, lib. 4. cap. 34. n. 22. & seqq. Diana resolut. moral. p. 5. tract. 1. resol. 14.* ea ratione, quia li-
25 cèt quis iure priuato pro se, & in suam priuatam vtilitatem renunciare possit, non tamen iuri publico, minùs diuino, publicam vtilitatem Ecclesiæ concernenti, *l. iurisgentium, 7. §. ait. prætor. ff. de pact.*
26 Implicat insuper, vt Corporis Hierarchici, & Sacri Politici caput, quà tale consideratum, non sit caput, nec potestatem habeat eiusdem Corporis Hierarchici capiti iure Diuino competentem, cum per illam potestatem in esse capitis constituatur, *l. potestatis. 215. & ibi DD. ff. de verb. signif.*

Secundò, quia cõcordata Sum-
27 mi Pontificis cum aliquo Rege, seù Principe, quantùm est ex parte ipsius Papæ, non habent tantùm vim pacti, quàm priuilegii, *Rebuff. ad concord. Francię tit. de approbat. cõuen. vers. priuilegiis. Brand. ad concord. German. q. 8. n. 3. Suar. loco supra cit. Malder. in 1. 2. D. Th. q. 69. art. 4. Laym. Theol. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 10. n. 5. Dian. resolut. moral. p. 1. tract. 2. resol. 96. & par. 5. tract. 1. resol. 14. Rota in Leodię Canonicatus, 15. Martii, 1610. decis. 266. p. 3 recent.* Ibi: quæ dicuntur, quod concordata habeant
28 vim contractus, non sunt vera,
29 quia Spiritualia non cadunt sub commercio, sed expediuntur per viam gratiæ. *Put. decis. 52. n. 5. lib. 1.*
30 Et Papa per huiusmodi concordata nihil de nouo acquisiuit, sed plurimum de suo dimisit, vndè remanent purum priuilegium, *ad notat. in cap. Abbate, de verb. signific. & per Hostiens. in summ. tit. de priuil. n. 1.*

Tertiò, quià etiam si concesserimus, concordata habere vim veri contractus, certum est, quod,
31 Princeps ex causa à pactis, & contractibus recedere potest, præsertim initis cum suis subditis, illisque derogare, *DD. in cap. in nostra, de iureiur. Feli. in c. nouit ille, de iudic. n. 8. & alii citati apud Cok. ad regul. 8. Cancell. gloss. 11. n. 31. Butr. in cap. cum M. Ferrarien, n. 11. de constit. Paul. Paris. cons. 11. n. 51. & seq. vol. 1. Suarez, & Diana locis supra cit.* Rebuffum

contrarium tenentem confutantes, vbi eam inter Papam, & Prin-
32 cipem Secularem statuunt differentiam, quod Princeps Secularis, si per concordata quidquam Priuilegii, vel fauoris concedit Ecclesiæ, id omninò facit Superiori, & non subdito, ideoque ma-
33 net per illius potestatem irreuocabile; Papa verò quidquid fauoris, aut Priuilegii concedit Principi Laico, cum semper concedat Subdito in Spiritualibus, ideò semper à se reuocabile manet, si id ratio boni spiritualis expostulat, & bonum regimen ipsius Ecclesiæ.

Quod verò attinet ad Clausulam, *Etiam per Nos, & Successores nostros*, quæ in concordatis quandoq; inseri contingit, vtrum Successores afficiat, disputant Doctores, & pro affirmatiua adducitur,
34 quia Successor censetur vna Persona cũ Antecessore, *authen. de iureiur. à mori. præst. coll. 4. ibi.* legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii suffecti essent, & Populum eundem hoc tempore putari, qui ab hinc annis centum fuisset, cum ex illis nemo nunc viueret, *l. proponebatur ff. de iudic.* Ideoque dicit, *Bar. in l. prohibere, §. plane, ff. quod vi, aut*
35 *clam*, quod concessio, seù donatio facta à Rege, quæ non affert magnum præiudicium Successori in Regno, & iurisdictioni Regali, præiudicat Successori, per *c.*
36 *Abbate sane, de re iudic. in 6.* sicque Successor ligatur ex pactis, & cõcordatis initis cum Prædecessore. *Bal. in c. 1. Qui succes. feud. da. tene. & cõs. 271. vol. 1. & cõs. 371. vol. 3. Igneus in repet. l. donationes, col. 2. & seq. C. de donat. int. Vir. & Vxo. Rebuff. loc. cit.* Subdens, quod ista est vera, & cõmunis vtriusque iuris Doctorum
37 conclusio, quod contractus Principis in suos Successores transit, eis præiudicat, atque eos obligat. *Ias. cons. 10. col. 3. vol. 3. Calcan. cons. 62. col. 2.* Nisi tamen Regalia cõcederet, *cap. intellecto, de iureiur.* quia
38 sicuti non potest iura Successorum subuertere, ita nec minuere, *l. si optio, ff. qui, & à quibus, cap. 1. quę sint regalia. Ias. cons. 1. col. 3. vol. 1. & cons. 10. in fin. vol. 3.* Quæ tantò ma-
39 gis locum habent, quandò pacta sub nomine Dignitatis sunt inita,
40 *cap. quoniam Abbas de offic. deleg.* Sicuti quãdò pacta sunt regalia, vt potè facta sub nomine Gẽtis, quia transeunt ad Successores, *l. conuentionum. ff. de pact. Bal. in l. digna vox in fin.* eoque magis, quandò Successorum fit mentio. *Bal. cons. 159. col. 2. vol. 3.*

Econtrà verò videtur omninò sentiendum, talem clausulam non ligare Successores Summi Pontificis, cum non habeant cau-
41 sam à Prędecessore, *Bal. in l. si Pater, C. si pend. apell. mors interu. l. lex vectigali, ff. de pignor.* Papa enim, & Imperator Successoribus suis le-
42 gem imponere nequeunt, *Ioan. Monach. in cap. 1. de constit. in 6. Bal. in proh. feud. col. 4. vers. expedita, & capitulo 1. in princ. col. vlt. qui feu. dar. poss. post glos. ibi in verb. Abbatissam, Ant. de Butr. cons. 74. col. 1. per cap. innotuit, de elect. paulò post prin.* ibi: Qui Successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari post eũ, imò eadem potestate functuris. Sicuti enim Papa sibi manus liga-
43 re non potest, *c. fin. & ibi gloss. de rescrip. in 6. & c. innotuit 20. de elect.* ità multò minùs alteri Papæ, cum par in parem non habeat imperium, *d. cap. fin. & ibi glos. verbo, temporibus, & d. cap. innotuit, l. digna vox, C. de legi. l. 4. ff. de arbitr. l. ille à quo, §. tempestiuum, ff. ad Trebell. Bal. in proh. ffff. col. 4. versu, sed oppono,* vbi sicuti Imperator Successori legem imponere non potest, ità nec legem contractus, nàm omnis authoritas pendet à lege, *l. legitima, ff. de*

Pact.

Digitized by Google

pact. Barbat. *plenissimè cons.* 1. *vol.* 1.

44 *Rota in vna Primicerìatus Montis alti coram Verospio* 8. *Iunii* 1643. *Nicolart. loc. sup. cit.* vbi inter Papã, & Imperatorem hanc ponit differẽtiam, quod licèt Imperatoris Successor nõ à Prædecessoribus suis, sed per electionem ius in Imperiũ assequatur. Si tamen ipse contrahat nomine Imperii, tunc etiam Successor ligatur, quia ius ad Imperium ab ipso Imperio recepit. Secus autem in Summo Põtifice, qui ius suum non recipit ab Ecclesia, sed immediatè à Christo Domino.

Quamuis autem hæc sit vera, & indubitata conclusio, quod Papa sibi, & Successoribus suis manus, Pontificiamque potestatem ligare nõ potest per iura superiùs

45 adducta; potest tamen ligare voluntatem, ut concordatis, & aliis dispositionibus derogare nolit, nisi necessitatis, & euidentis vtilitatis exigente causa, ad quod de honestate, ac vrbanitate quodammodò videtur adstringi, *cap. peruenit* 11. *q.* 1. *l. digna vox, C. de legib.* sicuti Iustitiæ, & rationis ordo suadet, vt qui à Successoribus suis mãdata sua seruari desiderant, ipsorum Prædecessorum voluntatem, & statuta custodiãt, *cap. iustitiæ* 25. *quæst.* 1. *text. in cap.* 1. *ibi Prædecessores tuos, de probat. l. fin. ff. de donat. inter vir. & Vxor. Alber. in l.* 1. *col. penult. ff. de offic. Procur. Cæsar.* facit etiam, quia quod aliàs multis vigiliis, & summa prudentia stabilitum est, Romanus Pontifex, qui summo studio tuetur, vno verbo ad libitum non subuertet, *cap. Ecclesia vestra, il* 2. *glos. verbo, de elect. cum concordan.*

SECTIO DECIMANONA.

De Electione.

SUMMARIUM.

Electionum materia restricta ad Germanicam Nationem. num. 1

Bulla Nicolai Papæ Quinti pro instituto. 2.

Bulla Nicolai Papæ Quinti, confirmata à Clemente VII. & Gregorio XIII. 3.

Electionum causæ frequentiores in Sacra Congregatione rerum Consistorialium. 4.

Electionum de materia qui scripserint, remissiuè. 5.

Electionum causæ ad tria capita reducuntur. 6.

1 ELectionum materia, quæ olim vniuersaliter viguit, quàm ampla sit, constat ex tot Generalium, ac Prouincialium Conciliorum Statutis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, quæ registrantur in Decreto, Decretalibus antiquis, & Sexto, Clementinis, & Extrauagantibus; hodiè tamen Regula secunda Cancellariæ Apostolicę, reseruatoria Ecclesiarum, & Beneficiorum electiuorum, Regum nominationibus, præsentationibus, & supplicationibus obsistentibus, ad vnam Germanicam Nationem est restricta, vbi viduatis Ecclesiis prouidetur per electionem, ad formam *cap. quia propter de elect.* vel per postulationem, secundùm antiquam iuris dispositionem in vim Cõstitutionis Nicolai Papæ Quinti, quæ Concordatorum Germaniæ nuncupantur, registrat. in *Bullar. nou. tom.* 1. *fol.* 305. secundum quod attinet ad nostrum institutum, tenoris,

qui sequitur.

2 *Placet Nobis, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus, etiam immediatè non subiectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subiectis Sedi Apostolicæ fiant electiones Canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiá ad tempus Constitutionis fel. rec. Nicolai Papæ Quinti, quæ incipit, Cupientes, expectabimus, & elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus Canonicæ fuerint, prouidebimus. Et si Canonicæ fuerint, eas confirmabimus, nisi rationabili, & euidenti causa, ac de dictorum Fratrum consilio de digniori, & utiliori Persona duxerimus prouidendum, prouiso, quod confirmati prædicti, & per eos prouisi Metropolitanis suis, & aliis præstent debita iuramenta, & alia, ad quæ de iure tenentur, & in Monasteriis dictæ Sedi non subiectis, & aliis Regularibus Beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel prouisione ad dictam Sedem non consueuit haberi recursus, electi, seù illi, quibus prouidendum est, pro confirmatione, & prouisione huiusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur, ipsaq; Regularia Beneficia sub expectatiuis nõ cadant. Vbi autè pro Monasteriis ad dictam Curiam venire, seù mittere cõsueuerat, non aliter confirmabimus, vel prouidebimus, quàm superiùs de Cathedralibus Ecclesiis est expressum; & de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & per commissionem ad partes, &c.* Hæc in dicta Constitutione.

3 Quæ quidem Constitutio Nicolai Quinti renouata fuit per aliam Clementis Septimi Kalend. Iulii 1534. in qua grauissimæ pœnæ comminantur contra illius violatores, & usurpatores collationum, ad Papam spectantium, vt in *Bull. nou. ton. 1. fol.* 609. Nec non per alteram Constitutionẽ Gregorii XIII. sub dat. Kalen. Nouembris 1576. cum nonnullis declarationibus, prout videre est in *Bull. nou. tom. 2. fol.* 409.

4 Proindè inter causas, quas in in Sacra Congregatione rerum Cõsistorialium discuti contingit, frequentiores sunt super electionibus Germanicæ Nationis, scilicèt eiusdem Capitulorũ, & Collegiorum, ad Cathedrales Ecclesias, & Monasteria, An sint con-
5 firmandæ, vel infirmandæ? De qua quidem electionum materia, licèt multa habeãtur in iure dispositа, plurimaque, & à pluribus, & ex professo, & incidenter scripta reperiantur, & ante regulas Cancellariæ Apostolicæ, & post easdem, ac post concordata prædicta, nec non post Concilium Tridentinum, vt videre est apud *Barbos. super Decretal. in summa tit. de elect.* Omnia tamen ad tria capita reducuntur in substantia, videlicèt ad requisita eligendorum, ad facultates eligentium, & ad electiones ipsas, circa modum, & formam eligendi.

§. 1.

De Eligendorum Requisitis.

SVMMARIVM.

Qualitates requisitæ in Episcopo iuxtà D. Paulum. num. 1.
Requisita de iure in eligendo ad Episcopatum. 2. & seqq.
Eligi debet Episcopus de gremio Capituli. 2.
Maior pars si eligat extraneum, & minor pars eligat de Capitulo, sustinetur electio minoris partis. 3.
Electus de gremio Capituli sufficit bonus. 4
Bonitas vnius nõ debet alteri facere præiudicium. 5.
Electus de aliena Ecclesia debet esse optimus. 6.
Tutor electus de eadem Ciuitate sufficit, quod sit bonus, si eligatur de alia, de-

Digitized by Google

debet esse optimus. 7.
Electio de idoneiori quandò fieri debeat. 8
Electio melius est vt fiat de idoneo eiusdé Collegii, quàm de idoneiori ex alio. 9. & 10.
An peccent in conscientia non eligentes magis idoneum. 11.
Electio facta de idoneo à maiori parte, est valida. 12.
Ius Canonicum disponendo de foro iudiciali, disponit etiam in Animæ salutem. 13.
Electio valida in foro iudiciali, est etiam valida in foro conscientiæ. 14.
Ius Canonicum nunquam iniicit laqueum. 14. & seqq.
Eligere meliorem potest esse de consilio, non autem de præcepto. 17.
Eligendo quis conscientiam suam quandò cum aliis conformare debeat. 18.
Præferendus sit nè Theologus, an Canonista. 19. & 25.
Episcopo inesse debet spiritualium, & tèporalium scientia. 19. & 20.
Episcopus instructus esse debet in Ecclesiasticis functionibus, & Fidei documentis. 21.
Episcopus adhærere debet sanctionibus, & legibus magis, quàm dictis Sanctorum. 22.
Episcopus secularium legum notitiam habere debet. 23.
Canonista præferendus est Theologo. 24. & seq.
Theologus magis, quàm Canonista, quandò sit eligendus. 25. & 26.
Theologus, & Canonista aliis omnibus est præferendus. 27.
In eligendo requiritur saltem sufficiens scientia. 28.
Scientiæ diuisio in eminentem, mediocrem, & sufficientem. 29.
Episcopus notitiam habere debet noui, ac veteris Testamenti. 30.
Requisita in Episcopo à Concilio Tridentino. 31. & 32.
Episcopo de scientia testimonium habere debet ab Vniuersitate Studiorũ, vel à suis Superioribus, si sit Regularis. 33
Eligendus in Episcopum, debet in sacris Ordinibus esse constitutus. 34.
Aetas eligendi debet esse triginta annorum completorum. 35.
Eligendo non sufficit quod sit legitimatus per subsequés matrimonium. 37.
Eligendus non debet esse aliqua censurâ ligatus. 38.
Eligendus non debet præstare consensum suæ electioni, antequá sit electus. 39.
Eligendo, etiam ignoranti, nocet simonia. 40.
Eligendus non debet fuisse Schismaticus, nn. 41. & 42.
Schismaticus à quo dispensandus. 43.
Eligendus plures Dignitates, seù Beneficia Curata habere non debet. 44.
Beneficia plura possidens incidit in multa vitia. 45.
Cupidus, seu auarus non eligendus. 46.
Eligendus renunciasse non debet electioni de se factæ. 47.
Eligendus non est, cuius aliàs electio cassata fuit vitio personæ. ibid. 47.
Reprobatus vitio personæ ad aliam Ecclesiam non est eligendus. 48.
Eligi qui non possunt vitio personæ. 49.
Eligi non potest consentiens electioni de se factæ per abusum secularis potestatis. 50.
Ecclesiæ Dei expedit habere subditos locupletes, pro eius defensione. 51.
Ditior cæteris paribus in electione est præferendus. 52.
Eligi non debet ad Regularem Ecclesiá, qui non est expressè professus, & in Ordinis regula instructus. 53
Arandum non est in Boue, & Asino, nec vestiendum veste, lana, linoque contexta. 54.
Religiosus vnius Ordinis eligi non potest ad Prælaturam alterius Ordinis 55.
Facultatem habentes præsentandi ad Abbatias Regulares, & Seculares ad Regulares præsentare non possunt Personas seculares, nec è contra. 56. sicuti neque Regulares alterius Ordinis. 57.
Obtinentes Monasteria, Abbatias, seù Prioratus, Ordinum capita, intra sex Menses solemniter profiteri tenentur. 58.

Ele-

Electus, an validitatem suæ electionis probare teneatur. 59.
Eligendus an sit Summus Pontifex de Collegio Cardinalium. 60.

1 QVod attinet ad qualitates, & virtutes, quibus fulgere debet Episcopus, hæ recensentur in *epist. 1. ad Timoth. cap. 3. & in epist. ad Tit. cap.* 1. Oportere videlicèt, Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum &c. Quæ requisita sigillatim explicat per plures glossas *Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 1. tit. 2.*

De iure autem, ad hoc, vt sustineatur electio Episcopi, quoad
2 ipsius Personam, debet primò eligi de gremio ipsius Ecclesiæ, quatenùs reperiatur idoneus, *tex. in*
3 *c. nullus*, 61. *dist. vbi gloss.* Quod si maior pars Capituli eligit extraneum, & minor pars eligit de gremio Capituli, sustinetur electio pauciorum, cum eligant secundū formam Canonum de eorum gremio. Et quamuis *in cap. licet*, 8. *q.* 1. dicatur, eligendum eum, qui præstantior, qui doctior, qui sanctior, qui in omni genere virtutū excellentior, attamen *gloss. ibid. verbo, præstantior*, relatis variis opinionibus hinc, indè, concludit finaliter, sufficere, si de eodem gremio bonus eligatur, quia maior
4 bonitas vnius non debet alteri facere præiudicium, *3. q. 9. necesse, &*
6 *cap. tenemus*, 1. *q.* 1. Si autem eligatur de alia Ecclesia, debet optimus esse, sicuti si Tutor assumatur de eadem Ciuitate, satis est, quod sit bonus, si autem de alia, tunc optimus esse debet, *l. diuus ff. de tut. & cur. dat.* Distinguit nihil ominùs,
8 *Abb. in cap. constitutis n. 2. de appell.* quod si à principio fuit appellatum, ne fiat electio, nisi de idoneori, & tunc si in eodem Collegio reperiatur magis idoneus, non valeat electio facta de idoneo, cum de iure teneantur eligere idoneorem, vt in *d. cap. licet*, scilicèt de
9 eodem gremio seù Collegio, non de alio, vt dictum est, cum honestius sit, vt idoneus eligatur de eodem Collegio, quàm quod fiat transitus ad idoneiorē alterius Collegii, facit *text. in cap. nullus Episcopus*, 61. *dist.* & quod notatur, & legitur in *c ap. inter Canoni-*
10 *cos de elect.* aut non fuit appellatum, & tunc teneat electio facta de idoneo, omisso idoneiori, *argum. c. cum Nobis, & c. cum dilecti de*
11 *elect. & text. iunct. gloss. in cap. terra, eod. tit.* Peccare tamen in conscientia nō eligentes magis idoneum, quia Ecclesiæ meliori, quo possunt, modo consulere tenentur. Quæ tamen opinio Abb. non vi-
12 detur subsistere, ex quo enim electio facta de idoneo, dummodò à maiori parte, est valida, *cap. quia propter, & cap. cum in cunctis, de elect.* per quæ iura remanet correcta
13 litera *d. cap. licet*. Et ius Canonicum, in quantum disponit pro foro iudiciali, semper disponit in Animæ salutem, vt liquet ex *cap. cum contingat, de iureiur.* per consequens si electio facta de idoneo est valida in foro iudiciali, est e-
14 tiam valida in foro conscientiæ; quia ius Canonicum nunquam iniicit laqueum, neque defendit in peccatis, *cap. per literas, de restit. spol.* Et quatenùs talis electio in-
15 duceret peccatum in foro conscientiæ, ius Canonicum illam
16 non substineret in foro iudiciali. Est enim infallibilis regula, quod omne id, quod de iure Canonico est permissum in foro iudiciali, censetur etiam permissum, & licitum in foro conscientiæ, aliàs ius Canonicum iniiceret laqueum, & peccarent exercentes actum authoritate Canonis, quod non est dicendum. Quæ sententia confirma-

firmari videtur ex *D.Tho.22.q.185 art. 8. & Augustin. de Ancona de potest. Eccles. q.3. art. 4.* concludenti-
17 bus, quod eligere meliorē poſſit quidē eſſe de conſilio, nō autē de præcepto, cum ſufficiat eligere bonum, per *text. in d. cap. cum in cunctis de elect.* Diſtinguit tamen idem *Augustin. loc. cit. n. 3.* Quod ſi minùs doctus, aut minùs ſufficiēs habeat plures voces, & magis ſufficiens, magiſque doctus habeat pauciores, tunc ſi eligenti dicta-
18 ret conſcientia, quod eligendo magis ſufficientem, & doctiorem, amitteret vocem ſuam, tali caſu poteſt conſcientiam ſuam conformare cum aliis; Sed ſi tot ſuffragia haberet, tàm vnus, quàm alter, & crederet, quod per vocē ſuam augeretur numerus eligentium magis ſufficientem, & magis idoneum, tali caſu magis ſufficientem, & idoneiorem eligere teneretur, quia conſcientia ſua ad illud eum adſtringeret.

19 Quiſnam verò præferendus ſit, Theologus, an Canoniſta, diſputant Doctores, cum adeſſe debeat Epiſcopo, tàm ſpiritualium, quàm ſecularium rerum notitia, vt
20 multis exemplis habetur, *39. diſt. in prin.* taliſque conſtituendus eſt in regimine, qui non ſolùm de ſalute Animarum, verùm etiam de extrinſeca Subditorum vtilita-
21 te, & cautela ſciat eſſe ſolicitus, *ead. diſt. 39. c. 1.* Hinc ſicuti in lege Domini inſtructus eſſe debet, in Eccleſiaſticis fūctionibus exercitatus, Fidei documēta ſimplicibus verbis aſſerendo, cum nō debeat Eccleſia Domini regenda credi iis, qui legitimarum inſtructio-
22 nū ſunt neſcii, *c. ſtatuimus. 61. diſt.* Ita in iudiciis adhærere tenetur Epiſcopus Sanctionibus, & legibus Pontificiis potiùs, quàm explicationibus Sacrę Paginę Doctorum, etiam Sanctorum, quia non habuerunt ſtatuendi poteſtatem, ſed tantùm explicandi *diſt. 20. in princ.* Debet inſuper Seculariū legum habere notitiam,
23 quibus Eccleſia in temporalibus vtitur, *cap. quoniam diſt. 10. cap. 1. de nou. oper. nunciat.* Hinc ſimpliciter
24 notat *Abbas in cap. Fraternitatis, de Cler. non reſid.* Quod Canoniſta, cęteris paribus in obtinenda Prælatura præferendus ſit Theologo, *Hoſt. & alii, in cap. 1. de conſang. & affin.* Qui tamen in diſcurſu, vtrum
25 in Prælatum eligendus ſit purus Canoniſta, an purus Theologus, ſe reſtringunt ad hoc, quod ſi Eccleſia remota ſit ab Hæreticis, & pro maiori parte conſiſtat in iuriſdictione, & cauſarum ventilatione, eligendus ſit Canoniſta, quia ex Canonum notitia ſpiritualibus, & temporalibus commodè prouidere poterit, *cap. nouit, 12. diſt. & c. 1. diſt. 10.* Si verò Ec-
26 cleſia ſit Hæreticis vicina, purum Theologum eſſe præferendum, *cap. in cauſis in fin. de elect. cap. excommunicamus, §. Si qui de Hæreticis.*
27 Si verò mixtus ex vtraque ſciētia concurrat is, vtriſque ſemper eſt præferendus, *gloſſ. in c. officii, 36 in verbo, incontinenti, de elect. Gregor. de benef. cap. 37. n. 14. in fin.*
28 Ex quibus conſequitur, ad idoneitatem eligendi, in quolibet caſu, requiri ſaltem ſufficientem ſcientiam, *cap. qualiter, & cap. cum in cunctis, de elect. vbi Abb. num. 4.*
29 Diſtinguit inter ſcientiam eminentem, mediocrem, & ſufficientem, itàvt eminens ſcientia dicatur illa, per quam quis ſcit difficillimas quæſtiones explicare, & diffinire ſine librorum reuolutione; mediocris verò, per quam difficiles quæſtiones deciduntur cum reuolutione librorum; & ſufficiens, quæ requiritur ſecundum qualitatem Officii, ſeù Beneficii; ac proindè quis dicatur ha

bere

bere sufficientem scientiam, quandò sufficienter illa potest explere, quæ necessariò incumbunt Officio suo; in quo conueniunt omnes Scribentes; Verùm quòad scientiam eminentem, secundum opinionem *Rebuff. super concord. Franc. rub. de reg. ad Prælat. nomin. §. 4. vers. eminentis scientiæ*, ille dicendus eminentis scientiæ, qui præ aliis maiorem habet scientiam, & benè scit respondere quęstionibus propositis; mediocris verò, 30 quandò multos habet sibi pares: Inferens deindè *Abb. loc. cit.* quod Episcopi debent habere notitiam noui, & veteris Testamenti, cũ de Fide rationem reddere teneãtur, *text. in cap. qui Episcopus, 23. dist. & 62. dist. c. 1. & 2.* Et in Concilio Tridentino, *sess. 22. de reform. cap. 2.* statuitur, vt qui venit ad Ecclesiam 31 assumendus, is non solùm natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ à Sacris Canonibus requiruntur, plenè sit præditus, verùm etiam in Sacro Ordine anteà, saltem per sex Mensium spatium, fuerit constitutus; eaque scientia præter hęc polleat, vt muneris sibi 32 iniungendi necessitati satisfacere possit; Ideoq; antea in Vniuersitate Studiorum Magister, seù Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, aut iure Canonico sit promotus, aut Publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod 33 si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat. Quomodo verò aliter probetur scientia, habetur in *cap. si fortè, & ibi Barbos. de elect.*

34 Sicuti igitur in Sacris Ordinibus debet esse constitutus, *cap. nullus, vbi gloss. & DD. 60. dist.* ità in ætate triginta annorum, *c. qui in alieno, 51. dist. c. Episcopus, dist. 77. & c. cum in cunctis, 7. de elect. Narbon. de ætate, anno trigesimo*, vbi pluribus 35 relatis, affirmat, hanc triginta annorũ ætatem debere esse completam; præsertim hodiè ob *Constitutionem Gregor. Decimiquarti sextam* 36 *in ordine Bullar. nou. tom. 2.* Non illegitimus, *d. cap. cum in cunctis, & t. innotuit de elect.* hoc est natus de Parentibus matrimonio legitimo coniũctis, *Abb. in d. c. cum in cunctis, vbi n. 3.* Quod nõ sufficit esse legi- 37 timatum per subsequens matrimonium, ex quo dicitur expresè in textu, de legitimo matrimonio 38 natus. Nec debet esse excommunicatus, suspensus, interdictus, aut voce passiua priuatus, *cap. per venerabilem, c. cum inter, de elect. cap. dilectus, & ibi gloss. & DD. de consuetud. c. constitutus, & ibi glos. de appell. & c. præsenti, de postul. Prælat. Abb. in cap. illa quotidiana, n. 7. de elect.* Sicuti nõ debet pręstare consensum electio- 39 ni suæ, antequam fuerit electus, *cap. cum post, vbi Abb. de elect.* Et ne- 40 que electus per simoniam, etiã ipso ignorante, *c. si alicuius, & ibi gloss. de elect.* Nisi tamen hoc in fraudem ipsius electi factum fue- 41 rit, *cap. cum Nobis, de simonia.* Non debet insuper fuisse schismaticus, licèt postea ad vnitatem Ecclesię reuersus, *cap. quia diligentia, 5. de* 42 *elect.* Quod intelligendum est de Schismatico publico, secus de occulto, *Garz. de benef. p. 11. cap. 10. §. 1. n. 64.* vbi tenet *cum Abb. d. c. 5.* 43 quod in Episcopis requiritur dispẽsatio Papæ, in aliis verò sufficiat dispensatio Episcopi. Plures 44 Dignitates Ecclesiasticas, aut plura Beneficia Curata sine Papę dispẽsatione habere non debet, *tex. ad lit. in cap. dudum. 57. de elect. vbi* 45 *Abb. n. 6.* notat, quod detinens plura Beneficia minus canonicè, incidit in multa vitia, scilicèt in transgressionis notam, quę canonicam inducit infamiam, *6. q. 1. infames.* Secundò in cupiditatis vitium, quod maximum est, & impediẽs, quem ad Dignitatem promoueri. *c. virum, 44. dist. & cap. 1. in princ.*

Digitized by Google

46 *princ. dist. ead.* ubi quod authoritate Apostoli cupidi promoueri prohibentur; & secundum Tullium pessima res est cupiditas, quia egenos facit quos capit, cum finẽ quærendi non inueniat. Tertiò committit furtum cũ sacrilegio, & crimen peculatus, idest de re publica. Demùm renunciasse nõ debet electioni de se factæ, *cap. cũ*
47 *inter* 16. *de elect.* Neque aliàs fuisse cassatam eius electionem vitio ipsius personæ, *cap. super eo* 12. *de*
48 *elect.* vbi notant Doctores, quod semel reprobatus vitio personæ, nec ad primam Ecclesiam, neque ad aliam eligi potest, *Barbos. in d. c. super eo, num.* 2. Quinam autem
49 sint, qui vitio personæ nequeunt eligi, recensẽt minutim idem *Barbos. de offic. & potest. Epis. parte* 2. *allegat.* 42. *&* 43. *per tot.* videlicèt mutilatus aliquo principali membro, facie notabiliter deformis, Cęcus, balbus, vel notabiliter blesus, leprosus, comitiabili morbo correptus, paralyticus, & apopleticus, furiosus, demoniacus, gigas, vel pigmeus, & vniuersaliter facti, vel iuris ignorantia notatus. Idẽ currit, si quis
50 cõsẽserit electioni de se factæ per abusum Secularis potestatis, quia non solùm electio est nulla, verùm ipse remanet vlteriùs ineligibilis, *cap. quisquis* 45. *de elect.*

Quò verò ad potentiam, diuitias, & nobilitatem, licèt apud Deum non sit acceptio personarum *cap. venerabili, de præbend. cap. nouit, de iudic.* quandoque tamen habenda est personarum, scilicèt earum qualitatum distinctio, *c. de*
51 *multa, in fin. de præben.* Cum expediat, in Ecclesia Dei haberi Subditos locupletes pro defensione iurium ipsius Ecclesiæ, quia secundum D. Thomam, per potentiam, Amicos, & pecuniam multa possumus, *gloss. in d. cap. constitutus, & ibi Host. & Abb. Franc. Marc. de.* 1210.
52 *n.* 1. *p.* 1. Ideoque cæteris paribus, præferendus est ditior, & potentior, vt meliùs consulatur Ecclesiæ, *gloss. in cap. cum Ecclesiastica, de except. & in d. cap. constitutus.*

Quod ad Religiosos, & Regulares attinet, eligi nequit ad regimen Regularis Ecclesiæ, qui ex-
53 presè professus, & in Regula non sit instructus, *cap. cum causam* 27. *& cap. ad nostram,* 37. *cap. officii* 38. *& c. cum in Magistrum,* 49. *de elect. & cap.*
54 *nullus eod. tit. in* 6. Quia secundum Diuina iura non est arandum in boue, & asino, nec vestiendum veste, lanea, linoque contexta, *Barbos. cum ibi cit. in d. cap. cum causam, n.* 1. Hinc etiam Regularis vnius
55 Ordinis, vel habitus eligi non potest in Prælatum alterius Ordinis, vel habitus, *cap. cum singula §. prohibemus, de præben. in* 6. *Clem.* 1. *de elect. Barbos. in dicto cap. cum causam, n.* 4.
56 *vbi*, quod Reges facultatem habentes præsentandi, seù nominandi ad Abbatias Seculares, & Regulares, præsentare, seù nominare nequeunt ad Seculares Abbatias
57 Personas Regulares, nec è contra; sicuti neque Regulares alterius Ordinis, *Garz. de benef. p.* 7. *c.* 10. *n.* 14. Posse nihilominùs dari in Cõmẽdã, asserit idem *Barbos. ibid. num.* 5. *ex Hoied. de incompatib. benef. p.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. *Couarr. in cap.* 2. *de testa.*
58 *num.* 2. Qui tamen obtinentes in Commendam Monasteria, seù Abbatias, vel Prioratus Ordinũ capita, intra sex Menses Religionem illorum Ordinum, seù illius Ordinis respectiuè solẽniter profiteri tenentur, iuxtà dispositionem *Concilii Tridentini sess.* 25. *de Regul. cap.* 21. Ex quo videtur hic casus excipi ab alia dispositione eiusdem Concilii Tridentini, *ead. sess.* 25. *cap.* 15. de professione non emittenda ante annum integrum Nouitiatus, vt colligitur ex Doctoribus citatis à *Barbos. in d. cap.* 21. *num.* 4.

Digitized by Google

59 Vtrum, & quando teneatur electus probare validitatem suæ electionis, videatur Rota in Legionen Canonicatus Magistralis 12. Iunii 1634. coram Coccino Decano, quæ est *decis.* 289. *p.*6. *recent.*

60 Disputat *August. de Anco. de potest. Eccles. q.*3. *num.* 6. Vtrum Summus Pontifex eligēdus sit de Collegio Cardinalium eligentium? & vltimò affirmatiuè resoluit ob quinque rationes. Primò scilicèt, quia pleniorem cognitionē habet Cardinalium, quorum consilio, & opera debet uti. Non enim parum est Summo Pontifici illos agnoscere, cuius zeli sit, & conditionis, quaue affectione loquātur, cum de ipsorum consilio totum regat Mundum. Secundò, quia assumptus ad Pontificatum de Collegio Cardinalium, non est nouitius, sed de ordinationibus, & Consuetudinibus Ecclesiæ plenè informatus. Tertiò, quia de potestate Clauium, quibus Papa præest Ecclesiæ, habet magis consuetum usum, & consuetam iurisdictionem. Quartò, quia de Fidelibus, & Subditis Ecclesię pleniorem habet recordationem. Et quintò, quia de tanto dominio, sicuti est dominium Summi Pontificis, quandam habet propinquā dispositionem: Assumpti enim ad magnum de paruo statu, fortunam ferre nesciunt, ut inquit *Phylos.*4. *polit. c.*11. Cardinales autem, & ratione status, & ratione præsentialis existentiæ nō habent admirationem de Papatu, ideoque assumptus de ipsorum Collegio tanta potestate melius nouerit. uti. Quę doctrina Augustini de Ancona per trecentum annos, & ultra inconcussè, & sine ulla interruptione seruata est; Vltimus enim non de Cardinalium Collegio, ad Summum Pontificatum euectus, fuit Vrbanus Sextus Archiepiscopus Barensis, Romæ 8. Aprilis 1378.

§. II.

De Eligentium Requisitis, & Facultate.

SVMMARIVM.

*Eligentes considerari possunt, vti singulares Personæ, & vt Collegium. n.*1.
Cuilibet sufficit esse in possessione eligendi. 2.
*Sola possessio an sufficiat, vt quis ad eligēdum admittatur.*3
*Monachus factus Abbas alterius Monasterii, an vocē habeat in primo Monasterio.*4.
Ius eligendi penitus extraneo concedi potest. 5.
*Cardinales in Concilio Constantiensi admiserunt Personas extraneas ad electionem Papæ.*6.
Nemò potest habere locum in duplici Monasterio. 7.
Possessor malę fidei nullum commodum habere potest. 8.
Eligentes non debent esse Excommunicati, suspensi, &c. 9.
Excommunicatus, &c. non denunciatus, eligere non prohibetur. 10.
Extrau. Ad euitanda scandala non reperitur in rerum natura. 11.
*Excommunicatorum duo genera tantùm euitantur.*12.
*Eligentes non debent esse priuati voce actiua.*13.
*Vocis actiuæ priuatio non incurritur ipso facto, sicuti nec passiuæ.*14.
Eligentes scienter indignum priuantur potestate eligendi pro prima vice. 15.
*Eligentibus aliquibus indignum, non recedit potestas à Capitulo.*16.
*Pauciores quando representant totum Capitulum.*17. *& seq.*
Electio nisi sequatur, non priuantur eligētes propter suffragium indigno. 19.
Indignitas undè consideretur. 20.

Ele-

Electio non debet esse meticulosa. 21.
Admittentes postulatum, quando priuationem incurrant. 22.
Electoribus impeditis quando currat tempus. 23.
Qui potest facere, vt possit, dicitur posse. 24.
Impedimentum allegans, quid probare debeat. 25.
Absens impeditus alteri vices suas committere potest. 26.
Procurator non potest dare suffragium suum vni, & alterum alii procuratorio nomine. 27.
Electiones fieri debent per secreta suffragia. 28.
Absens quandocumque Procuratorem cõstituere potest, in materia verò electionis, nisi impeditus. 29. & 30.
Eligentes an possint admittere Procuratorem non impediti. 31. & 32.
Capitulum debet esse legitimè congregatum. 33.
Duæ partes faciunt maiorem, & saniorẽ partem Capituli. 34.
Quidquid facit peior pars duarum partium, censetur legitimè factum. 35.
Maior pars quando minorem possit constituere in contumaciam. 36.
Duæ partes an possint restringere terminũ iuris. 37.
Terminus trium Mensium constitutus est in fauorem Collegii 38. *Et an idem Collegium renunciare possit. ibid.*
Capitulo Congregato, non est curandum de tertia parte residente. 39.
Paria sunt, non venire, & usque ad finem non expectare. 40.
Minor pars, termino iuris instante, potest eligere. 41.
Mandatum Superioris constituit in contumacia. 42.
Minor pars quando possit vocare maiorẽ. 43.
Collegio congregato, maior pars præsentiũ sufficit. 44.
Maior pars Congregatorum semper requiritur. 45.
Duæ partes utrum minorem citare possint. 46.
Capituli Caput non habet facultatem restringendi terminum iuris. 47.
Terminus iuris in fauorẽ Collegii est præscriptus. 48.
Eligendus qualiter sit Prælatus Ecclesiarum unitarum. 49.
Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. 50.
Absentes ex voluntate, aut vocem non habentes, non sunt vocandi. 51.
Absentes propria culpa non sunt vocandi. 52.
Absentes quinam sint vocãdi. 53. *& seqq.*
Prouinciæ nomine quid intelligatur. 54.
Prouinciæ hodiè multæ appellantur, quæ non habent Episcopum. 55.
Existens extra Prouinciam potest esse vicinior, quàm existens in Prouincia. 56.
Vocari quis commodè posse, qualiter dicatur. 57.
Quis non potest de iure trahi ultra tres dietas. 58.
Dieta legalis est viginti milliarium. 58.
Absens, vt vocetur, non est mittendus nũcius vltra tres dietas. 59.
Absentes, quando ignorantur, ubi commorantur, sufficit illos citare ad publicam plateam. 60.
Non valet quod facit maior pars præsẽtium, nisi sit etiam maior pars respectu illorum, qui vocandi erant. 61.
Vnius per contẽptum cassatur electio. 62.
Electio cassari potest per contemptum, etiam post electi confirmationem, & consecrationem. 63.
Contempti quando contradicere non possint. 64.
Contemptum prosequi quis debet intra tres menses, quatenus secuta sit confirmatio. 65,
Contemptus quis dicatur. 66.
Præfixioni termini interesse nolens, citandus est ad omnes alios actus. 67.
Contumax in uno articulo causæ citari debet ad omnia, quæ occurrunt. 68.
Præfixioni termini qui interfuit, deindè se absentauit, non est amplius citandus. 69. *&* 70.
Præfixionem termini ignorans ex malitia, non est amplius citandus. 71. *&* 72.

Digitized by Google

Citatio non fit tantùm pro notitia, sed de iustitia. 72.
Contemptum solus contemptus allegare potest. 73.
Contemptus potest iuri introducto renunciare. 74.
Contemptus utrum consentiendo validare possit electionem nullam ex defectu suffragii sui. 75
Publicato scrutinio, debet is eligi, in quem maior pars consenserit. 76.
Electio nulla ex consensibus postea datis conualidari nequit. 77.
Goffredi sententia reprobatur. 79.
Consensus superueniens quid operetur. 80. & 81. & *seq.*
Contemptus, utrum conualidare possit alteram ex duabus electionibus. 83. & 84.
Scrutinium idem non potest pro parte valere, & pro parte non valere. 85.
Capitulum, sede plena, non potest ad electionem procedere. 86.
Electio celebrari non debet, nisi à tertio depositionis die. 87. & 88.
Tempus trium Mensium incipit currere à die obitus. 89.
Agere non valenti non currit tempus. 90.
Tractatus electionis ante mortem Prælati qualiter fieri possit, vel non. 91. & 92.
Tractatus ante mortem non annullat electionem ipso iure. 93. *& quatenus annullari debeat.* 94.
Electores ob tractatum ante mortem, an sint priuati iure eligendi, vel priuandi. 95. & *seqq.*
Consuetudo introduci an possit, vt non deueniatur ad electionem, nisi denunciata Principi Seculari morte. 98. & *seqq.*
Accessus fieri an possit in electionibus Monialium, in quibus requiruntur duæ partes suffragiorum. 101.

1 QVod ad facultatem eligentiũ attinet, hi considerari possunt, vel uti singulares personæ, vel uti Capitulum, seù Collegium. Si considerentur, uti
2 singulares personæ, cuilibet sufficit esse in possessione eligendi, *cap. quærelam, de elect. Abb. in cap. bonæ 4. primo de postul.* Præla. ubi tamẽ quod hæc regula, quod sola possessio sufficiat ad effectum, vt quis ad eligendum admitti debeat, locum non habet, quando quis nõ est de Collegio, quia tunc suam
3 possessionem aliquo iusto titulo probare tenetur, *cap. in literis de restit. spol. Card. cons.* 138. Quod adeò
4 verum est, vt Monachus factus Abbas alterius Monasterii, vocẽ non habeat in electione Abbatis alterius Monasterii, scilicèt prioris, etiam si tale ius in Abbate, & Monachis dicti prioris Monasterii sibi reseruatum fuerit, *text. ad lit. in cap. constitutis* 47. *de elect.* vbi quidam Monachi Fiscanen Monasterii cum electi fuissent in Abbates aliorum Monasteriorum, concessum fuit ab Abbate, & Cõuentu dicti Monasterii, vt vocem haberent in eorum Capitulo; Cũ deindè, ipsis non vocatis, electus fuisset nouus Abbas Fiscanen, dicti Abbates, quibus prędictum ius fuerat reseruatum, protestantes se contemptos, instabant, electionem cassari: Verùm Papa eorum rationem friuolam reputãs, eisdem perpetuum silentium imposuit, super quo *Abb. ibid. nu.* 3. proposita quæstione, quare ius istud habendi vocem in Capitulo conseruari non potuit Abbatibus prædictis, cum multis iuribus videatur probari contrariũ, ut in *cap. scriptum, de elect. & in cap.*
5 *cum Ecclesia Sutrina, de caus. possess. & propriet.* Præsertim cum ius eligẽdi, etiam penitus extraneo concedi possit ab iis, ad quos spectat
6 electio. Sicuti in Cõcilio Constãtiensi ad electionem Summi Põtificis admiserũt Cardinales sex Personas extraneas de qualibet Natione Catholica, quæ tunc quinq; numerabantur, Italica, Hispanica, Germanica, Gallica, & Anglica

na

Digitized by Google

na, prout refert Platina sub his verbis. *Rebus compositis, cum de restauranda Ecclesia, emendatisq; moribus Clericorum mentio haberetur, id fieri non posse existimarunt, Sede vacante; Vndè de eligendo nouo Pontifice habitus est Sermo, quo Decreta Concilii maiorem deinceps firmitatem haberent. Cum igitur hac de re verbum haberetur, placuit, ex vnaquaque Natione Viros sex deligi, & quidè probatos, qui vnà cum Cardinalibus, Conclaue ingressi Pontificem deligerent. Anno igitur 1417. Sexto idus Decembris, Conclaue ingressi, consentientibus Cardinalibus duobus, & triginta, Nationibusq; omnibus, præter omnium spem, & opinionem, cum iam quadriennio vero Pontifice vacaret Ecclesia, multique Schismatici tunc interessent, tertiò idus Nouembris in celebritate B. Martini, hora tertia Otho Columna Romanus Princeps, Sancti Gregorii ad vellus aureum Diaconus Cardinalis, Pontifex creatur, tanta omnium lætitia, vt præ gaudio loqui vix homines possent. Effusus nimio gaudio Imperator, nullo habito suæ Dignitatis Discrimine, Cõclaue ingressus, gratias omnibus egit, qui tantum Virum, tam necessarium Reipublicæ Christianæ, propè extinctæ delegissent, & ante Pontificem prostratus cum summa veneratione eius pedes exosculatus est, quem posteà Pontifex amplexus, non secus ac Fratrem in pretio habuit, eique gratias egit, quod sua opera, & industria Pax tãdem Ecclesiæ Dei reddita esset. Vocari autem Martinus voluit, quod ea electio in Martini celebritate habita fuisset.* Si igitur ius eligendi penitus extraneo cõcedi potest, multò magis Abbatibus prædictis reseruari potuit ius, quod aliàs habebant in eodem Monasterio. Pro resolutione, adducta Sententia Goffredi, dicentis, quod Monasterium Fiscanen cum esset exemptum, & immediatè Papæ subiectum, sine licentia Papæ tali seruituti subiici non poterat: Propterea dictis Abbatibus fuisse quidem concessam vocem in Capitulo, sed non declaratum, quod etiam ius eligendi, ac proindè cum illa concessio esset odiosa, restringi debeat, non autem ad huiusmodi facultatem extendi *argum. cap. odia, de reg. iur. in 6.* Quæ tamen sententia Goffredi impugnatur ab Hostiense, asserente, quod per talem seruitutem nullum præiudicium Papæ generabatur; ideoque non fuisse opus eius assensu, atque etiam ab *Innoc. in cap. conquęrente de offic. ordin.* ex eo quia talis concessio non videbatur odiosa, sed fauorabilis, cũ plurimorum consilia in electione sint requirenda, *c. obeuntibus, 63. dist.* Subdit deindè propriam opinionem, quod dicti Abbates cum essent Possessores malæ fidei, quia nemo potest habere locum in duplici Conuentu, seu Monasterio, nisi fortè vnum dependeat ab alio; *gloss. in d. cap. constitutus, & facit cap. fin. de Relig. Dom. & cap. 1. de priuil. in 6.* non tenebatur Capitulum illos vocare ad electionem, quia possessor malę fidei nullum commodum habere potest; ac proindè ipsorum votum non potuisset in aliorum numerum computari. *Innoc. in cap. Cumana, de elect.*

9 Posito igitur, quod Electores sint in pacifica possessione eligendi non debent esse excommunicati, suspẽsi, vel interdicti, per iura superiùs de personis eligendis ad-
10 adducta; publicè tamen, cum cęteroquin excõmunicatus occultus, seù non denunciatus, dummodò non sit publicus Clerici percussor, eligere non sit prohibitus, iuxta communem opiniomem, & praxim fundatam *in vulg. extrau. ad euitanda Scandala Martini V.* quã aliàs dixi in rerum natura non
11 reperiri: Et confirmatur ex traditis à *M. A. Bail. in summa Concil. tom. 1. de Conc. Constan. fol. mihi 363. col. 1. in fin. vbi ex summ. D. Anton. 3. p. t. t.*

Digitized by Google

25. c. 2. refert, declarasse Martinũ Quintum vivæ vocis oraculo in eodem Concilio, Confessarium excommunicatum, modò non sit nominatim excommunicatus, vel notorius Clerici percussor, validè absoluere posse. Et ex hinc à tẽ-
12 pore huius Concilii morem invaluisse, vt non cuitentur nisi duo genera excommunicatorum, scilicet nominatim excommunicati, & notorii Clericorum percussores, cum antea plures essent devitandis excommunicatis difficultates.

13 Item, neque debent esse priuati voce actiua, siuè iure, & potestate dandi votum capitulariter
14 & collegialiter. Quam tamen priuationem vocis actiuæ, sicuti & passiuæ non incurri ipso facto, sed requiri sententiam declaratoriam, tenet cũ Soto *Fr. Emmanuel Rodriq. q. regul. to. 2. q. 57. art. 1. pro-*
15 *pè fin.* Quod crederem, habere locum, etiam quando Capitulares eligentes scienter indignum, incurrerent priuationem potestatis eligendi pro prima vice, iuxtà dispositionem *cap. cum Vuintonen, & ibi Abb. de elect. & cap. quamquam, eod. tit. in 6. Rota in Colonien Abbatissatus, coram Carillo 2. Martii 1648.* & præsertim cum debeat conclũ
16 denter constare de iis, qui deliquerunt, quia aliquibus solùm eligentibus indignum, propter illorum delictum non recedit po-
17 testas à Capitulo, cum remaneat penes illos, qui non deliquerunt, licèt numero pauciores, qui tunc totum Capitulum representant. Secus autem, si omnes deliquerunt, quia tali casu fit deuolutio potestatis ad Superiorem, *cap. bonæ il 1. de elect. Abb. in cap. dudum, eod. tit. Rota in Ragusina electionis, 11. Iulii 1643. coram Ghislerio.*
18 Quapropter si fiant duę electiones, & electus à maiori parte sit indignus, cõfirmabitur electio de digno, facta à minori parte. *Abb. in d. cap. dudum.* Quod tamen apud me difficultate non caret propter iura, quæ ad validitatẽ electionis requirunt maiorem eligentium partem. Requiritur insuper, vt se-
19 quatur electio, quia propter suffragium in indignum non incurritur priuatio iuris eligendi, nisi sequatur electio, *cap. perpetuo, de elect. in 6.*

20 Indignitas autẽ, vt vidimus supra, consideratur respectu ordinũ, ætatis, scientiæ, &c. & abusus Secularis potestatis, *cap. per inquisitionem & cap. quisquis de elect.* Ete-
21 nim electio meticulosa non tenet, & locus, vbi fit electio, debet esse securus, adeò quod eligẽtes sint in omnimoda libertate, *cap. vbi periculum de elect. in 6.*

22 Eandem priuationẽ potestatis eligendi incurrunt recipientes postulatum ad Ecclesiam, tanquã institutum, vel Administratorem, ante admissionem postulationis à Superiore, *cap. bonæ memoriæ 23. & ibi Abb. de elect.*

23 Notandum verò, quod electoribus impeditis currit tempus, si impedimentum tollere possunt, *cap. his quibus, 60. de elect.* Quando enim remotio impedimenti de-
24 pendet à potestate impediti, locũ habet regula; Qui potest facere, vt possit, iam dicitur posse, *l. qui potest, ff. de regul. iur.* Nec dicitur impeditus ille, qui de facili potest
25 impedimentum remouere, *Dec. ibid. n. 3.* Proindè allegans impedimentum, non solùm probare debet, quod non potuit impedimentum remouere, sed etiam, quod perfeciſſet quod facere intendebat, nisi fuisset impeditus, *text. notab. secundum Bart. in l. qui commeatus ff. de re milit.*

26 Quò verò ad absentes, disponitur in *c. quia propter, §. illud autem, de elect.* quod si quis ob iustum impedimentum, iuramento, quatenus

Digitized by Google

nus opus sit, probandum, accedere nequeat, vices suas alteri de Collegio committere possit, *cap. si quis iusto, de elect. in 6. Rota in Calaguritana coram Minot.* Qui tamen sic constitutus Procurator vnum suo, & alium procuratorio nomine eligere non poterit, nisi sit in mandatis determinata Persona, *dicto cap. si quis iusto §. porrò.* Quod vltimum *à Concilio Tridentino, sess. 25. de Regular. cap. 6.* præcipientes, vt electiones celebrentur per secreta suffragia, correctum fuit. Ità etiã respondente Sacra Congregatione, per hæc verba, *Procuratores legitimè constituti non excluduntur, dummodò non habeant speciale mandatum de Persona eligenda, quia tunc votum non posset esse secretum*; & aliàs decisum referunt *Garz. de benef. p. 5. t. 5. n. 200. Tambur. de iur. Abb. tom. 2. disp. 5. q. 4 n. 6. & alii apud Barbos. in d. §. porrò. n. 15.*

Ex quibus notare libet differentiam in hac materia electionis ab aliis negotiis, in quibus quilibet de Vniuersitate Procuratorẽ constituere potest, licèt non sit impeditus, non sic autem in electionis materia, in qua videtur de iure electa Persona, ad quam spectat electio. *Abb. in d. §. illud autem*, vbi subdit, quod si alii de Capitulo vellent admittere Procuratorem absentis non impediti, non prohibentur, licèt in textu dicatur. *Interdicimus*, quia huiusmodi interdictũ emanauit in fauorem aliorum, qui sicut communicare possunt ius eligendi penitùs extraneo, *cap. scriptum, vbi idem Abb. n. 11. de elect.* ità etiam, & multò magis possunt admittere Procuratores eorum, qui sunt de Collegio. Attamen Rota contrarium tenuit in *Leodien Præpositur. coram Peutinger, 30. Maii 1639. n. 11.* quod Procuratores absentium non fuerant admittendi, ex quo non constabit de legitimo constituentium impedimento.

Quatenus verò Capitulares nõ considerentur uti singulares Personæ, sed ut Capitulũ, non solùm in electionibus, sed in alio quocumque actu debet esse legitimè congregatum, in quo adsint duæ adminus ex tribus Capitularium partibus, quæ propterea dicuntur constituere maiorem, & saniorẽ partem Capituli, *Rota in Argentinen Coadiutoriæ 2. Martii 1631. coram Ghisilerio*; tuncque valet quidquid facit maior pars illarũ duarum partium, quia maior pars Capituli censetur hoc facere, *l. nulli, & l. planè, ff. quod cuius. uniu. l. 3. ff. de decr. ab ordin. fac. Abb. in cap. 1 de his, quæ fiũt à maior. par. Cap. & in cap. cum inter uniuersas num. 9. cap. in causis num. item 9. cap. quia propter, & in cap. cum nobis num. item 9. & seqq. de elect.* vbi ad longum differens, an maior pars minorem monere possit, ut accedat, ità quod si nõ venerit, procedere possit ad expediendum ea, quæ incumbunt, concludit, valere vocationem per duas partes factam, ad constituendam minorem in contumaciam, ità quod se fuisse contemptos, allegare nõ poterunt. Quod si istę duę partes restringere velint terminum iuris, sine causaquidẽ nequeũt, cum causa verò possũt, quæ causa subesse intelligitur eo ipso, quod volunt Ecclesiæ prouidere. Etenim terminus trium Mensium præfixus fuit fauore Collegii, cui idẽ Collegiũ represẽtatum, in duabus partibus, in fauorem Ecclesiæ renunciare non poterit, *Abb. loco cit.* Quandò verò Capitulum est congregatum, etiamsi tertia pars recedat, non est curandum, quia perindè est, ac si vocata noluisset accedere. Sunt enim paria, non venire, & usque ad finem non expectare, *cap. 1. de iudic. & cap. cæterum 11. q. 3.* Si verò duæ partes, vel ultra recesserunt, tertia pars nihil facere poterit, quia

Digitized by Google

quia Capitulum in minori parte non representatur *cap. Ecclesiæ de elect.* Quod tamen limitat idem *Abb. loco cit.* nisi terminus iuris instaret, quia tunc minor pars ad electionem procedere poterit, ex quo ius, seù dies interpellat pro homine. Videatur idē *Abb. in c. cū omnes de constit.* ubi de communi Canonistarū opinione tenet, quod quādo Vniuersitas est congregata de mandato illius, qui potestatem habet congregandi, si non veniant, etiam maior pars veniētium possit Vniuersitatis actum
42 explicare, quia mandatum Superioris constituit in contumacia non venientes, quæ illos priuat facultate dandi vocem, ex quo non veniendo faciunt se alienos, *cap. cum Nobis, de elect. Ioann. Andr. in cap. in causis, eod. tit. Franc. Marc.*
43 *dec. 785. p. 1.* Si verò nō est aliquis, ad quem spectet conuocatio, tunc si præfixus fuit terminus illius actus, minor pars poterit vocare maiorem, & non accedente poterit actum explicare, quod idem est, si maior pars recedat, *Innoc. & Abb. in dicto cap. cum omnes de constit. & in d. cap. cum nobis de elect.* Cui non obstat, quòd Capitulum in maiori parte cōsistat, scilicèt in duabus ex tribus partibus per iura supra deducta; quia hoc verū est, dū Collegium est in
44 congregando, sed postquam est congregatum, maior pars præsentium sufficit, *Glos. & Abb. in d. cap. cum inter, & cap. cum Nobis de elect.* adeò, & in tantum, quod ius Vniuersitatis, aliis absentibus, in uno residere possit, *l. sicut, ff. quod cuius. vniu. & cap. gratum de postul. Prælat.* Quandò autem in Vniuer-
45 sitate congregata essent plures, quàm duæ partes, tūc maior pars duarum partium non sufficeret, sed requireretur maior pars Congregatorum, *Innoc. in cap. 2. de nou. oper. nunc. Franc. Marc. d. decis. 785. n. 7. p. 1.*

46 Vtrum duæ partes minorem citare possint? Videtur dicendum negatiuè, quia citatio spectat ad Iudicem, qui iurisdictionem habeat, duæ autem partes nullam in tertiam habēt iurisdictionem, ac proindè illam citare nequeūt, sed simpliciter monere, ac requirere, *Innoc. & Abb. ubi supra.* Vbi
47 verò conuocatio Capituli spectat ad Decanum, seù Seniorem, hic non habet potestatem restringēdi terminum iuris, cum talis terminus in fauorē Collegii sit præ-
48 fixus; cui propterea Decanus, aut Senior derogare non potest *cap. si diligenti de for. comp. cap. ad Apostolicam, de Regul. facit cap. indultum, de reg. iur. in 6.*

Quando vna Ecclesia est alteri principaliter, & ad inuicē vni-
49 ta, itaut idem sit vtriusque Prælatus, tunc in electione facienda, hęc duo Collegia insimul conuenire debent, *argum. cap. Pastoralis, de Regul.* vel saltem alternis vicibus sibi Prælatum eligere, *argum. Clem. 2. de iurepatr.* primam electionem incipiendo à Collegio Ecclesiæ primò nominatæ in vnione, vel ponere sortem, quia non videtur obstare *cap. fin. de Sortileg.* vbi prohibetur, electionem fieri per sortem, hic autem agitur tantùm de loco, vbi electio ritè celebrari debeat, quod non videtur prohibitum. Quidquid tamen sit de hoc, indubitati iuris est, quod hæc duo corpora ad electionem
50 communis Prælati cōuenire debent, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *cap. ad hæc de offic. Archid.* & vtrumque Capitulum ius habeat eligendi ex dispositione *cap. 1. de elect. cum concord.*

51 Quod ad vocationem absentim attinet, notandum in primis, quod vel vocem non habent, vt si quis sit impubes, vel in Diaconatus Ordine non constitutus, &

tunc

Digitized by Google

tunc non sunt vocandi. Quod si vocem habeant, aut sunt absentes ex necessitate, aut ex voluntate: Si ex mera voluntate, pariter non sunt vocandi, *Bar. in l. omnes Populi ff. de iust. & iur. Abb. in cap. cum omnes, n. 7. de constit.* Si autē ex necessitate, aut ex propria culpa, veluti propter delictum expulsi, vel relegati, & tunc etiam vocandi non sunt, *argum. l. amissione, §. qui deficiunt ff. de capit. dimi.* aut sine culpa e. g. propter timorem Tyranni, seù cōtrariæ partis, & tūc vocari debēt, ad hoc saltem, vt Procuratores mittant.

Super quorum absentium vocatione tres inueniuntur sententiæ, quarum prima est, vt illi tantùm sint vocandi, qui commorantur intra Prouinciam, non autem qui extra Prouinciam, cum in *cap. quia propter, de elect.* statuatur, vt ad electionem vocentur ij, qui commodè vocari possunt, illi tantùm commodè vocari queunt, qui degunt intra Prouinciam. Nomine autem Prouinciæ intelligendum est de vsuali, secundum scilicet quod appellatur Prouincia, e.g. Tuscia, Lombardia, Romandiola, & non secundum intellectum *c. scitote 6. q. 3.* vbi dicitur, quod illa sit Prouincia, quæ vnum Regem habet, & vnum Metropolitanū; etenim hodiè multæ appellantur Prouinciæ, quæ neque Episcopos habent.

Secūda opinio est, ut nō sit curādum, an aliqui Capitulares sint intra, vel extra Prouinciam, sed solùm inspici debere, an commodè vocari possint, cū dari queat, vt quandoq; aliquis existens extra Prouinciam, sit vicinior Ecclesiæ, de cuius prouisione agitur, quàm alius moram trahēs intra eandem Prouinciam, fortè satis amplam. Qualiter autem dicatur, quem comodè vocari posse, difficile fore dare, certam regulā sed remittendū Iudicis arbitrio, illius scilicèt, ad quem spectat electionis confirmatio, *Abb. in cap. causam num. 3. de elect.*

Tertia sententia nihil aliud intendit, quàm standum esse consuetudini, *Abb. l. cit. num. 5.*

Qua consuetudine cessante, vt dicam, quid Ipse sentiam, quod ad euitandum contemptum attinet, crederem, quod sicuti de iure nō potest quis trahi ultra tres dietas, scilicèt ultra sexaginta milliaria, cum dietæ legalis calculatio fiat viginti milliariorum pro qualibet die, *l. 3. ff. de verb. signif. & l. 1. in princ. ff. si quis caut. Rota coram Seraph. decis. 501. num. 3.* Sic non teneri Capitulares mittere nunciū ad vocandos absentes ultra tres dietas; ultra quas sufficere, si consignentur literæ missiuæ publico Tabellario, qui diuersis nominibus appellatur in Italia, Corriere, Procaccio, &c. faciendo illas adnotare in ipsius libro, & iuxtà morem francādo, quatenus opus sit. Cum enim agatur de euitando cōtemptu, sufficit fecisse quod in sē est, sicuti quando ignoratur, ubi degunt absentes, sufficit, ad publicam plateam in scriptis citasse ex generali consuetudine omnium Tribunalium.

Vnam regulam ponit *Abb. in c. in Genesi, sub num. 11. de elect.* quam dicit mente tenendam, quia deseruit non solùm in electionibus, sed in quolibet actu collegialiter expediendo, scilicet, vt non valeat quidquid facit maior pars præsētium, nisi sit maior pars respectu etiā illorū, qui vocādi erant, E.G. si in Vniuersitate sīt duodecim, & undecim se congregent, non vocato duodecimo, non valebit id, quod fiet per sex, quia computato absente non vocato, non reperitur cōclusio facta à maiori parte totius Capituli. Adeò enim

Digitized by Google

62 urget absentium vocatio, vt per contemptum unius tantùm cassetur electio, *cap. quod sicut, & c. quod venerabilem de elect. Rota in Argentinen. Coadiutoriæ 2. Maii 1621. corá Ghisilerio.* Quod intelligendum est, quatenus nõ vocatus habeat vocem in Capitulo, aliàs secus, ut diximus supra, & habetur *cap. ex*
63 *eo, de elect. in 6.* Cassarique potest electio ob contemptum, etiam post eiusdem confirmationem, atque electi consecrationem, *tex. in dicto capitulo quod sicut, §. super eo, & ibi Doctores de elect.* Nisi tamen contempti fuissent præsen-
64 tes, quando emissum fuit edictum pro confirmatione, quia tunc tacentes amplius contradicere non possunt, *Abb. in d. §. super eo num. 3. per text. in cap. fin. de elect. in 6.* Qua-
65 tenus autem secuta sit confirmatio, prosequi debent contemptũ intra tempus datum ad eligendũ, idest intra tres Menses, aliàs non audientur, *Abb. loc. cit.*

66 Dicitur autem contemptus ille, qui verè, & legitimè vocatus non fuit, seù nominatus, aut citatus. Super quo dicit *Abb. in cap. Ecclesia vestra, il 2. de elect.* Quod si
67 quis Capitularis citatus interesse noluerit præfixioni termini, non per hoc renunciasse videtur iuri eligendi, cum ista sint diuersa; propterea terminus præfixus in Capitulo sibi denunciari debet, & requiri, vt compareat in termino
68 eligẽdi, ex cõmuni regula, quod licèt quis fuerit contumax in uno articulo causę, nihilominus citari debet ad ea, quæ postea occurrunt, ex quo citatio fuit specialis ad vnum actum, *glos. in cap. eum qui, de dol. & contum.* Ex quibus
69 concludit *ibidem Abb.* quod aut absens interfuit præfixioni termini, & non debet amplius citari, quia electioni interesse nolle videtur, *cap. cum dilecti, cap. cum inter, & cap. in causis, de elect.* aut non in-
70 terfuit præfixioni termini, & tunc, aut fuit citatus ad terminum præfigendum, aut non; si non vocatus, sciuit tamen præfixionem termini, non debet amplius vocari, quia ex quo est certus, amplius certiorari non debet, *c. eum qui certus, de regul. iur. in 6. l. fin. ff. de action. empt.* Sic etiam si ignorauit
71 præfixionem termini ex malitia sua, vtpotè quia se absentauit, nè perueniret ad notitiam suam, nõ est amplius requirendus, sed habendus pro citato, *cap. quoniam*,
72 *§. porrò, vt lit. non cont.* Quandò verò citatus non fuit ad præfigendũ terminum, citari, seù vocari debet ad electionem, quantumcũq; sciuerit præfixionẽ termini, quia huiusmodi intimatio, non solùm fit pro notitia, sed requiritur de iustitia. Super quo tamen titubat idem *Abb. ibid. num. 9.* ex eo quia in *cap. quia propter de elect.* dicitur solùm, quod electio fiat, præsentibus omnibus, qui volunt interesse, ac proindè cum iste sciuerit præfixionem termini, & non cõparuerit, in hoc iuri suo renunciasse videtur.

73 Illud non omittendum, quod contemptus, ad effectum retractandi electionem, à solis contẽptis allegari potest, & per consequens ipsis tacentibus, neque à Iudice, neq; à Capitulo, quod probatur ex eo, quia non vertitur ibi publica, sed priuata utilitas, cũ
74 possit contemptus iurĩ introducto renũciare, & quiescere, quod non posset, si de publica utilitate ageretur, *cap. si diligenti, de for. comp. Abb. in cap. in Genesi num. 10. de elect.*

75 Verum autem contemptus, cõsentiendo ex post facto, validare possit electionem nullam ex defectu suffragii sui, quo, si fuisset præsens, numerum maioris partis compleuisset, negatiuè tenent *glossæ. Innoc. Ioann. Andr. & alii com-*
76 *muniter in cap. Ecclesia vestra il 2. &*

ibi

Digitized by Google

ibi Abb. num. 10. *de elect.* quia publicato scrutinio, debet is eligi, in quem omnes, vel maior pars consenserit, per *text. ad lit. in cap. quia propter de elect.* ac propterea ad validitatē electionis oportet, quod electus habuerit maiorem partē votorum in scrutinio; quod si huiusmodi maiorem partem non habuerit, electio fuit ipso iure nulla, *cap. Ecclesia il* 1. *& d. cap. quia propter de elect.* & per consequens
77 ex consensibus postea datis, conualidari nequit, *cap. auditis, & ibi DD. eod. tit.* in nihilo releuante
78 sententia Goffredi, quod huiusmodi consensus, vltimò datus, retrotrahatur, ideoque haberi debeat, ac si fuisset præstitus ab initio, per *cap. ratihabitionem, de reg. iur. in* 6. primò, quia Capitulum non eligit nomine contempti, ac proindè ratihabitio locum habere non potest per aliam regulam *ratum quis, eod. tit. de regul. iur. in* 6. Secundò, quia etiamsi elegissent nomine contempti, adhuc ratihabitio intrare non posset, cum
79 obstante publicatione scrutinii, retroactus fieri nequeat, ad notata per *Bar. in l. is qui pro emptor. ff. de usucap. Abb. in d. cap. Ecclesia vestra*
80 *il 2. num.* 10. Et per consequens cōsensus cōtempti superueniens nihil aliud operari potest, nisi, vt nō cassetur electio, aliàs valida, quæ ipso prosequente contemptum, cassari deberet, per *text. in cap. quod sicut, ubi Abb. num.* 9. *de elect.* ubi
81 quando electio tenuit, utpotè facta præsentibus duabus Collegii partibus, & à maiori parte, tunc rata potest haberi per cōtemptos, non ad effectum, vt per ipsorum consensum conualidetur, sed solùm, vt defendatur à iure retractationis, & cassationis. Quod si à principio fuit nulla, quia facta à minori parte Capituli, per con-
82 sensus particulares superuenientes, conualidari non potest, iuxta iura supra deducta, & per *text. in cap. auditis, de elect.*

83 Si daretur casus, quod fierent duæ electiones in discordia, vt frequenter accidit, vtrum contemptus unā electionem impugnare, & alteram approbare possit? Affirmatiuè tenet *Ant. de Butr. in d. c. Ecclesia vestra il* 2. *de elect.* hac ratione, quia iste contemptus cum fuerit ab initio à toto Capitulo, &
84 à singularibus, remittere potest iniuriam respectu aliquorum, qui fecerunt unam electionem, & respectu aliorum contemptum prosequi. Attamen *gloss. in eod. cap. Ecclesia vestra, in verbo valebat*, sentit contrarium, quia dictæ duæ electiones, cum processerint ex eodem scrutinio, in quo iste fuit
85 contemptus, non potest idem scrutinium pro parte approbare, & pro parte impugnare, *argum. cap. cum olim, de censi.* Quam dicit bonam considerationem *Abb. in eod. cap. Ecclesia vestra num.* 10. licèt ipse vacillando hinc indè discurrat. Et ut verum fatear, cum in eodem scrutinio non possit ab vtraque parte haberi maior votorum numerus, si contemptus electionem legitimam approbat, in quam maior pars consensit, impugnatio minoris partis est superflua. Si verò approbat electionem factam à minori parte, cum censeatur per consequens approbare scrutinium, videtur mihi potissima supradicta ratio, quod idem scrutinium contemptus pro parte approbare, & pro parte impugnare non possit, & consequenter neque instare pro cassatione electionis factæ à maiori parte.

86 Cæterum indubitati iuris est, non posse Capitulum, seù Capitulares, ut supra tetigimus, Sede plena, ad electionem procedere, *text. ad lit. in cap. bonæ memoriæ il* 2. *de elect.* ubi Papa nullam declarat electionem Capituli Cremonensis

Digitized by Google

ob contemptum unius, causa studii commorantis in Ciuitate Regii, non obstãte quod citatus fuisset, quia citatio emanauit à Capitulo, nondum Episcopo vita functo, licèt in extremis, & desperata vita laboraret, & *cap. Episcopo 8. q. 1.* ubi post obitum quiescentis habent Clerici potestatem eligendi, nec non in *cap. nullus 79. dist.* ubi dicitur, non esse deueniendum ad e-
87 lectionem, nisi à tertio depositionis die: Et licèt in *d. cap. bonæ memoriæ* pro cassatione electionis adducantur duæ causæ, scilicèt contemptus Canonici, & quod Corpus Episcopi sepulturæ nondum fuerat traditum, attamen *gloss. &*
88 *Abb. ibid. num. 11.* tenent, quod cõtemptus Canonici potissima causa fuit, aliam verò de corpore sepulturæ nondum tradito, fuisse causam impulsiuam tantùm, quia fuisset quidem honestius aliter facere, sed cassationem electionis operari non valuisse, Quod pro-
89 batur etiam ratione, quia tempus trium Mensium ad eligendum incipit currere à die obitus, secundum *Ioann. Andr.* ac proindè si Capitulũ, nisi peractis exequiis, eligere posset, verteretur in ipsius præiudicium, contra commune axioma, quod non valenti agere non
90 currit tempus, *cap. quia diuersitatem, de conces. præben.*

Patet igitur, quod tractatus electionis, ante mortem Prælati, in extremis constituti fieri nequit,
91 cum distinctione tamen, quia si tractaretur tantùm de moribus, vita, ac dignitate alicuius personæ ad Prælaturam, hoc nõ esset illicitum, dummodò non deliberа-
92 rent, *Abb. in d. cap. bonæ memoriæ, sub num. 11.* Tractatus verò deliberatorius, ac definitorius, est omninò illicitus, non solùm quando concluderent Electores intra se, verùm etiam, quando ordinarentur aliqua, ad futuram electionẽ spectantia, e.g. si locum electionis faciendæ deputarent, vel absentes citarent, cum talis ordinatio prohibita sit à iure, iuxta supra deducta, *Franc. Marc. decis. 1041.* quod locum habet in omni tractatu ambitioso, conuentionali, pactionali, conditionali, seù aliter inhonesto, *Innoc. & Host. quos citat*
93 *Abb. in d. cap. bonæ memoriæ.* Attamen huiusmodi tractatus electionem ipso iure non annullat, post mortem Prælati deindè factam, cum hoc non reperiatur in iure
94 dispositum, sed annullari debet, quatenus facta de illo, pro quo præcessit tractatus, & ordinatio, viuente Prælato, utpotè facta cõtra iuris tenorem ex supradictis:
95 Sicuti Electores propter dictum illicitum tractatum, & ordinationem non sunt priuati iure eligendi, cum hoc pariter non sit in iure dispositum, sed ob rem illicitã,
96 quam fecerunt, priuandi videntur. Quinimò si à priori tractatu recessissent, aliam personam
97 debitè eligendo, non esset talis electio retractanda, licèt ipsi Capitulares puniri possent, quia cõtra iuris dispositionem egissent, *c. 2. de maior. obed. & Abb. l. cit. nu. 12. in fin.*

98 Vtrum introduci possit ex cõsuetudine, ut Capitulum, & Canonici ad electionem non procedant, nisi prius denunciata Principi Seculari morte Prælati, pro electione futuri, ipsius assẽsũ petãtur? Affirmatiuè tenere videtur *Innoc. in c. quod sicut, & Abb. in c. 1. n. 9. de elect.* aliter cassandam electionem, veluti contra consuetudinẽ attentatam, *argum. can. lectis 63. dist.* Præsertim cum possit Princeps obiicere contra electum, quod est sibi in regimine suspectus, illumq; non admittere, de eo non confidens, nè forte secreta Regni sit aduersariis reuelaturus. Quod repetit in *eod. cap. quod sicut, §. super eo, n. 7.*

Digitized by Google

num.7. ubi postquam *n.2.* dixerat, quod in electione Prælatorum nõ debet de iure prius requiri Regius assensus, etiam ipso Rege sic postulante, & appellante, nè aliter fiat electio, etiam si Rex sit patronus Ecclesiæ, ut notatur *ibid. à glos.* subdit posteà, quod contrarius usus est potiùs abusus, ideoque talis consuetudo introduci non possit, ut electio retractetur ex eo, quod postulata non fuerit à Principe eligendi licentia, cum in
99 electionibus liberum esse debeat arbitrium, *cap. quisquis, ubi gloss. & Abb. nu. 6. de elect.* Et si Electores consensum Principis Secularis requirere tenerẽtur, vix posset abesse metus, & Secularis impressio contra dispositionem *text. in d. c. quisquis.*

Verũ de hac materia latè *Franc. Marc. decis.1026. per tot. p.* ubi post hinc, indè deducta, concludit *n.9.* benè posse consuetudinem introduci, quod mortuo Prælato, ante noui electionẽ, annuncietur Principi, ut habeatur eius consensus eligendi, propter interesse ipsius Principis, non de certa persona, sed quod Princeps admoneat Capitulum, ad eligendum aliquem bonum virum, & sibi fidelem, qui defendat Ecclesiam ab oppressionibus aliorum, & ne quid prauitatis in electione intercedat, quod dicit menti tenendum.

100 Attamen propter opinionem ipsius *Rebuffi* non videtur recedẽdum à dispositione *cap. cum terra 14. de elect.* ubi consuetudines huiusmodi, quæ redundãt in grauamen, & perniciem Ecclesiasticę libertatis, penitus abolentur.

Addendum pro complemento huius §. quod licèt post publicationem scrutinii nõ possit fieri accessus, cum hoc speciale sit in electione Summi Pontificis; Attamẽ
101 *Franc. Marc. decis.934. num.3. p.1.* tenet, quod in electionibus Monialium, in quibus requiruntur duæ partes suffragiorũ, fieri possit accessus, etiam publicato scrutinio, de minori parte ad maiorẽ, non è contra, per *cap. indemnitatibus, de elect. in 6.*

§. III.

De Electionis Forma per Scrutinium.

SVMMARIVM.

Electionis forma tripliciter potest dici Canonica. num.1.
Electionis Canonicæ forma. 2.
Electionis forma per scrutinium. 3.
Electiones fieri debent per vota secreta. 4.
Concilium Tridentinum an derogauerit cap. quia propter. 5.
Concilium Tridentinum modificauit formam cap. quia propter. 6.
Maiori parte votorum existente, non inquiritur amplius de saniore. 7.
Dictiones meriti ad meritum, & zeli ad zelum, sunt tantùm de stylo antiquo. 8.
Concilium Tridentinum locum habet in electionibus ad Cathedrales. 9.
Electio fieri debet per congregatos in unũ. 10.
Capitulariter fieri, & fieri in Capitulo. 11
Scrutatores non debent esse ultronei, sed assumpti. 12.
Scrutatores, quod sint assumpti à Capitulo, an sit de substantia. 13.
Scrutatores potentes si eligantur, appellari potest. 14.
Scrutatores debent esse tres. 15.
Scrutatores debent esse de gremio Capituli. 16.
Vota per Scrutatores secretè debent exquiri. 17.
Testes adhiberi possunt in Scrutinio. 18.
Vota, seù suffragia melius dari per Schedulas. 19.
Vota secreta præstat, ut dentur in omnibus actibus Collegialibus. 20. & 21.

Vo-

Digitized by Google

Vota sigillatim debent exquiri. 22.
*Testes plures in eodem examine commisceri non debent.*23.
Vota omnium præsentium exprimi debẽt. 24.
*Vota redigi debent in scriptis.*25.
*Vota in scriptis redigi debent ab uno ex Scrutatoribus.*26.
Vota publicari debent in communi. 27.
*Votorum debet fieri collatio numeri ad numerum.*28.
*Appellatio non datur à collatione votorum.*29.
*Eligi debet ille, in quem maior pars consensit.*30.
Maior pars eligentium, quæ dicatur. 31. & 32.
*Nomina omnium Electorum adnotari debent in principio instrumenti.*33.
*Electio communis fieri debet per unum de Capitulo.*34.
*Electio communis debet fieri statim post collationem votorum.*35.
*Electiones particulares sunt tantùm nominationes.*36.
Electio solemniter publicari debet. 37.
Missa audienda est, & sacra refectio ante electionem. 38.
*Electores omnes iurare debent.*39.
*Scrutinio publicato, Electores variare nõ possunt.*40.
*Electores, dato suffragio, functi sunt eorũ officio.*41.
Eligentes quando variare possunt. 42. & 44.
Potestas eligendi an competat Capitularibus iure proprio. 43.
Compromissarii quando variare possunt. 44. & 45.
Duæ Electiones si fiant cum votis æqualibus, fit locus gratificationi. 46.
Ab electione quando appellari possit, remissiuè. 47.
Expensæ pro electione, quænam fiant ab Ecclesia. 48. & 49.
Consuetudo, quòd in electione expensæ fiãt ab Ecclesia, non valet. 49.
*In Electionibus inferiorum Dignitatum, an locum habeant statuta pro Cathedralibus.*50. & seqq.
*Prælati quales dicantur Sponsi.*51.
*Ecclesiæ qualiter dicantur viduatæ per obitum Prælati.*51. & 52
*Maiorum Dignitatũ prouisio est hodiè reseruata per regulas Cancellariæ.*53.
Leodienses priuilegiati in electionibus primarum Dignitatum. 54.
*Electiones Abbatum Regularium an fieri debeãt, iuxta dispositа de Cathedralibus.*55.
*Abbates Regulares quinam dicantur Sponsi.*55.
*Eligi non potest in Abbatem Regularem, qui non est expressè professus illius Religionis.*56.
*Assumi nõ debet in Magistrum, qui prius non fuit discipulus.*57.
*Regularia Beneficia dari debent expressè professis illius Religionis.*58.
*Religiosum habitum quis assumere non debet sub spe, vt fiat Abbas.*59.
*Abbatum electio pertinet ad Monachos eiusdem Monasterii.*60.
*Electio coarctata ad certas personas, vel genera personarum, non admittitur à Rota.*61.
*Forma instrumenti electionis per scrutinium.*62.

1 QVod ad formam electionis attinet, licèt tripliciter possit appellari Canonica: Largè scilicèt, quando tenuit de iure naturali, quia interuenit consensus eligentiũ, & electi, sed non secundũ iuris positiui dispositionẽ: Strictè, quando tenuit de iure naturali, & interuenerunt, etiam substantialia iuris positiui, sed non solemnia: Et strictiùs, quando tenuit de iure naturali, & interuenerunt omnia requisita de iure positiuo, siuè sint substantialia, siuè de solemnitate non substantiali, *Abb. in c. quod sicut §. super eo, & in fin. de electione, Franc. Marc. decis* 50. p. 2.

2 Propriè tamen electio Canonica est illa, cuius forma præscribitur in *Can.* 24. *Concilii quarti Lateranensi*, sub Innocentio Papa Tertio translatiuè in

cap.

Digitized by Google

cap. quia propter, de elect. & dicitur Canonica, vtpotè in d. Canone Conciliari ſtatuta, *Rota in Treueren Abbatiæ Sácti Martini, 24. Ianuarii 1625. coram Coccino.*

Plura tamen vltra Statuta *in d. cap. quia propter*, requiruntur, ad hoc vt electio per ſcrutiniũ ſuſtineri poſſit, quorum nonnulla tangunt electi perſonam, notata ſupra *hac eod. Sect.* §. 1. nonnulla facultates eligentium, pariter adnotata ſupra *hac eod. ſect.* §. 2. cætera verò modum, & formã eligendi, de quibus mox dicemus.

3 Igitur eligendi forma, quæ dicitur per Scrutinium, traditur in *d. cap. quia propter de elect.* quod videlicet, *præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, ut is collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars Capituli conſenſerit.*

4 Verùm, quia poſtmodum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 6.* præcipit, omnes electiones ita fieri debere per vota ſecreta, ut ſingulorum eligentiũ

5 nomina nunquam publicentur, orta fuit controuerſia inter DD. vtrum per dictam diſpoſitionem Concilii Tridentini ſublata fuerint ſtatuta in *d. cap. quia propter*? Communis tamen ſententia negatiuè tenet, prout etiam firmavit *Rota in Meten Monaſterii 5. Iulii 1621. coram Coccino, & in Treueren Abbatiæ Sancti Maſſimini 20. Nouébris 1624. coram eodem Coccino, confirmata die 24. Ianuarii 1625. coram eod.*

6 Nihilominus negari non poteſt, quin per Concilium Tridentinum *d. c. 6.* modificata fuerit eiuſdẽ *c. quia propter* diſpoſitio; cũ enim eligentium vota amplius publica-

7 ri non poſſint, ſed omninò ſecreta debeant eſſe, factum eſt, ut nõ inquiratur ulteriùs, quænam ſuffragiorum pars ſit ſanior, ſed tantummodo, quæ ſit maior; quapropter cenſenda eſt ſemper valida electio, à maiori ſuffragiorum numero facta, dummodò ipſa vota ſint legitima, nec ullam patiantur exceptionem, perſonaque electi ſit digna, quia maior pars ſemper præſumitur ſanior, *cap. Eccleſia veſtra 67. de elect.* niſi conſtet de indignitate perſonæ electæ, *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 5. num. 13. Sigiſm. à Bononia, tract. de elect. dub. 38. num. 8. Tambur. de iur. Abb. tom. 1. diſp. 5. q. 6. num. 21. & alii*, quos citat *Barboſ. in dicto cap. quia*

8 *propter. ſub n. 27.* Ex quibus infertur, quod dictiones, meriti ad meritum, & zeli ad zelum, adducuntur hodiè in inſtrumentis electionum de ſtylo antiquo, quia reuera ad nihil inſeruiunt; cum cæteroquin ex ſupradictis, quatenus ad hoc attinet, attendatur tantùm maior pars ſuffragiorum, & dignitas perſonæ electæ. Neque obſtat, quod Concilium Tridentinũ, *d. cap. 6.* loquatur tantùm de Regularibus, quia multò magis locum habere debet in

9 electionibus ad Cathedrales Eccleſias, vbi maius vertitur periculum potentiæ, inimicitiarum, &c. facit *cap. vbi periculum de elect in 6.*

Igitur diſpoſitione *dicti cap. quia propter, & aliorum iurium, tàm in antiquis, quàm in 6. clem. & extrau.* ad

19 Canonicam electionem requiritur primò de ſubſtantia, vt fiat per congregatos in vnum, vt dicitur in textu, quia non ſufficeret conſenſus eligentium ſingulariter, & extra Capitulũ. e. g. Domi, vel alibi præſtitus, *Abb. in d. c. quia propter n. 12.* vel etiam in loco materiali Capituli, ſed non capitulariter, *Rota in Argentinen Coadiutoriæ 2. Martii. 1631. coram*

Ghislerio, decis.36. p.6.recent. ubi aliud est fieri Capitulariter, & aliud fieri in loco Capituli, *Seraph.*

11 *decis.*1247. quod esse generale in omnibus expediendis per Capitulum, tenet *Abb.d.n.*12. contra *gloss. in cap.* 1. *de rebus Eccl. non alien.* de qua plura dicemus inferiùs, vbi de consensu Capituli, seù Capitularium in dando per Sanctiss. Coadiutore cum futura successione.

12 Requiritur secundò, quod fide digni Scrutatores assumantur à Capitulo, alioquin se vltrò ingerentes redderentur suspecti, *argum. l. quæ omnia ff. de procur.* Quod tamē

13 an sit de substantialibus, dubitat *Abb. ibid.n.*13. subdens, quod si tres de Collegio, seù Capitulo cōgregato, aliis videntibus, & tacentibus, inciperēt aliorum vota scrutari, & demum Capitulo non cōtradicente, & seruatis aliis omnibus de iure seruandis, sequeretur communis electio, talem electionem valere, quia cum agatur de re meritoria, & cōcupiscibili, qualis est prouisio Ecclesiæ, tacētes haberentur pro consentientibus. Contra tamen. *Rebuff. in rubrica de reg. ad Prælat. nomin. §. vlt.* vbi

14 etiam, quod si potentes, & terribiles eligantur Scrutatores, erit iusta causa appellandi. Et iuxta praxim hodiernam Scrutatores de fideliter exercendo, iurare debent.

15 Requiritur tertiò ex *eod. c. quia propter*, quod Scrutatores assumpti sint tres, & non plures, vel pauciores, *Abb. & omnes ibid. communiter.* Et quidem de gremio Capituli, seù uacantis Ecclesiæ, *text. ad lit. ibid. vbi Innoc. Ioann. Andr. & alii cum Rota in Meten Monasterii, dec. 312. tom.2.p.4. & in Treueren Abbatiæ coram Coccino, decis. 574. ead.p.4. tom.3 recent.* in quibus hæc requisita magistraliter discutiuntur.

17 Quartò requiritur ex *eod. cap. quia propter*, quod singulorum Capitularium suffragia, & eligentiū vota per Scrutatores ipsos secretè exquirantur, vt in *d.dec.* 574. vbi pro tertia nullitate electionis adducitur, quod Scrutatores non de gremio Capituli, seù Collegii scrutati fuerunt eligentium vota, assidentibus Scrutatoribus de Collegio.

18 Posse tamē duos, vel plures testes adhiberi, nè Scrutatores aliter renuncient, quàm ab eligentibus dictum fuit, Auctor est Innocentius, quem non improbat *Abb. in d.cap. quia propter, sub n.*13.

19 Vera tamen praxis esset, huiusmodi suffragia dari per schedulas, vt obseruatur in electione Summi Pontificis, ex dispositione Cæremonialis Gregoriani, vbi datur forma taliter illas publicandi, vt legatur quidem nomen electi, sed non eligentis introscripti. In aliis verò Capitularibus actibus, licèt de iure nō requiratur, quod uota dentur secretè, expediret tamen, quod in omnibus suffragaretur secretò, præcipuè quando de grauibus rebus est agendum,

21 ad hoc, vt quisque, quod senserit, absque vllo timore, aut alio respectu, liberè posset exprimere. *Barbos. de Canon. cap.*36.*n.*23.

22 Quintò requiritur, vt eligentium suffragia sigillatim exquirantur, non bini, vel terni, *ex eod. cap. quia propter*, sicuti practicatur in testibus, qui plures in eodem examine commisceri non debēt,

23 aliàs eorum depositio non valet, *cap. venerabilem, & cap. cum causam, de testib.*

24 Requiritur sextò, vt exprimātur omnium præsentium vota, quia si aliquis omitteretur, non valeret electio. *Abb. in eod. cap. quia propter n.*16.

25 Septimò ex *eod. cap. quia propter*; vt vota, seù suffragia redigantur in scriptis *Rota in d. Treueren Abbatiæ, n.*

Digitized by Google

tiæ *num.* 43. ubi pro quarta electionis nullitate adducitur, quod hoc obseruatum non fuit, & ratio est, quia meliùs constat de voto per scripturam, quàm ex memoria Scrutatorum, quæ perire potest.

26 Per quem verò vota sint in scriptis redigenda, non exprimitur in textu, ac proindè videtur, quod ab vno ex Scrutatoribus; posse tamen uti publico Tabellione, etiam Seculari, ut in pluribus electionibus obseruatum vidi.

Octauò requiritur, ut post-
27 quam vota fuerint in scriptis redacta, publicentur in communi, *text.in d. cap. quia propter*, *Rota in d. Treueren Abbatiæ*, vbi pro quinta nullitate electionis adducitur, quod hoc obseruatum non extitit.

Nonò requiritur, vt fiat colla-
28 tio numeri ad numerum, dicendo, Talis habuit tot suffragia, Talis tot, &c. *Rota in d. Treueren Abbatiæ num.* 46. Nec quisquam appellare potest, nè fiat huiusmo-
29 di publicatio, & collatio, & si de facto quis appellaret, hoc non obstante, perfici debet, *cap. qua fronte, & Doctores de appell.*

30 Requiritur decimò *ex eod. cap. quia propter*, ut is eligatur, in quem maior pars Capituli consensit, maior autem pars dicitur respectu Capituli eligentis, *c. in Genesi, & c. Ecclesia vestra il 2. & ibi Abb.nu.19.de elect.* Neq; sufficit, quod concurrat
31 maior pars votorum respectu minoris, e.g. si ex duodecim Capitularibus tres eligant unum, quatuor aliũ, & quinq; alium; sed debet esse maior pars respectu Capituli congregati, hoc est supra medietatem, *c. cum Ecclesia, & ibi Abb.n.4.de elect. Rota coram Amato Dunozet dec. 214. nu.2.* ubi, quod *text.in d. c.Ecclesia vestra* habet locum in quocumq; concluso in Capitulo. Quod autem di-
32 citur de maiori parte Capituli, sẽper intelligendum est de congregatis, qui tunc conficiant totum Capitulum, nõ autem respectu Ecclesiæ, *d.c.Ecclesia vestra, Abb.d.n.4. Rota 33 dec.206.n.10.corá Amato Dunozet & dec.36.p.6.recent.* Propterea in principio instrumenti electionis notari debẽt nomina õniũ, & singulorũ de Collegio, qui Capitulũ sũt ingressi.

34 Vndecimò requiritur, ut post publicationem Scrutinii, facta collatione votorum, sequatur cõmunis electio per unũ de Capitulo, sui, & omnium Capitularium nomine, dicendo, *Ego N. mei, & totius Capituli nomine eligo in Episcopum, (seu Abbatem) N. in quem totum Capitulũ, seu maior pars Capituli consensit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Amẽ, *cap. sicut, & ibi gloss. de elect. in 6. & c. cum ab uno, de re iud. eod. lib.6. Abb. in d.c.quia propter Jub n.16. & in c.Genesi,*
35 *n. 2. de elect.* Quæ quidem communis electio fieri debet statim post collationem votorum, nullo actu
36 intermedio, *Abb.loc.cit.* Electio enim particularis ante communem dicitur nominatio, totq; sunt electiones, seu nominationes, quot Electores, *Abb.in d.c.in Genesi n.3.de elect.* per quas nominationes nullum ius acquiritur nominato, *cap. quod sicut de elect.in princ.Franc.Marc. decis. 620.num.1.p.1.*

37 Requiritur duodecimò, ut electio solemniter publicetur, quia non debet esse clandestina, & non tantũ publicanda in Capitulo, sed etiam Populo, *c.dilecti, & ibi Abb. de elect.*

38 Requiritur decimotertiò, quod ante electionem Capitulares audiãt Missam de Spiritu Sancto, & post Missam communicent, ut tàm preciosum Eucharistiæ Sacramentum eos ad Pastorem dignè eligendum inspirare dignetur, *Rebuff. loc. sup. cit.* ubi subdit, quod deuotè Missam audire debent, & non inter eam audiendam colloqui, *cap. decet de immun. Eccles.* Quodq; in dicta Missa tacere nequeũt illi, qui simoniam, vel aliam inordinatam affectio-

Digitized by Google

nem habent in capite.

39 Decimoquartò requiritur,& ante omnia in principio,ut omnes Electores iurent in manu eius, qui Capitulo præest, & ipse Præsidens in manu alterius, se electionem facere de illa persona, quam in spiritualibus, & temporalibus credunt futuram Ecclesiæ proficuam, *Rebuff.loc.cit.*

40 Est autem indubitati iuris, publicato Scrutinio, Electores variare non posse, sed ad votorum collationem, & communem electionem omninò deueniendum esse, vt dictum est supra, & habetur in *cap.publicato, & ibi gloss. & DD. de elect.* Cuius rei rationem quærens *Abb. ibid.n. 3.* adductis, & confutatis aliorum responsionibus, rationem esse,ait, quia Electores, dato suffragio, functi sunt eorum officio, cum singuli sint à iure ad
41 hunc actum deputati. Inferens ex hoc, quasi pro regula generali, quod si electio,aut nominatio, seù præsentatio competat iure proprio, eligens,nominans, & præsentans semper variare possit, antequam tamen electo, nominato, aut præsentato sit ius quæsitum; Secus verò,quando id cõpetat iure alieno,seù alieno nomine, & delegatione, deputatione, cõpromisso, vel aliter,quia tũc facta electione, nominatione, præsentatione &c. Eligens,seù nominans, aut præsentans functus est officio suo.

43 Quod autem potestas eligendi Prælatum non competat Capitularibus iure proprio,sed à iure cõmuni,liquet per *text.ad lit. in cap.* 1. *vbi idem Abb.& omnes, de electione. Carz.de benef.p.5.cap.4. n.9. Silues.in verb.electio,q.*1.*Tambur. de iur.Abbat. tom.*1.*disput.*5.*q.* 8.*in princ. & alii citati à Barbos.in d.cap.*1.*de elect.* Quod licèt videatur contra id, quod dixit idem *Abb. in cap. causam quæ,n.* 10.*de elect.* vbi generaliter quærẽs,
44 an Electores variare possint, ita distinguit, aut elegerunt nomine proprio,vt faciũt Canonici,aut nomine alieno, vt faciunt Compromissarii: Primo casu,aut electio tenuit,& variare non possunt,*cap. publicato,& cap.cum inter de elect.*aut electio non tenuit, & tunc,aut vitio formæ,& poterunt iterum eligere, antequam priuentur,vt notant *Doctores in cap.quia propter,* aut non tenuit vitio materiæ, vt quia elegerunt indignum,& tunc,aut ignorãter,& iterum eligere poterunt,*cap. innotuit, & cap.cum terra de elect.* aut scienter, & eligere non poterunt, quia ob hoc sũt priuati,& potestas eligendi in alium, seù in alios trãslata,*cap.cum in cunctis,*§.*vlt.de elect.& cap.si gratum de postulat.*Prælat.

45 Secundo verò casu,quando elegerunt alieno nomine, tanquam Cõpromissarii, aut electio tenuit, & variare non possunt, quia functi sunt eorum officio, *cap.cum in iure, de elect.& cap.si Compromissarius, eod. tit.in* 6.aut electio non tenuit vitio materiæ,& siuè scienter,siuè ignoranter,ampliùs eligere non posũt, quia functi sunt eorum officio, *d. cap.si compromissarius,*aut electio nõ tenuit vitio formæ, & si cõtra formã errore probabili,videtur quod sic, aut scienter, & tunc uidetur, quod ampliùs eligere non possint, quia functi sunt ipsorum officio.

Potest tamen saluari eius dictũ, quia licèt Capitulares sint à iure ad eligendum deputati,vt supra dictum est, eligunt tamen nomine proprio,non autem alieno.

46 Notandum pro complemento, quod si fiant duę electiones in discordia, votaque eligentium sint hinc inde æqualia, neutra quidem de iure valebit,*gloss.in cap.in Genesi, verbo, non consenserit de elect.* erit tamen gratificationi locus;itaut Papa,cui uelit,gratificari valeat,*gloss. d.verbo consenserit. Franc.Marc.cum ibi notat.decis.*926.*n.*1.*p.*1.

47 An autem, & quando in causis ele-

Digitized by Google

electionum appellari possit, *Rota in Legionen Canonicatus, coram Coccino, decis. 289. p. 6. recent.*

48 Expensę demum necessariæ pro electione de bonis Prælaturæ, consistunt, in uocando Canonicos absentes, in Tabellione, qui ipsius electionis instrumentū conficiat. *Abb. in cap. præteritæ, de elect. Franc. Marc. decis. 47. n. 5. p. 2.* vbi quod expensæ

49 victus Canonicis cōgregatis, tempore electionis fieri nō debent de bonis Prelaturæ, quia non sunt necessitatis, *& n. 6.* quod contraria cōsuetudo non valeret, vtpotè irrationabilis, quia tenderet ad ventris repletionem, occasionemq; daret electionem differendi, & delinquēdi, quod permitti nō debet, *l. obuenire ff. de pactis.*

50 Quę dicta sunt de electionibus ad Cathedrales Ecclesias, an locū habeant in electionibus inferiorū Dignitatū, videlicèt Abbatum Secularium, Præpositorū Ecclesiarū Collegiatarū, iurisdictione gaudētiū, Archidiaconorū, Canicorū, &c quod attinet ad Præpositos Ecclesiarū Collegiatarum, vel quomodolibet nuncupentur, iurisdictionē habentes, affirmatiuè tenet *Abb. in in eod. cap. quia propter, sub n. 7. Franc. Marc. decis. 1368. p. 1.* ea ratione, quia

51 tales Prælati in vim generalis iurisdictionis, qua fruuntur in eorū Collegiatis Ecclesiis, Sponsi quodāmodo appellari posśūt, ac proindè ob illorum obitum viduatæ remanent Ecclesiæ, & sine Pastore. In aliis verò negatiuè, ut etiam tenuit *Rota decis. 3. de elect. in nouis.* expressè declarando, dispositionem *cap. quam sit de elect. in 6.* habere locum in Electis ad Cathedrales, & Regulares Ecclesias tantùm, non ad inferiores Dignitates, per quā Prælatorum mortem Ecclesiæ non

52 dicuntur viduatæ, nec in earum electione per consequens seruandam esse formam *d. c. quia propter.* Et respondendo motiuis in contrariū adductis *dec. 5. pariter de elect. in nou.* concurrit cum sententia Abbatis, quam dicit esse communem; sicuti etiam resolutum fuit in *Leodien Decanatus die 26. Februarii 1627. & die 14. Iunii 1628.*

53 Verùm huiusmodi primarum Dignitatū prouisio generaliter est hodiè reseruata Sedi Apostolicæ per regulam quartam Cancellarię. *Garz. de benef. p. 5. c. 1. §. 5. n. 26. Cokier. ad regul. 1. sub n. 23. casu 15. & ad regul. 5. n. 16. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 57. n. 49. & seq.* Specialiter verò in Germania, vigore concordatorum, ut decisum fuit in *Bremen Præpositurę coram Coccino Decano 4. Iulii 1614. quæ est decis. 580. p. 2. recent. Nicolart. in prax. benef. tit. 1. de reseruat. §. 9.* vbi, quod in vim Concordatorum, Summi Pontificis dispositioni reseruātur maiorum Dignitatum prouisiones in Cathedralibus post Pontificalem, & principaliū in Collegiatis Ecclesiis, in quolibet Mense vacantium, ut patet ex lectura eorundem cōcordatorum, ibi: *Maioribus Dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & Principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis.*

54 A qua tamen reseruatione excipiuntur Leodienses, quos speciali priuilegio, seù prerogatiua cohonestauit Sixtus Quintus de anno 1585. prædictas Dignitates, tàm in Ciuitate, quā in tota Diœcesi Leodien, volens non comprehendi sub quibuscumq; regulis reseruatoriis, in corpore iuris non clausis, sed inferiorum liberæ dispositioni relinquens, dūmodo tamē intra triginta dies, à vacatione computandos fiat electio, & à Santa Sede confirmatio petatur intra sex Menses, ab electionis die numerandos in Constitutione apud *Cok. super regul. 3. Cācell. sub n. 36.* quæ omnia confirmata fuerunt ab Vrbano Octauo in eius Bulla registrata adud *Nicolart. in prax. benef. fol. 47.*

55 In electione verò Abbatum Re-

gulariũ, qui videlicet possunt quodammodo appellari Sponsi, & per quorum obitum remanent viduatæ eorum Ecclesiæ, seruanda sunt disposita in *d. c. quia propter de elect.* & quæcumq; superiùs dicta de electione Episcoporũ, *Abb. in d.c.quia propter, Rota decis.312.p.4.tom.2.recèt. & dec.574.ead.p.4.tom.3. recent.* Quæ cõfirmata fuit *die 24.Ianuarii* 1625. *coram Coccino.* & per consequens cõuocandi sunt omnes, qui volunt, debent, & possunt commodè interesse, & si fiat electio per scrutiniũ, eligi debent tres Scrutinatores de gremio Capituli, qui vota omniũ, & singulorum eligentium secretè exquirant, & in scriptis redigant, mox publicentur in communi, & facta collatione numeri ad numerum, ille statim per unum de Capitulo, sui, atq; aliorum Capitularium, ac totius Capituli nomine, eligatur in Abbatem, in quem totũ Capitulum, seù maior pars consenserit, statimque publicatur electio, vt statuitur in *d.c.quia propter.* Si verò electio fiat per compromissum, seruari debent omnia, & singula, quæ de compromisso, compromittentibus, & compromissariis dicemus inferiùs, §. *seq.* Quod idem pariter dicendum est, si electio fieret per inspirationẽ, seù quasi, de qua etiam dicemus inferiùs, §. *subseq.* Et in uniuersum in huiusmodi electionibus Abbatum Regularium, qui possunt appellari Sponsi, & per quorum obitum remanent viduatæ Ecclesiæ, locum habent omnia supra notata de qualitatibus eligẽdorum, de personis eligentium, ac de ipsis electionibus.

56 Hoc interest, ut in Abbatẽ Regularẽ eligi nõ possit is, qui in eadẽ Religione nõ sit expressè professus *Concil. Trid. sess. 25. de Regul. c.1.* quacũq; in contrarium consuetudine non obstante, *& c.cum causam il 2. de elect.* ubi pro ratione redditur, quod secundum Diuinam legem non est arandum in boue, & asino, nec debet quis inducere vestem, lana, linoque contextam, *cap. cum in Magistrum, & ibi gloss. & DD. eod. tit. vbi ad lit.* Non debere assumi in Ma-
57 gistrum, qui prius non fuit Discipulus, *cap. ad nostram, & cap. officii, de elect. cap. si Religiosus, & cap. nullus, eod. tit. in* 6. Nil tamen obstat, quin Monachus vnius Monasterii eligatur in Abbatem alterius Monasterii, non tamen alterius Religionis, quia tunc postulandus erit, *cap. cum Monasterium, & ibi Abb. de elect.*

Cum autem in *Concil. Trident. sess.*
58 *14. de reform. cap.* 10. dicatur, quod si Regularia Beneficia dentur aliis, quàm Religiosis eiusdem Ordinis, ipsos habitum illius Religionis suscipere, & professionem emittere teneri; non debet propterea quis habitum assumere, & Monachus effici ea spe, & fiducia, vt eligatur
59 in Abbatem, quia monachari videretur, nõ propter Deũ, sed propter honorẽ, & quęstus causa, *d.c.cum ad nostram, & ibi Abb. n.3. et c. per Laicos* 16. *q.7.*

60 In Ecclesiis Regularibus, & Monasteriis, electionem proprii Abbatis pertinere liberè ad Monachos eiusdem Monasterii, & quidem de eorũ gremio, disponitur per *text. ad lit. in c... vbi ões Scribẽtes de elect. cap. cum dilectus, de consuetud. cap. hoc tantùm, cum seqq.* 18. *q.2. Tambur. de iur. Abbat. tom.1. disput.5. num.1. Rota decis.299.p.1. coram Verrall.* Deficiẽte verò Persona idonea, poterit eligi de alio Monasterio, vt sup. dictũ est.

61 Demum quoad electionem passiuam, coarctatã ad certas Personas, seù ad certum genus Personarum, vt cõsueuit forsitan in aliquibus Religionibus, hæc damnatur à Rota, in Vallis Optanæ Præeminentiarum corã Card. Pamphylio, 24. Nouembris, 1603. *quæ est decisio. 65.p.p.recent.* quia debet esse ex omni parte libera, vt ibid. *et c. quisquis, vbi gloss. et Abb. n.6. de elect.*

For-

Digitized by Google

Forma Instrumenti Electionis per Scrutinium.

62 IN nomine Domini, Amen. Cunctis pateat, & ubique notum sit, qualiter Anno.....Indictione.... die verò.....Mensis.....Pontificatus..... Vita functo N. Episcopo huius Ecclesię N. (*seu Abbate huius Monasterii* N.) & subsequenti die sepulturæ tradito, per N. Decanum (*seu quocumque alio vocetur nomine*) indicta fuit pro electione noui Episcopi, (*seu Abbatis*) præsens dies in Cathedrali, (*seu alio loco solito, et deputato*) & citati omnes Capitulares, qua die persolutis exequiis, post Missam solemnem de Spiritu Sancto, & sacram Synaxim ab omnibus Capitularibus perceptam, dicti omnes Capitulares, videlicèt N. Decanus N.N.N.N.N. capitulariter, & totum Capitulum representātes, corā Me Notario, & Testibus infrascriptis, prædictum Capitularem locū sunt ingressi. Post hæc N. Secretarius Capituli omnium Electorū nomina, & cognomina è Schedula, quā in manu gerebat, alta, clara, & intelligibili voce recensuit. Quo peracto, Decanus (*seu Prior*) mihi Notario; & Testibus præcepit, vt ad valuas Ecclesiæ accedens, in noue, & reiteratæ, ac perēptoriæ citationis Signum, reaffigerem citationem edictalem, ac denuò reproducerem, & publicè legerem. His completis, idem Decanus contumaciam non comparentium accusando, electionis indictionem ritè factam esse, pronunciauit, grauiter obtestans omnes, vt si qui essent Excommunicati, Interdicti, vel quomodolibet priuati, aut suspensi à voce actiua, recedentes, liberè alios, permittant, eligere. Mox in Capitulo congregatos percunctatus fuit, an omnes pro veris Capitularibus, ius electionis habentibus, agnoscerentur? Quibus annuentibus, Hymno: Veni Creator Spiritus inchoato, Decanus, & subsequentes omnes Capitulares, manu ad librum Euangeliorum admota, Sacramentū emiserunt, de meliore, & Ecclesiæ vtiliore eligendo; deindè per eundem Decanum propositis tribus modis eligendi, videlicèt Inspirationis, Cōpromissi, & Scrutinii, & p Capitulare decretum electo Scrutinio, assumpti fuerunt tres Scrutatores de Capitulo, N. videlicet, N.N. qui præstito iuramento de fideliter exercendo, ad exedram consederunt; tum Calice cum patena ad dictam exedram coram Prælatis Scrutatoribus delato, perspectoq; & vacuo reperto, surrexit primus Scrutator, votumq; suum in Schedula scriptum, ipsamque Schedulā complicatam in calicem immisit; cumque dictus primus Scrutator rediisset ad locum suum, secundus Scrutator votū suum in Schedula pariter complicata in calicem detulit, quod, & à tertio Scrutatore similiter actum est; Tum demum singuli Electores Schedulam voto suo scriptam, & complicatam in calicem detulerunt, donec exhausto Electorum numero, Schedulas omnes è calice extractas, super patena Scrutatores cōputarunt, cumque ipsas Electorum numerum coęquare, comperiissent, (*quod si vota danda sint oretenus, postquam dictum est* ad exedram consederunt, *Iungēdum est*, tum primus Scrutator surgens, votum suum tulit secundo, & tertio Scrutatoribus, oretenus, & secretò excipientibus, qui inscriptis illud redigerunt, cumque ad locum suum rediissent, secundus Scrutator votum suum tulit primo, & tertio Scrutatoribus, qui pariter illud adnotarunt; quod, & à tertio Scrutatore, cum primo, & secundo Scrutatoribus seruatum fuit. Tum demum exceptis à præfatis tribus Scrutatoribus omniū, & singulorum Capitularium votis ore-

oretenus,& secretò, atque in scriptis redactis, cumque ipsa uota numerum Eligentium æquare, comperiissent;Scrutator, placet nè Vobis,inquit,Confratres carissimi, vt vota in communi publicentur, vt indè appareat, quis maiorem Suffragiorum numerum tulerit,ipsisque placere respondentibus, vota in communi protulit, claraque, & intelligibili voce,N.*tot* vota fuisse fortitum, N.*tot*,& N.*tot*, quæ uota insimul, & coniunctim perficiunt numerum..... Horumque votorum numerum Ego Notarius, & Testes infrascripti cum Schedulis,(seu Electorum numero) oculis nostris cõuenire perspeximus, tùm eorundem votorũ numeri ad numerum facta collatione, N.omnes alios præcellere,in eumq;facta cõparatione meriti ad meritũ,& zeli, ad zelũ,maiorem,& saniorem partem Capituli,& Capitulariũ,inuẽtum est, consensisse; statimque N. primus Scrutator, nomine ipsius Capituli ad hoc deputatus,ità pronunciauit, Ego N.meo, omniumque mihi consensientium nomine, in Episcopum, (*seu Abbatem*)N.in quẽ maior,& sanior pars Capituli consensit,eligo,& nomine Capituli,ad laudem,& gloriam Sanctissimæ Trinitatis, præfatum N. declaro, & pronuncio verum, & legitimum huius Ecclesiæ Episcopum, (*seu Monasterii Abbatem*) iubeoque, vt electio solemniter publicetur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;quo dicto,combustę fuerunt omnes Schedulæ: Post modũ dicti Capituli præcepto,N. ad hoc deputatus prædicto N. electo factã de se huiusmodi electionem præsentauit, ipsiusque consensum requisiuit,& ipse N.Electus,Dignitatis, ea,qua decuit,modestia, onus susçepit. Quam electionem de Capituli mãdato Ego Notarius cum Testibus infrascriptis Populo publicaui. Quibus peractis, prędatus N.Electus ductus fuit in Ecclesiam ad Altare maius,cui in sede ibi parata collocato, congratulantibus omnibus Capitularibus, debitam reuerentiam cum oscula pacis exhibentibus,Hymnus: Te Deum decantatus fuit, & electioni finis impositus. Actum, &c.

§. IV.

De electione per Compromissum.

SVMMARIVM.

*Electio per compromissum n.*1.
*Electio per Compromissũ est subsidiaria.*2.
*Compromissariis potestas diuersimodè tribui potest.*3.
Compromissarii, quando eligere non possint illum, in quem maior pars non consenserit. 4.
*Compromissum fieri non potest,nisi omnibus consentientibus.*5.
*Compromissum factum à maiori parte non substinetur.*6.
*Prohibẽtis cõditio potior est in re cõmuni.*7
*Compromissum factum ab uno, nomine omnium,non valet.*8.
*Consensus expressus in re graui debet interuenire.*9.
*Compromitti potest etiam in Personas extra Capitulum.*10.
*Compromitti potest etiam in eum, ad quem spectat electionis confirmatio.*11.
*Si duo actus ad aliquem spectent iure proprio,per unum supplere potest.*12.
*Compromissarii semel electi utrum reuocari possint.*13.
*Capitulum est præsumendum, quod potiùs Ecclesiæ prouidere voluerit, quàm Compromissariis gratiam facere.*14.
*Iactare suum nemo præsumitur.*15.
*Compromissum an unus de Capitulo, re integra,possit reuocare.*16.
*Cõpromissum quando tenuit, necesse est,ut maior pars in reuocatione cõcurrat.*17
Solẽnitates requisitæ in actus celebratione requiruntur etiá in eius resolutione. 18.
*Compromissi reuocatio an debeat fieri expressè.*19. Ele-

Digitized by Google

Electio Capituli, non intimata Compromissariis reuocatione, an teneat. 20.
Spirituale matrimonium ad contrahendū, sufficit mandatum in genere. 21.
Matrimonium carnale ad contrahendum requiritur mandatum in specie. 22.
Compromissum super electionis validitate fieri non potest. 23.
Compromissarii formam Compromissi seruare debent. 24.
Electi votū an sit de necessitate scrutari. 25
Compromissarii Personam idoneam eligere tenentur. 26.
Compromittentes electum à Compromissariis acceptare tenentur. 27.
Cōpromissarii utrum variare possint. 28.
Compromissariis eligentibus indignū, quando potestas deuoluatur ad Compromittentes. 29. & 30.
Cōpromissarius an possit eligere seipsū. 31

1 SEcunda electionis forma, post Scrutinium, approbata à iure, fit per compromissum, *d.c.quia propter de elect.ibi*: vel saltem eligendi potestas aliquibus Viris idoneis cōmittatur, qui vice omniū Ecclesiæ viduatæ de Pastore prouideant. Quā eligendi viam per compromissum
2 subsidiariā vocat *Abb. in eod. c.quia propter, d.§.vel saltem*, itaut sensus literalis sit, quod Capitulares eligāt per uiam Scrutinii, iuxtà formam traditam in principio Canonis, aut si formæ illi se subiicere nolint, saltem aliquibus Viris idoneis eligēdi facultatem conferant.
3 Quę quidē Cōpromissariis eligēdi potestas tribui potest absolutè, promittendo simpliciter, illū recipere in Prælatum, quem ipsi Compromissarii elegerint, *c.cum causam, de elect. Abb. in d.§.vel saltem, nu.2.* & cum restitutione, itaut Compromissarii vota omnium, & singulorū de Capitulo scrutari teneantur, illumq; eligere, in quem omnes, vel maior pars consenserit, *tex. in c.dilecti, de elect. & c.cū expediat, eod.tit. in 6.*
4 Quo casu Compromissarii illum eligere non possunt, in quem consentiat maior pars Capituli partiū comparatione minorū, sed perneceſſe illum eligere debent, in quem maior pars totius Capituli cōcordat, hoc est supra medietatē, *text. in c.si cui, de elect. Abb. in d.§.vel saltē n.2*
5 Hoc autem compromissum super potestate eligendi fieri non potest, nisi consentientibus omnibus, & singulis Capitularibus, *c.in causis ubi Abb.nu.3. c.rescriptum, & d.§.vel saltem, ubi Abb.n.6. & alii communiter*
6 *de elect.* Proindè non sufficit maior pars Capituli, quia cuiuslibet singulariter interest, vt per seipsū eligat, non per aliū, ipso inuito; ideoq; quilibet contradicere potest, nè
7 fiat compromissum, & in re cōmuni potior est conditio prohibentis, per regulā *in re communi de reg. iur. in 6. l. Sabinus ff. comm. diuid. Abb. d. n.*
8 3. vbi subdit, non valere compromissum, ab vno factum omnium nomine, aliis tacentibus, & non cōtradicentibus, quia cum huismodi res non sit leuis, sed magnæ importantiæ, omnes inquiri, & expressè consentire debent. Neque sufficit, quod actus explicentur aliquorū nomine, licèt alii taceant, & non
9 contradicant, quia in re onerosa, & graui consensus expressus interuenire debet, pro quo consensu taciturnitas haberi non potest. Faciūt notata per *Innoc. in c.in Genesi de elect. & in regul. qui tacet, de regul. iur. in 6.*
10 Compromitti verò potest in Personas, tàm de Capitulo, quàm extra Capitulum, dummodo sint Ecclesiasticæ, non Seculares, *gloss. in d.§.vel saltem, in verbo aliquibus visis,*
11 *& ibi Abb.n.5.* quinimo, & in eundem, ad quem spectat electionis confirmatio, *text. in cap. causam quæ, & ibi Abb.n.3. de electione*, generaliter concludens, quod si duo actus
12 ad aliquem spectant iure proprio, per vnum supplere potest; si autem vnus spectat iure proprio, & alius alieno iure, per vnicum actum supplere nequit.

Vtrum

13 Vtrum semel electi Compromissarii reuocari possint: variat *gloss. in d.c. in causis, vers. cum res non esset integra*, resoluendo tamen affirmatiuè, re integra, aliàs secus: Alii verò distinguunt, quod aut Capitulum dedit hanc potestatem Compromissariis, ipsorum gratia, vt sic honorarẽtur tali actu eligendi, & tũc procedat opinio glossę, vt etiam re integra, reuocari nõ possit eorum potestas; Aut talis facultas eis data fuit, non fauore Personarum, sed Ecclesiæ, ad hoc fortè, vt facilius prouideretur per viam compromissi, ita quod ipsi, tamquam nudi Ministri, & executores deputati fuerint, & tunc procedat opinio contraria, ut re integra, potestas reuocari possit, secus re non integra, iuxta *text. in cap. causam quæ, & in d.c. in Causis, vbi Abb. n. 11. de elect.* In dubio autem, si non appareat, an intuitu Ecclesiæ, vel fauore Personæ, seu Personarum sit data potestas, considerandum est, quid per
14 prius actum fuerit, an fortè Compromissarii talem gratiam expetierint, Quod si apparere non possit per ea, quæ præmissa fuerunt, præsumendum est, quod Capitulum potiùs Ecclesiæ prouidere uoluerit, quàm, Compromissariis gratiã facere. *Abb. loc. cit. n. 12.* ubi si alicui dico, tolle hanc pecuniam, non præsumitur donatio, sed mutuum, uel depositum, quia nemo suum
15 iactare præsumitur, *cap. super hoc de renunc. l. cum de indebito ff. de probat.*

16 Vnus uerò solus de Capitulo, re integra, an possit reuocare compromissum? licèt quidã affirmatiuè tenuerint, ea ratione, quod sicut à principio vnus solus resistere potuit, nè fieret compromissum, ita re integra, unus solus compromissum possit reuocare, *per l. Vranius ff. de fideiussoribus*: Contrarium tamen est verius, quia ex quo Compromissarii sunt, quasi procuratores totius Capituli, vtpotè, quia cõpromissum est eis per totum Capitulum, vnus solus reuocare non
17 potest, *Abb. in d.c. in causis, n. 16.* vbi ex quo compromissum semel tenuit, oportet, vt maior pars pro reuocatione concurrat, *arg. c. 1. de his, quæ fi. à maior. par. Capi. & l. quod maior ff. ad municip.*

18 Quod omninò tenendum videtur per regulam, quod solemnitates requisitæ in actus celebratione, requiruntur etiam in eiusdem resolutione, ad notata per *Sebast. Sapi. in postill. ad Abb. ibid. lit. G.*

19 In casu autem, quo Compromissariis eligendi Potestas reuocari possit, reuocationem expressam esse debere, nec sufficere tacitam, tenet *Innoc. in d.c. in causis*, vbi si re integra, Capitulum procederet ad
20 electionem, nõ intimata Compromissariis reuocatione, valeret ipsorum electio, & non illa Capituli. Quod tamen negat *Abb. ibid. n. 18.* explicans, dictum Innocentii posse locum habere, quando electio Capituli non præcederet, quia si hæc præcederet, non apparet, quare tenere debeat secunda electio Compromissariorum, quoniam ex quo res est integra, Potestas remansit penes Capitulum, *cap. dudum de præben. in 6.* cũ secunda electio per Cõpromissarios reperitur facta post primã Capituli, ac proĩdè tenere nõ debet, *argum. not. de matrimonio carnali, in c. fin. de procur. in 6.* Ex quo idem
21 *Abb. ibid. n. 15.* magnã colligit differentiam inter spirituale, & carnale matrimonium; etenim ad contrahendum spirituale matrimoniũ, sufficit mandatum ad contrahendũ in genere, *d.c. in causis*, at in matri-
22 monio carnali oportet, ut detur speciale mandatum ad contrahendum cum certa Persona, aliàs non esset sufficiens, *text. in l. in generali, ff. de ritu nupt. glos. in d.c. fin. de procur.*

23 Illud non omittendum, non posse fieri compromissum super electionis validitate, quatenus reuocaretur

caretur in dubium, cum intret præiudicium Electi, *cap. cum inter Canonicos, & ibi Abb. num. 3. de elect.*

24 Quod ad ipsos Compromissarios attinet, hi cõpromissi formam seruare tenẽtur ad unguem, *Rota dec. 6. de elect. in antiq.* ubi disputatum fuit, An teneret electio à Compro-
25 missariis facta de illo, in quem conuenerant omnes de Capitulo, cum in compromisso contineretur, quod omnium, & singulorum vota scrutari deberent, & ipsi votum Electi scrutati non fuissent. Et conclusum fuit affirmatiuè, ea ratione, quia ex quo viderunt, omnes in illum conuenire, illius votum frustraneum existimarunt; cum seipsũ eligere non posset, & aliũ eligendo, nihil fecisset.

26 Tenentur insuper idoneam Personam eligere, quia potestas iisdem collata, intelligitur de idoneo, ac propterea si electus non esset talis; Capitulum illũ recipere non tenetur, *Abb. in c. causam quæ n. 4. de elect. c. si quis Cõpromissarius, eod. tit. in 6.* Quod si electio fiat de digno, omisso digniori, non vitiatur, ad *notat. per Bar. in l. cum quidam, ff. de legat. 2.* faciunt generaliter, quæ diximus supra de
27 electione digni, omisso magis digno. Sicuti è contra Compromittẽtes electum à Compromissariis acceptare tenentur, quatenus sit idoneus, & seruata compromissi forma, *c. cum dilectus, de elect.*

28 An autem variare possint Compromissarii, distinguendum est iuxta ea, quæ diximus supra, quod videlicet, aut electio tenuit, & non possunt, quia functi sunt eorum officio, *cap. cum de iure de elect. & d. c. si Compromissarius, Abb. in c. gratum n. 8. de postul.*

29 *Prælat.* ubi ponit casum, quod si ex tribus Compromissariis duo eligerent indignum, & tertius dignum, Cõpromissariorum potestas deuoluitur ad Compromittentes, quia isti non elegerunt, ut Collegium, in quo consideratur maior pars, sed elegerunt uti singuli: Aut electio non tenuit ex defectu formæ, & in tali casu, aut contrauenerunt formæ, erro-
30 re notabili, & videtur, quod iterum possint eligere, quia non videntur elegisse, ex quo non seruauerunt formam sibi traditam, ut probatur in *l. quod tamen, ff. de arbitr. & iuxta notata per Innoc. in c. 1. de re iudic.* aut sciẽter iuerũt cõtra dictã Compromissi formam, & amplius eligere non possunt, quia fũcti sunt eorum officio, *argum. cap. cum dilecta de rescript. Abb. in d. c. causam, quæ n. 10. de elect.*

31 Si demum in compromisso data sit facultas, ut Compromissarii unũ ex seipsis eligere possint, poterit quis seipsum eligere, nõ quidem formaliter eligendo, cum hoc sit prohibitum in *c. Cumana, ubi gloss. & DD. de elect.* Sed consentiendo electioni, de se factæ, cõpromissariorum numerum seligentiũ augere, *text. ad lit. in c. cum in iure, ubi glossa, & alii de elect.* Nisi tamen votum suum alteri dedisset, *Franc. Marc. decis. 926. n. 5. p. 1.*

Forma Instrumenti Electionis per Compromissum.

32 INstrumẽtum electionis per viam compromissi extenditur, iuxta formam supra extensam, in *fine* §. *præcedentis*, de instrumento electionis per Scrutinium, usque dum fuerit deuentum ad periodum, *propositis tribus modis eligendi, videlicet, Inspirationis, Compromissi, & Scrutinii*, iungendum est, placuit uniuersis, & singuis per viam compromissi viduatę Ecclesię prouidere, dederuntque plenam, & liberam potestatem, & facultatem N. seu N. N. N. Viris fidelissimis, de cuius, seu quorum pietate, zelo, & prudentia omninò confidunt, ut idem, seù iidem collegialiter, siuè maior pars ipsorum, vice sua, seù eorum, & totius Capituli, per electionem concordem, Ecclesię vacanti, prout conuenirẽt inter se, Deum, bonumque statum ipsius Ecclesiæ præ oculis habẽtes, de Perso-

Digitized by Google

na idonea prouiderent, omnem potestatem, & vicem singulorum Capitularium, ac totius Capituli super hoc eis committētes, ita quod unus ipsorum, de consensu aliorum Compromissariorum, vel maioris partis eorum, vice sua, & Collegarum, totiusq; Capituli, illum, in quem omnes ipsi, vel maior pars eorum conuenirent, eligerent, & electionem solemnem, ac solemniter in præsentia totius Capituli publicarent. Qui Compromissarii, secedentes in partem, & Spiritu Sancto deuotè inuocato, matura deliberatione, atque examinatione habita inter se diligenti, tandem in N. conuenerunt, quem N. unus ex Compromissariis, secundum formam in compromisso appositam, elegit in Episcopum, (*seù Abbatem*) & publicauit, dicendo: Ego N. Cōpromissarius concorditer electus, iuxtà facultatem in compromisso traditam, meo, & aliorum Compromissariorum, mihi cōsētiētiū, ac totius Capituli nomine, èligo in Episcopum, &c. *vt supra in forma electionis per Scrutinium.*

Quod si in compromisso additum sit, ut Compromissarii eligāt illum, in quem maior pars Capituli consenserit, post periodum, *Spiritu Sancto deuotè inuocato*, iungendum est, & requisierunt super hoc singulorum Canonicorum, seù Capitularium consilia, quibus auditis, & matura deliberatione, &c. ut supra.

§. V.

De Electione quasi per Inspirationem.

SVMMARIVM.

Electio quasi per inspirationem n.1.
Abbatis opinio super electione per inspirationem. 2.
Electionum tres formæ non sunt à iure traditæ.3.
Electio quasi per inspirationem approbatur tantùm.4.
Formam capit. quia propter non omnes benè norunt.5.
Dictio, quasi, posita in textu, quid importet.6.
Opinio Abbatis confutatur.7.& 22.
Via quasi per inspirationē eligi non potest.8.
Electio per inspirationem, & quasi per inspirationem quomodò distinguantur secundum aliquos.9.
Electio per quasi inspirationem, & quasi per inspirationem quomodo differant. 10.
Dictio, quasi, ante, vel post particulam, per, importat sensum diuersum. ibid.
Electio per inspirationem, & electio quasi per inspirationem, qualiter differant. 11.& 12.
De electione quasi per inspirationem nihil in iure scriptum.13.
Electionis quasi per inspirationem requisita. 14.& 15.
Electio quasi per inspirationem, vno tantùm contradicente, non ualet.15.
Electio quasi per inspirationem non admittenda, nisi desuper fabricato processu.16.
Electio quasi per inspirationem viam fraudibus aperire potest.n.17.
Electionem quasi per inspirationem communis electio sequi debet.18.
Cōmunis electio non requiritur in Papa. 19.
Electio quasi per inspirationem non est admittēda, quandò in instrumento dicitur, fuisse electam huiusmodi viam.20.
Inspirationem actiuam Spiritus Sancti eligere non possumus.21.
Quisquis præsumendus est rectè fungi officio suo.23.
Inspiratio Spiritus Sancti suppliciter petenda.24.
Tentatio Dei in quo consistat.25.
Abraham Dei tentationem euitauit.26.
Rebuffi opinio confutatur.27.
Dispositio Cæremonialis Gregoriani non est adducēda pro aliorum electionibus.28.
Scrutinii via ordinaria semper eligi deberet.29.
Compromissi via est subsidiaria.30.
Electio quasi per inspirationē cadere non potest super vno de Capitulo.31.
Electio quasi per inspirationem quatenùs admittenda, non confirmanda.32.
Quæ Spiritu Dei aguntur, sub humana dispositione non cadunt.33.& 35.

Ele-

Digitized by Google

Electio per inſpirationem in tertio miraculorum genere reponenda. 36.
Electio per inſpirationem confirmatione non indiget. 34.
Electio per inſpirationem non indiget præconio, vel propoſitione. 37.
Electio quæcunque, ſive per inſpirationem, vel quaſi, ſive per Scrutinium, aut compromiſſum, facit vacare omnia Beneficia. 38.

1 VLtra ſupra recenſitas electionũ formas, per viam Scrutinii, & Compromiſſi à iure ſtatutas in *cap. quia propter, de elect.* cum in eodem capite poſt irritatas electiones non factas per ſcrutinium, vel compromiſſum ſubdatur: *niſi forte communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem celebrata*, à nonnullis Doctoribus, prædicta verba, iudicio meo, malè interpretantibus, addita fuit tertia electionis forma, *quaſi per inſpirationẽ*, ſubdentes inſuper, huiuſmodi viam eligi poſſe, qui tamen errantes ab vtero, locuti ſunt falſa, & quidem ità confusè, vt quid reſoluant, neſcias.

2 Etenim, vt alios omittam, *Abb. in d. §. niſi, in princ.* opponendo, quod Electores videntur magis grauati, eligendo per viam inſpirationis, quàm per viam Scrutinii, quia per viam Scrutinii requiritur tantùm maior pars eligentium, & per inſpirationẽ requiritur omnium conſenſus; Ita reſoluit, quod per viam inſpirationis reuelantur ab onere Scrutinii, cum non ſubiiciantur alicui formę, ſed datur tantùm pro forma, vt fiat ab omnibus. Quod vltimum ſubſiſtere non videtur, quia in textu nõ datur pro forma, vt fiat ab omnibus, ſed ſuppoſita poſſibilitate caſus, quod omnes ſine vitio concurrant in eandem Perſonam, talis caſus excipitur à nullitate, ob non ſeruatam formam Scrutinii, vel compromiſſi, vt fatetur ipſe idem *Abbas ibid.* dum dicit, quod *d. verſ. niſi*, refertur ad præcedentia, in quibus annullantur electiones non per Scrutinium, vel cõpromiſſum factæ.

3 Ex quibus patet, quàm incongruè loquantur illi, qui aſſerunt, tres electionum formas à iure traditas, inter quas ponunt viam per inſpirationẽ, quia hoc nullatenus verificatur, nec reperitur in iure ſcripti; Sed ſuppoſita, vt dixi, poſſibilitate caſus, quod omnes quaſi per inſpirationem, eundem eligant, huiuſmodi electio ap-
4 probatur *in d. §. niſi.* Sed non datur pro forma, quod ſi velint eligere, quaſi per inſpirationem, omnes vno ore eundem eligant, quia hoc nullatenus legitur in textu: Ac proindè non videtur malè ſentire *gloſſ. in cap. cum expediat de elect. in 6.* dicendo,
5 quod non omnes benè norunt formam *cap. quia propter de elect.* quinimò boni Iuriſtæ practicare neſcientes, in ea deficiunt, *Franc. Marc. deciſ. 926. n. 5. p. 1.*

Quærit deindè *Abb. in d. §. niſi n. 3.*
6 Cum text. dicat: quaſi per inſpirationem, quare poſuit dictionem, quaſi? Et reſoluit ex Hoſtienſe, quod tacitè includuntur duæ formæ inſpirationis, quia illa electio fit per veram inſpirationem, quæ fit, authore Deo, nec indiget alia confirmatione, vt fuit electio B. Nicolai, Ambroſii, & Seueri: Fit autem, quaſi per inſpirationem, quando non conſtat, quod authore Deo, ſit facta, ſed præſumitur, quando omnes de Collegio vno ore conſentiunt in aliquem, nullo præcedente tractatu, vndè dicitur tunc, quaſi per inſpirationem, ideſt ad ſimilitudinem ueræ inſpirationis *hęc Abb.*

7 Qui in *eod. cap. quia propter §. ſaltem, n. 6.* docet, quod quandò Electores ſunt pauci, itaut procedere non poſſint ad electionẽ per viam Scrutinii, tunc eligere poſſunt per viam inſpirationis: Quod meo iudicio, nullatenus ſubſiſtere poteſt, vt videbimus infra, vbi probabimus, quod via quaſi per inſpirationem ab hominibus eligi non poſſit ſine voluntate Dei: Sicuti cautè legendus tan-

Digitized by Google

tus Doctor, dum asserens, quod electio quasi per inspirationem præsumitur à Deo, ex quo omnes de Collegio consentiunt in aliquem, subiungit, quod dicitur quasi per inspirationem, ad similitudinem, verę inspirationis: Quę quidem verba aliis declaranda relinquo, remittendo Lectorem ad ea, quæ dicemus inferiùs in sententia nostra.

8

9 Quam Abbatis lecturã in substantia secuti sunt ferè omnes, qui de materia scripserunt, atque etiam *Rota decis. 312. p. 4. tom. 2. recent.* vbi ita distinguit, quod electio per inspirationẽ sit, quãdo nullo inter eligẽtes ordine seruato, ipsi quasi inebriati, ac super se facti eligunt: Electio verò quasi per inspirationẽ sit, quãdo subitò, ac de repente vnus post aliũ, sine interuallo eundẽ eligunt; prout etiam ita distinguit *Barbos. in cod. cap. quia propter. n. 31.* Quod tamen apud me non transit, vt videbimus infra.

Notato priùs, quod valdè differt dicere, *Electio quasi per inspirationem*, & dicere, *Electio per quasi inspirationẽ*, vt apud nonnullos legitur. In hoc

10 enim vltimo sermone, dictio, *quasi*, cum addatur verbo, *inspirationem*, importat aliquem defectum, seù improprietatem ipsius actus inspirationis, vt colligitur ex notatis à *Caluin. in lex. iur. eod. verbo, quasi*, vbi, quasi castrense peculiũ dicitur eorũ, qui Priuilegia Militum habent, quales sunt Aduocati, *l. 1. §. nec castrense, ff. de coll. bon.* Quasi contractus, qui non sunt propriè contractus, sed ad naturam, & similitudinem contractuũ accedũt, *l. 5. ff. de verb. oblig.* Quasi dominium eius, qui à non Domino emit bona fide; quasi Possessionem rei incorporalis, *Instit. de re. corp. & incorp.* Quasi vsusfructus earum rerũ, quæ vsu consumuntur, & pereunt, *Instit. de vsufr. §. constituitur, l. 1. ff. de superfic.* Et per consequens importare aliquam imperfectionem.

Dicendo verò, *quasi per inspirationem*, prout in textu, dictio, *quasi*, cadit super nostro actu cognoscendi, & loquendi; importat enim idem, quod dictio, *tanquam*, vt *in l. adoptionis. ff. de adopt. l. ubi ita, in fin. ff. de dona. cans. mor. l. item eorum, iuncta gloss. in verbo quasi, ff. quod cui. vniu. nom.*

11 Vt igitur dicam, quid sentiã, crederẽ, vnam inspirationẽ ab alia ita distingui, vt electio per inspirationẽ sit, quę nõ fit ab hominibus, neq; humano ministerio mediãte, sed immediatè à Deo per aliqua signa sensibilia, vt in exẽplis, supra notatis in prĩcipio, de Episcopis Ecclesię Rauẽnaten, qui post Sanctũ Apollinarẽ, vsq; ad numerum duodecim designati fuerũt, & indicati per Columbam, de Diuo Ambrosio, ad Mediolanensem Episcopatum acclamato voce Pueri, & aliis, qui non fuerunt, neq; dici possunt electi ab hominibus, sed immediatè à Deo, inspirante in mentes hominum, ad illos acceptandum, tanquam ab ipso Deo electos, & per supradicta, vel alia signa ostensos, & indicatos.

12 Electio verò quasi per inspirationem procedat quidem, & ipsa indubitanter à Deo; sed mediante hominum ministerio, & instrumento, scilicet eligentium voce, & acclamatione; non quidem per simplicẽ passiuum linguæ motum, prout per Angelum mouebatur vox asinæ Balaam, *Num. 22. ubi Lyran.* Sed tãgente Deo cor Electorum per inspirationem Spiritus Sancti; ita vt ipsi concurrant quidem actiuè ad talem eligendum, sed tanquam Diuinæ electionis instrumentum. Quod præsumitur ex eo, quia nullo præcedente tractatu in Capitulo, vel extra, omnes, quasi vno ore eundem eligant, faciũt quæ scripsimus in *tract. de Sãct. Canon. p. 4. cap. 7. n. 12.* vbi per nonnulla exempla probauimus, inter miracula reponenda fore, quæ licèt fiant per media naturalia, etiam ad agendum disposita, non tamen ita de proximo; vndè in talibus circumstantiis non essent productura, sine speciali

mo-

motu, & concursu Diuinæ voluntatis, non permissiuè tantùm, sed specialiter disponentis, & mouentis. Quia Deus magis habet in Potestate voluntates hominũ, quã ipsi suas voluntates, *Glos. ordin. in lib. 2. Paralyp. cap. ij.*

13 Cum autẽ de huiusmodi electione, quæ dicitur quasi per inspirationem, præter citata verba *text. in cap. quia propter, d. §. nisi*, non reperiatur aliquid in iure scriptum, standũ vi-
14 detur communi Doctorum Sententiæ, requiri essentialiter ad eam, vt nullo præcedẽte tractatu in Capitulo, vel extra, respectu certæ Personę, omnes unanimiter, quasi vno ore eundem eligant, *d. §. nisi, vbi Abb. & alii, Oldrad. d. 155. Ripa respons. 33. aliàs 52. de elect. Franc. Marc. decis. 1322. p. 1.*
15 vbi, quod vno tantùm contradicente, non valeret, quia non censeretur, Deo inspirante, facta, *Rebuff. ad rubr. de reg. ad Prælat. nomin. in verbo, formam,* subdens, quod talis electio debet esse facta sine vitio conspirationis, coniurationis, requisitionis, seu cõsensus extra Capitulum, alioquin quasi per inspirationem dici non posset; *Ioann. Andr. in d. c. quia propter, n. 39. Bellam. in eod. §. nisi n. 1. & 3. Vitalin. in clem. nè Romani, n. 23. de elect. Rota decis. 312. p. 4. tom. 2. recent.*

16 Ac proindè non esse admittendã, nisi desuper rigoroso fabricato processu, nõ modo super communi omnium electione, quasi uno ore, verũ etiam super negatiua specialis tractatus in Capitulo, vel extra, examinatis singulis Capitularibus super interrogatoriis Promotoris fiscalis, etiam super carentia vitii, ut *in d. §. nisi*, videlicèt Simoniæ, conspirationis, requisitionis, &c. iuxtà doctrinam *Rebuff. loc. cit.* Et Ego adderem etiam, super consanguinitate, affinitate, stricta amicitia, & huiusmodi, ex quibus esset elicienda veritas,
17 seù verisimilitudo, & præsumptio, quia cæteroquin admittendo simpliciter quamlibet assertam electionẽ, quasi per inspirationem, aperiretur via fraudibus, contra vulgata iura, adducta à *Barbos. axiom. 100. n. 2.* Quia nonnulli possent adeò vocem attollere, ut alii nõ audirentur: Et si omnes non vno actu, sed sigillatim unus post alium eundem eligerent, potentiores priùs acclamando, debiliores trahere possent, qui illos non sequi timerent, vel præcessisse tractatum, promissiones, vel minas, & cæteri
18 cõcurrerent in eundem, quem tales eligerent: Et in omnem casum, etiam si non constaret de vitio, cum tot essent nominationes, non una electio, quasi uno ore facta, noua electione in communi foret opus per vnum de Collegio, sui, & totius Capituli nomine, iuxtà dispositionẽ *cap. in Genesi, de elect. & c. sicut, eod. tit. in 6. Franc. Marc. d. dec. 1322. propè fin. p. 1.*

19 Quæ communis electio non requiritur in Papa, ob specialem dispositionem Constitutionum Apostolicarum, quæ registrantur in Cæremon. Gregor.

20 Nullatenus verò admittenda videtur electio quasi per inspirationẽ, quando in instrumento electionis dicitur, fuisse electam huiusmodi viam, cum non stet in facultate hu-
21 mani arbitrii eligere inspirationem actiuam Spiritus Sancti, quia non est, qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius, *Baruch. cap. 3. 31.* Et spiritus ubi vult, spirat, sed nescis, undè veniat, *Ioann. 3. 11.* Quàm inuestigabiles sunt viæ eius, *ad Roman. 11.* Et per consequẽs
22 non videtur attendendus *Abb. in d. c. quia propter §. vel saltem, ante fin. & §. nisi*, ubi docet, quod quando sunt adeò pauci in Capitulo, ut non possint uti via Scrutinii, eligatur via inspirationis, quia loquitur contra sensum Sacræ Scripturæ, & contra supra citatas Authoritates.

23 Sicuti non obstat, quod quisque præsumendus est, rectè fungi officio suo, nisi probetur contrarium, ad tradita per *Gratian. discept. forens.*

Digitized by Google

c. 543. nu. 34. & seq. Quia hoc potest habere locum in his, quæ à nostra facultate dependent, non in his, quę nostram facultatem superant, uti est Inspiratio actiua Spiritus Sancti, quã
24 possumus quidem supplicìter petere, prout in omnibus electionibus fieri debet, non autem vias eius inuestigare, sine manifesta tentatione Dei, quæ consistit in hoc, quod absque
25 necessitate in suis petitionibus, & factis se committat quis auxillo Diuino, quasi velit eius potentiam, & voluntatem experiri, *D. Thomas 2.2.q. 27. art. 1. in corp.* Quam quidem Dei tentationem omninò fugiendam, docet *D. August. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 19. & clariùs contra Faust. Manich. lib. 22. cap. 36.* in exemplum
26 adducens Abraham, qui vitam suam saluare potens, dicendo, quod Sara esset eius Soror, hoc fecit, nè Deum tentaret, Pudicitiam verò Saræ, quia non erat in eius potestate tueri, illam Deo commisit, & D. Paulum, qui nè Deum tentaret, & vitam saluaret, inimicorum manus effugiendo, per murum Ciuitatis Damascenorum in sporta demissus fuit.

27 Non videtur pariter audiendus *Rebuff. loc. supra ci.* ubi pro se adducẽs *Anchar. in eod. c. quia propter*, asserit, quod si unus ex eligentibus proponeret: Quid vobis videtur de tali? & omnes ad unum eum eligerent, habenda esset electio, quasi per inspirationem; tum quia loquitur contra sententiam Doctorum omnium, volentium, ut in huiusmodi electionibus nullus precedat tractatus, tum etiam, quia ex supradictis valdè foret suspecta.

28 Neque ulla vis est facienda in Cæremoniali Gregoriano, ubi disponitur; si aliquis Patrum, clauso Conclaui, nullo, ut præfertur, præcedente tractatu, diceret: *Reuerendissimi Domini, perspecta singulari virtute, & probitate Reuerendissimi D. N. iudicarem, illum eligendum esse in Summum Pontificem, & ex nunc Ego ipsum eligo in Papam.* Deindè hoc audito, si cæteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo, Eligo, ìtelligibili voce prolato, aut si non posset, in scriptis expresso, eundem N. de quo nullus specialis tractatus præcessit, communiter eligerent, Ipse N. esset canonicè electus, & verus Papa, secũdum hanc electionis formam, quæ dicitur per inspirationem, seù, ut in Sacris Canonibus scriptum, quasi per inspirationem. Primò quidem; quia valdè diuersum apparet interrogare, quid vobis videtur de N. iuxtà dogma *Rebuffi*, quod sapit tractatum, ac simpliciter dicere: Perspecta singulari virtute, & probitate N. illum, iudico, eligendum in Pontificem, & ex nunc eligo in Papam, quod nullum sapit tractatum. Præterea Cardinales in Conclaui clauso, & munito, atque ob singulorum Eminentem Dignitatem, ipsis Regibus venerabilem, nulli subiacent periculo secularis impressionis, minarum, &c.

29 Et ut verum fatear: nescio videre, quare in quolibet casu, non sit utendum ordinaria via Scrutinii, ut practicatur in electione Summi Pontificis, in qua licèt inter omnes Cardinales conuentum sit de Persona eligenda, debet nihilominus fieri Scrutinium, & electio per secreta suffragia, ex dispositione supracitati Cæremonialis Gregoriani; præsertim cum electio quasi per inspirationem non cadat sub humana facultate, ut supra visum est; & via compromissi sit subsidiaria, *Abb. in d. cap. quia propter*, §. *vel saltem*, qua
30 non est utendum, quotiescumque sit facilis via ordinaria, ad tradita per *Tiraquell. in l. si unquam, verbo libertis, C. de reuoc. donat.*

31 Illud non omittendum, quod electio quasi per inspirationem cadere non posse videtur in Personam de gremio Capituli, saltem præsentem,

quia

Digitized by Google

Quia sicuti habetur in *d.* §. *nisi*, & omnes tenent, ut supra vidimus, talis electio fieri debet ab omnibus, & singulis Capitularibus, nemine discrepante, itaut si unus aliter sentiat, nõ erit electio quasi per inspirationem: Propterea cum nemo seipsum eligere possit, *cap. cum ea de elect.* Si, e.g. ex duodecim Capitularibus undecim eligerẽt duodecimũ, & hic aliũ, ut tenetur, electio facta non erit ab omnibus, & per consequens non quasi per inspirationem, eritq; deueniendum ad Scrutinium, aliàs cassanda, utpotè contra dispositionem iuris in sepius *cit. c. quia propter. de elec.*

32 Si demum ex processu desuper, ut supra diximus, conficiendo, constaret; electionem verè factam, quasi per inspirationem, esset quidem admittenda, sed non confirmanda,

33 quia quæ Spiritu Dei aguntur, sub lege, & humana dispositione non cadunt, *c. licet, de Regul. c. duæ sunt* 19. *q.* 2. ac proindè à Sacra Congregatione rerum Consistorialium simpliciter rescribendum, *Pro prouisione Ecclesiæ de Persona quasi per inspirationem electa.*

34 Quod tantò magis locum habere deberet in electione per inspirationem, quam, Deo ità disponente, quidquid alii malè senserint, dari posse, non est ambigẽdum, uti enim

35 à Spiritu Sancto directè, & immediatè procedens, confirmatione non indigeret, quia ubi spiritus, ibi libertas, & per iura supra deducta, *Rebuff. l. sup. cit. Franc. Marc. decis.* 1322. *n.* 3. Es-

36 set enim talis electio in tertio miraculorum genere reponenda, ac proindè fabricandus super ea processus, prout fit super aliis miraculis, citato in omnibus Fidei Promotore, seù Promotore Fiscali, con-

37 stitoque de Diuina, seù miraculosa electione non esset opus præconio, vel propositione, sed auditis per Sãctissimum in Consistorio, de more, Consultorum, & Dom. Cardinalium votis, declarandum esset ab eadem Sanctitate Sua, Talem electũ à Deo in Episcopum ac desuper expediendas literas Apostolicas, facto accommodatas.

38 Quomodocumque verò sequatur electio, siuè per viam Scrutinii, siuè per viam compromissi, seù quasi per inspirationem, eius primus effectus est, ut Beneficia quæcumque Electi in Episcopum apud Sedem Apostolicam vacare faciat. *extrau. ad regimen, de præben. & reg.* 26. *Cancell. Apost. Rota apud Brand. ad concor. German. q.* 12. *notab.* 3. *& Cok. ad reg.* 25. Quod valdè urget contra Capitula Germaniæ, quæ ab electo in Episcopum recipiunt Dignitatis, quam priùs habebat, renunciationem, eamque conferunt, & quidem nulliter, cum tales Dignitates, & præbendæ Papæ prouisioni sint reseruatæ *Aegid. decis.* 498. Et intra tempus electionis, & confirmationis, Electus confirmandus Beneficia resignare minimè potest, per iura supra citata.

§. VI.

Summa omnium, generaliter Requisitorum ad Electionem.

Requisita generaliter ad electionem. n. 1. *& seqq. vsque ad* 29.

Electio Matthiæ non est adducenda in exemplum. 30.

Electio in aliquo casu an, præmissa sorte, fieri possit. 31.

LIcèt superius, qua maiori potuimus diligentia, adnotauerimus requisita ad electionem, tàm pro parte eligendi, quàm eligentiũ, & electionem ipsam; nihilominus placet in præsenti §. eadem requisita breuiter, & summatim repetere,

1 Requiritur igitur primò, vt fiat à Capitulo, seù Collegio illius Ecclesiæ, cui prouidendum est, *cap.* 1. *& c. cum terra,* 14. ac de eadem Ecclesia, *cap. Nobis* 19. *de elect.*

Non

2 Non fiat de Schismatico, etiam ad vnitatem Ecclesiæ reuerso, sine dispensatione, *cap. quia, 5. de elect.*

3 Fiat de digno, scientia, moribus, & ætate, & qui sit de legitimo matrimonio natus. *cap. cum in cunctis, 7. cap. qualiter cap. bonæ memoriæ, 19. de elect.*

4 Non fiat post interpositam appellationem, *cap. considerauimus, 10. & c. bonæ memoriæ, 23. de elect.*

5 Secunda non fiat, non cassata prima electione, *d. cap. considerauimus, 10. & d. cap. bonæ memoriæ, 36. de elect.*

6 Non fiat de Persona, cuius electio cassata fuit vitio ipsius Personæ, *cap. super eo, de elect.*

7 Electores conueniant in locum, vbi electio fuerit celebranda, quæ in omnimoda eligẽtium libertate esse debet, *cap. cum terra. 14. de elect.*

8 Inuocetur Spiritus Sancti gratia, *d. cap. cum terra 14. de elect. & cap. cum inter 18. eod. tit.* Ex quo patet insubsistentia assertionis Rebuffi, quod celebratio Missæ de Spiritu Sancto ante electionem, desumpta sit à Concilio Basiliẽse, & pragmatica Sãctione.

9 Non fiat, non expectatis absentibus per decem dies, post verò prædictos decem dies, illis non expectatis, tenet electio *c. cum inter. 18. de elect.*

10 Ad Regimen Regularis Ecclesiæ fiat de Professo, & in ead. Regula instructo *c. cum causam 27. cap. cum ad nostram 37. cap. officii 38. & cap. cum in Magistrum 49. de elect. & cap. cum nullus, 28. eod. tit. in 6.*

11 Re integra, non fiat post datam Compromissariis eligendi facultatẽ, *c. in causis 30. de elect.*

12 Non fiant citationes ante mortẽ Prælati, etiam in extremis agentis, *cap. bonæ memoriæ. 36. de elect.*

13 Non fiant tractatus, corpore Defuncti Sepulturæ nondum tradito, *d. cap. bonæ memoriæ, 36. de elect.*

14 Fiat intra trimestre tempus à die obitus, iuxta dispositionem Concilii Lateranensis, *cap. nè pro defectu 41. de elect.*

15 Fiat, præsentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, *cap. sicut 28. cap. coram 35. & cap. quia propter 52. de elect.* Nisi agatur de Canonico impubere, qui non vocatus, non potest agere de contẽptu, *cap. ex eo, eod. tit. in 6.*

16 Assumantur tres Scrutatores de Collegio, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, *d. cap. quia propter.*

17 Vota redigantur in scriptis, *d. cap. quia propter.*

18 Publicentur statim vota in communi, fiatque votorum collatio, *d. c. quia propter, & cap. Cumana. 50. de elect.*

19 Eligatur is, in quem omnes, vel maior pars conuenerint, *c. cum inter, 21. cap. coram, 35. d. cap. quia propter, & c. Ecclesia uestra, 57. de elect.* vbi, quod numerus, vbi est, ibi & melior zelus præsumitur.

20 Communis electio fiat statim, & incontinenti post collationem votorum, nullo actu intermedio, *c. cum post, 46. cap. Ecclesia uestra. 48. & cap. in Genesi, 55. de elect.* Quod locum habet etiam in Compromissariis, *cap. sicut, 21. de elect. in 6.*

21 Electio celebrata statim publicetur Populo, *d. cap. quia propter, §. fin.*

22 Quatenus requiratur aliorum consensus, exquiri debet in ipso tractatu, & congruo tempore responsũ expectare, *cap. cum in uetere. 52. de elect.*

23 Non dentur vota conditionalia, alternatiua, vel incerta, quia pro non datis habentur, *cap. in electionibus 2. de elect. in 6.*

24 Electus intra Mensem electioni de se factæ consentiat, *cap. quam sit 6. de elect. in 6.* Et intra Mensem à Sede Apostolica confirmationem petat, *cap. cupientes 16. tit. de elect. in 6.*

25 Non fiat de Religioso ad Prælaturam alterius Religionis, & habitus, *Clem. 1. de elect.*

26 Religiosus non consentiat electioni de se factæ extra suum Monasterium, absque licentia sui Superioris *cap. si Religiosus, 30. de elect. in 6. extrau. Si Religiosus, inter comm. de elect.*

27. In

Digitized by Google

27 In Monasteriis Monialium non eligat, quæ non compleuit duodecimum annum expressæ, vel tacitæ professionis; neq; eligatur in Abbatissam, vel Priorissam, quæ trigesimum annum non compleuit, *cap. indemnitatibus* 43. *in* 6. fiatq; electio per duas votorum partes. *ibid.*

28 Procurator ad eligendum constitutus, unum suo, & alium constituentis nomine non eligat. *cap. si quis iusto* 46. §. 1. *de elect. in* 6.

29 Non fiat electio per sortem *cap. fin. de sortileg. iunct. gloss. ubi*, quod licèt Matthias sorte electus fuerit, non tamen eius exemplo eligendus
30 est aliquis per sortem, ut 26. *q.* 2. *non statim, & cap. non exemplo* 24. *q.* 5. quia illud factum fuit inspiratione Diuina, ex familiari consilio Spiritus Sancti, ut inquit *Lyran. super act. Apost. eod. loc.*

31 Posset nihilominus fortasse contingere, quod pro electione ad Ecclesiasticam Dignitatem sorte utẽdum esset sine læsione, *d. c. fin. de sortil.* Si videlicet duo essent in virtutibus, diuitiis, & aliis qualitatibus, ac requisitis omninò æquales, ità ut Electores quò se verterent, nescirent, non videretur contra iuris dispositionem, si præmissa sorte, illum deinde per verum Scrutiniũ eligerent, super quem sors cecidisset; neq; enim dici posset electio per sortem, quia sors ad nihil aliud inseruisset, quàm ad tollendam differentiam ab animis eligentium, ipseq; electus nullum ius reportaret à sorte, sed à Scrutinio: Quod dictum sit pro discursu tantùm, & de problemate merè speculatiuo.

SECTIO VIGESIMA.

De Electionis Confirmatione.

SVMMARIVM.

Per consensum eligentiũ, & electi initiatur vinculum spiritualis matrimonii. n. 1.
Per confirmationem electionis fit ratum vinculum spiritualis matrimonii. 2
Per consecrationem coniugium spirituale consummatur. 3.
Eligentes debent consensum electi petere. 4.
Electus intra Mensem debet electioni consentire. 5.
Electus si sit subditus, licentiam Superioris petere debet, ibid.
Electores deficiente consensu electi, ad aliã electionem procedere possunt. 6.
Electus intra tres Menses confirmationem petere debet. 7.
Impedimento durante, non currit tempus. 8.
Confirmationis definitio generalis. 9.
Confirmatio in forma communi quæ dicatur. 10.
Confirmatio ex certa scientia quæ dicatur. 11.
Confirmatio dicitur ex certa scientia quando inseritur tenor scripturæ de verbo ad verbum. 12.
Confirmatio non extenditur ad id, quod non includitur. 13.
Clausula, ex certa scientia, facit, vt confirmatio extendatur. ibid.
Confirmatio in forma communi nullum ius tribuit. 14.
Confirmationis electionis descriptio. 15.
Ante confirmationem non dicitur quis adeptus Beneficium, sed certat de Beneficio obtinendo. 16.
Electus quæ non possit ante confirmationem. 17.
Electus in remotis existens, quæ possit ante confirmationem. 18.
Electio canonica confirmari debet. 19.
Confirmatio obtineri potest sine mandato. 20.
Confirmatio facienda est cum causæ cognitione. 21.
Confirmatio facta ser. ser. habet vim definitiuæ. 22.
Electio potest esse ipso iure nulla, vel cassanda. 23.
Electio quando sit ipso iure nulla. 24.
Forma in totum adimpleri debet. 25.
Electio quando cassanda. 26.
Impedimentum iustam quando dicatur. 27
Matrimonium secundum contrahi non potest, nisi primo dissoluto. 28.

Eligentes scienter indignum non possunt secundò in eadem eligere.29.
Electionis in cassatione inseréda causa.30.
Requisita nonnulla ad electionem de honestate tantùm.31.
Locus omnis, in quo congregatur Capitulũ, dicitur Capitularis.32.
Prælati tenentur in confirmationibus obseruare omnia requisita.33.
Confirmans indignum quam pœnam incurrat.34.
Confirmationem indigni committens quam pœnam incurrat.35.
Confirmationes Prælatis quæ cõpetere possint.36.
Patriarchæ, & Metropolitani aliàs confirmabant.37.
Præconium factum in Consistorio Papæ, habet vim electionis, & Propositio in eodem Consistorio habet vim confirmationis.38.
Episcopus post confirmationem quæ poterat aliàs.39.
Episcopus confirmatus, ut ea, quæ sunt iurisdictionis exercere possit, expedire debet literas Apostolicas.40.
Cardinales S.R.E. quando se possint immiscere ante captam possessionem. 41.
Confirmatio utrum suppleat electionis defectus.42.
Confirmatio electionis tribuit ius in possessorio, qui dicitur titulus coloratus. 43.
Electionis confirmatio quandoque fit cum clausula, supplentes omnes iuris, & facti defectus.44.
Cassata electionis confirmatione ob defectum ipsius confirmationis, electio remanet in pristino statu.45.

1 Quod ad electionis confirmationem attinet, sicuti per cõsensum eligentium, & electi initiatur vinculum spiritualis matrimonii inter Ecclesiam, quam representant eligentes, & electum;
2 sic per subsequentem confirmationem illud efficitur ratum, à quo electus sine dispensatione amplius resilire non potest, & per consecrationem huiusmodi coniugium
3 consũmatur, potestq; exindè Episcopus Filios spirituales gignere. *Abb. in c. inter Canonicos n.4. de elect.*
4 Propterea debent eligentes, quantò citiùs commodè possunt, electionem de ipso factam electo præsentare, eiusque consensum petere; ipse verò electus consensum
5 suum intra Mensem à dicta præsẽtatione præstare tenetur, nisi fortè subditus esset, nec consentire posset sine Superioris licentia, quã petere debet: Et si infra tempus, pro
6 absentia Superioris ponderãdum non petierit, Electores ad alterius electionem procedere possunt, *tex. in cap. quàm sit, & ibi omnes Scribentes, de elect. in 6. Rota decis. 7. de elect. in nou. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 15. n. 50.* Et post præstitum consensum, intra tres Menses confirma-
7 tionẽ petere tenetur, aliàs priuatur pariter, ipso facto, iure per electionem quæsito, *d. cap. quàm sit, &*
8 *c. cupientes, de elect. in 6.* Nisi tamen impeditus fuerit, quia tunc, durante impedimento, non currit tẽpus, *gloss. in d. cap. quàm sit, uerbo, distulerit, Tiraquell. de retractu lignag. gloss. 4. num. 15. Barbos. in eod. cap. quàm sit, num. 8.*
9 Porrò confirmatio, quæ generaliter loquendo, dicitur iuris priùs habiti corroboratio, *cap. inter dilectos, de fid. instrum.* duobus modis contingere potest, aut in forma communi, aut ex certa scientia.
10 In forma communi confirmare dicitur Princeps, quando simpliciter absq; aliqua causæ cognitione confirmat, hęcque cõfirmatio nullum ius tribuit, *cap. quia diuersitatem, & ibi gloss. in forma de conces. præben.*
11 Ex certa scientia dicitur confirmatio, quando fit cum causæ cognitione, hæcq; ius tribuit, *Bal. post. Cyn. in l. ex uerbis, ad fin. quam alii sequuntur, C. de donat. int. uir. & Vxor. latè Decis. in rubr. de confirm. util. uel inutil. q. 3. Alex. con. 123. col. 7. ad fin. &*
12 *seq. lib. 4.* Dicitur etiam confirma-

Digitized by Google

tio ex certa scientia, quando tenor Priuilegii, seù alterius scripturæ de verbo ad verbum inseritur in cõfirmatione, quæ communiter dici solet confirmatio in forma specifica, *Specul. in tit. de instrum. edit. §. núc autem, uers. item opponitur. Aretin. cons. 15. col. 2, uers. præterea certa scientia.*

13 Quæ tamen confirmatio isto casu quamuis det robur, non tamen extenditur ad id, quod in eo non includebatur. *Bal. in l. 3. in fine, C. si aduers. remiudic. Corn. cons. 9. col. ult. lib. 3.* Nisi etiam addita esset clausula, *ex certa scientia*, quo casu confirmatio non solùm dat robur actui, sed etiam illum extendit, *Bal. in c. penult. col. ult. uers. quæro Ego de constit. Iason. in l. more, col. 7. uers. limita singulariter. ff. de iur. omn. iudic. Alex. cons. 127. col. pen. uers. nec prædictis, lib. 4.*

14 Confirmatio verò in forma communi sicuti nullum ius tribuit, vt diximus supra, ità ius alterius non tollit, *cap. fin. de confirm. util. uel inutil.*

15 Specialiter verò quatenus ad electionem pertinet, definitur, seu describitur Confirmatio, quod sit, quasi iuris acquisiti ex electione corroboratiua declaratio, *Clem. Romani §. nos eadem, de iureiur.* Etenim ante confirmationem non dicitur quis adeptus Beneficium, sed agit, & certat de Beneficio obtinẽdo; post confirmationem verò, dicitur Beneficium obtinuisse, *cap. super his, de accusat.*

16

17 Est autem indubitati iuris, ante confirmationem non posse electũ recipere, seu gerere administrationem Dignitatis, ad quam fuit electus, neque sub œconomatus, vel procuratorio nomine, aut alio quæsito titulo, vel colore, in spiritualibus, vel tẽporalibus per se, vel per alium, in totũ, vel pro parte se immiscere, sub pœna priuationis eo ipso cuiuscumq; iuris, sibi per electionẽ quæsiti *uulg. c. auaritiæ, & ibi Scriben. cum Barbos. de elect. in 6. cap. iam dudum, & ibi gloss. aliud, de præben.* vbi

18 quod talis electio cassari debet; nisi electus, cuius confirmatio spectat ad Papam, esset valdè remotus extra Italiam, & in concordia fuisset electus, quia tunc, ex eo casu Papa concedit, vt propter necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ, eiusdem bona ante confirmationem administret, *text. in cap. nihil de elect.* ubi Abbas quæstionem mouet, an eodem Priuilegio gaudeant Itali, quatenus Papa, & Romana Curia, extaret extra Montes? In qua quidem quæstione non videtur immorandum, velut de subiecto non supponente, sublatis per Papam electionibus, & reseruata sibi, ac Sedi Apostolicæ prouisione omnium Ecclesiarum Italiæ, *Barbos. in d. cap. nihil, ubi n. 6.* notat, quod gesta per electum, qui, permittente Papa, fuit in quieta administratione, & quasi possessione Prælaturæ, sunt valida, etiamsi tempore confirmationis minus idoneus repertus fuerit.

19 Electio verò, quatenus canonicè facta, confirmari debet, *cap. postquam 3. de elect.* quæ confirmatio intra tres Menses, vt supra diximus, est petẽda; & licèt ad illam obtinendam

20 videatur requiri mandatum procuræ, si tamen amicus electi, eius nomine, etiam sine mandato illam petat, sufficit, *cap. nihil 44. de elect.* dummodò ipse electus intra tres Menses ratum habeat, *Barbos. cum ibi adductis l. cit. n. 11.*

21 Confirmatio autem facienda, est cum causæ cognitione, & quidẽ etiam nemine opponente, *cap. cum nobis 19. de elect.* inquirendo priùs super vita, & moribus electi, vbi cõuersatus fuerit &c. *d. cap. quamquam 3. de elect.* vbi quod electionis confirmatio facta, vocatis his, qui vocandi erant, causaque cognita, ha-

22 bet vim diffinitiuę, & reuocari nõ potest: Quod inconcussè obseruatur super electionibus, quarum cõfirmatio ad Summum Pontificem

spectat, omnia enim, & singula examinantur diligenter in Sacra Cõgregatione rerum Consistorialiũ, ijsque discussis, rescribitur, vel cõfirmandam, vel cassandam, aut non substineri electionem, prout Iustitia dictauerit, pro quo.

23 Notandum est, posse dari electiones ipso iure nullas, de quibus rescribere sufficit; *Electionem non substineri*; & electiones non ipso iure nullas, sed per rescriptum, vel sententiam cassandas, annullandas, & irritandas: Primo casu electio-

24 nes sunt ipso iure nullæ, quando assumpti non fuerunt tres Scrutatores de Collegio, aut vota omniũ Capitularium sigillatim, & secretò non requisita, aut in scriptis non redacta, vel in communi non publicata, aut non fuit electus ille, in quem maior pars Capituli consẽsit, vtpotè in omnibus prædictis casibus contra formam, & dispositionem *cap. quia propter, de elect.* vbi dicitur expressè, quod aliter facta e-

25 lectio non valeat; nihil enim tàm generale, quàm in totum formam adimpleri debere, itaut si in aliqua etiam minima parte deficiat, actus corruat, *l. cum hi §. si prætor. ff. de trãsact. l. qui Romæ §. Flauius ff. de uerb. obliga. Rota decis. 312. tom. 2. & decis. 574. tom. 3. p. 4. recent. Gratian. discept. for. tom. 5. cap. 853. n. 28. & alii, quos more suo colligit Barbos. in tract. uar. axiom. 100. n. 14. & 15.*

26 Secundo verò casu electio cassãda, annullanda, & irritanda est; primò si aliquis, vel aliqui contempti fuerint *cap. quod sicut, & cap. uenerabilem, de elect. Abb. in d. cap. quia propter*, vbi quod huiusmodi contemptus non est contra substantiam electionis; sed contra Iustitiam: Secũdò si electio confirmata fuit sine causæ cognitione, *cap. nihil de elect. & cap. fin. eod. tit. in 6.* Tertiò si eligatur in Abbatem non Professus in Religione *cap. cum in Magistrum. cap. officii, & cap. cum causam, de elect. & c. nullus eod. ttit. in 6.* Aut si factus si Monachus ea causa, vt in Abbatem eligeretur *cap. cum ad nostram de elect.* de quo latiùs dicemus inferiùs. Quartò si Electus ante confirmationẽ administret, *c. qualiter, & c. bone de elect. & c. auaritiæ, eod. tit. in 6.* Quintò si fiat post tres Mẽses à vacatione, *c. ne pro defectu, de elect.* nisi tamen iustum interceſſerit impedimentum. *Goffred. in Summ. libell. iur. can. rubr. de caus. propt. qua. can. elect.*

27 Dicitur autem iustum impedimẽtum ex eo, quia currit tempus, si Electores sint in mora illud tollẽdi, *c. ult. & ibi DD. de elect.* Sextò, si Electus intra tres Menses cõfirmationem non petierit, *c. cupientes de elect. in 6.* Septimò si fiat ab excommunicatis, suspensis, vel interdictis aut de excommunicato, suspenso vel interdicto, *c. venerabilem, c. cum inter R. de elect. cap. cum dilectus, & ibi glos. & DD. de consuet. cap. constitutus, iunc. glos. de appell. & c. 1. de postu. Prælat. Abb. in c. illa quotidiana num. 7. de elect.* Octauò, si fiat post appellationem legitimè interpositam, *c. consideramus, c. cum Nobis, & ibi Abb. in princ. & per tot. & cap. auditis de elect.* Nonò, si fiat simoniacè, etiã ignorante electo, *c. si alicuius, & ibi Abb. de elect.* Nisi tamen hoc in frandem electi factum fuerit, *c. cum nobis, de simon.* Decimò, si fiat secunda electio, non cassa prima, *d. cap. consideramus, Abb. in c. cum terra n. 5. de elect.*

28 Per primam enim electionem cõtractum fuit matrimonium inter Electum, & Ecclesiam, *cap. inter Canonicos de elect.* ideoq; non potest aliud contrahi, nisi primo dissoluto, vel nisi secunda electio de eodẽ primo electo facta fuerit, *Rip. libro secundo respons. c. 15.* Vel nisi prima fuerit ipso iure, & notoriè nulla, *c. cum terra, & Abb. in c. auditis de elect.* Vndecimò, si eligatur inhabilis, vel indignus, *c. cum in cũctis. §. fin. c. scriptum, & c. cum Vintonen, de elect.*

29 vbi quod eligentes scienter indignum.

Digitized by Google

gnum, priuati remanent facultate eligendi in prima electione, quæ occurrit, & per consequens si eligant in dicta prima electione, hæc pariter cassanda erit, utpotè facta à non habentibus vocem in Capitulo, *Rebuff. loco sup. cit.* ubi postquã notauit, quod quando electio annullatur vitio personæ, tunc electus promouerì non potest, secus
30 si vitio electionis, *c. super eo de elect.* subdit, cautelam esse, quod in cassatione electionis inseratur causa, sicuti quando quis remittitur ab exercitu, in *l. 2. ff. de his, qui not. infam.* & quando Tutor remouetur à tutela, *l. preces, ff. de pœn.* alioquin ipsius electionis vitio censebitur electio reprobata *Ioann. Andr. & alii in d. c. super eo*. Duodecimò, quando habitus fuit tractatus cum eo, qui eligendus erat, aut cum amicis suis, *c. per inquisitionem, de elect.* quia tunc videtur præsumptio simoniæ, *Rebuff. loco cit.* aut quis assensum præstitit electioni suę, antequam eligeretur, *c. post petitam, de elect.* Decimotertiò, si facta non fuerit communis electio per unum de Capitulo, sui, & totius Capituli nomine, per verba singularis numeri, *c. sicut, & c. cum ab uno, de re iudic. in 6. Abb. in d. c. quia propter n. 16. & in c. Genesi, in princ. de elect. Franc. Marc. dec. 926.* ubi, quod singulares electiones Capitularium vim tantùm habent nominationis, seù nominationum, communis autem electio, quæ fit totius Capituli nomine, sit vera, & propriè electio. Decimoquartò, si facta sit quomodolibet, propter metum, etiam per viam transuersalem eligentium consanguineis impressum, *cap. sciant cuncti, & ibi Barbos. de elect. in. 6.* Decimoquintò, si electio sit facta per sortes *cap. fin. de sortil.* Et decimosextò, si electus non consenserit, vel post cõsensum renunciauerit, aut mortuus fuerit, quo casu, cassata prima electione, habent eligentes integrum tempus ad iterum eligendũ, *c. si electio, & ibi Barbos. de elect. in 6.*

31 Alia verò requisita, quod nempè non fiat electio, antequam corpus Episcopi sit traditum Sepulturæ, quod electio fiat in Ecclesia, de cuius Prælato facienda est, non videntur sufficientia pro cassatione electionis, cum honestatem solũ respiciant, *Abb. in d. cap. quia propter sub n. 16. & in cap. quod sicut, n. 2. gloss. in c. cum terra de elect. Rota decis. 20. p. 6. recent.* vbi quod omnis locus, in
32 quo congregatur Capitulum, dicitur Capitularis, dummodò sit honestus: Ac proindè super huiusmodi, & aliis leuibus defectibus rescribi solet, confirmandam electionem cum clausula, supplentes omnes iuris, & facti defectus.

33 Quæ hucusque dicta sunt, obseruanda videntur etiam à Prælatis, quorum est electiones confirmare, & quidem ab Episcopis, ad quos spectat confirmare Abbates Monasteriorum in eorum locis existentium, *cap. sicut, de Simon.* Qui pariter tenentur examinare processus, seù actus electionum, vitam, mores, cæteraque electorum qualitates: Si quis enim indignum per
34 negligentiam confirmauerit, carere debet potestate primam electionem confirmandi, ac suspendi à perceptione proprii Beneficii, donec indulgentiam obtinere mereatur: Quod si per malitiam indignũ confirmare ausus fuerit, grauiùs est puniendus. *tex. ad lit. in d. cap. nihil, ubi gloss. & alii cum Barbos. de elect. in 6.*
35 *Franc. Marc. decis. 48. n. 1. p. 2.* Quandò verò confirmationem indigni quis alteri commiserit, si id malitiosè non fecerit, sed bona fide, pœnam non incurrit, *cap. cum secundum, de prębend.* Secus si malitiosè, quia tũc puniẽdus erit, *Franc. Marc. d. decis. 48. n. 3. ubi ex Abb.* Quod Prælatus de culpa tenetur, & negligentia sui Commissarii, ex communi regula, quod Dominus illorum, quorum

vti-

vtitur opera, facto tenetur, *l.1. ff. de publician.*

36 Confirmationes autem electionum à Prælatis hodiè locum tantùm habere possunt in electionibus Abbatum Monasteriorum, quę Sedi Apostolicæ non sunt immediatè subiecta, Dignitatumque inferiorum. Quia licèt de iure communi non solùm Papa, verùm etiã

37 Patriarchę, & Metropolitani Episcoporum electiones confirmare poterant: Hodiè tamen ob reseruationem prouisionum omnium Cathedralium Ecclesiarum Apostolicæ Sedi *in regul.3. Cancell. Apo-*

38 *stolic.* huiusmodi cõfirmatio recessit ab aula, quia præconiũ factũ in Consistorio Papæ habet vim electionis, & propositio in eodẽ Consistorio habet vim confirmationis: In Germania verò, vbi Summus Pontifiex in Bulla Concordatorũ indulsit, fieri Electiones, confirmationem omnium Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, quæ Sedi Apostolicæ sunt immediatè subiecta sibi in iisdem concordatis reseruauit.

39 Licèt autẽ aliàs Episcopus post confirmationem gauderet iis, quę sunt iurisdictionis, veluti excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, Synodũ conuocare, Beneficia conferre, Ecclesias minores vnire, maiores diuidere, quorundam peccatorum absolutionem sibi reseruare, *cap. ex transmissa, cap. nostri, & cap. qualiter, de elect. cap. inter corporalia, de transl. Epis.* Et Metropolitanus, nondum recepto Pallio, Suffraganeũ suum conse-

40 crari facere, *c. suffraganeis 11. de elect.* Hodiè tamen, vt Episcopus ea, quæ sunt iurisdictionis exercere valeat, opus est, vt Apostolicas literas obtineat, sine quibus nec admitti, vel recipi tanquam Episcopus, neque possessionem Ecclesię sibi collatę consequi potest, *extrau. iniunctæ, de elect. inter comm. Flamin. de resignat. lib. 8. q. 5. n. 33.* Quod in S. R. E. Cardi-

41 nalibus, ob eorum Eminentiam, ac suprema Priuilegia locum non habet, quia non obstante *d. extrau.* dispositione, Beneficia conferre, & iurisdictionem ante captã possessionem, & literarum ostensionem exercere valent. *Belencin. de charit. subsid. q. 66. n. 26. Rota in Burgen. Canonicatus, 3. Iunii. 1583. coram Lácelotto, teste Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 24. n. 7.*

42 Vtrum confirmatio suppleat electionis defectus, disputat *Franc. Marc. decis. 50. p. 2.* Et pro negatiua adducit *gloss. in c. 1. de postul. Prælat. & c. si cui, & c. quàm sit, de elect. in 6.* Pro affirmatiua verò adducit *gloss. in c. cũ super de cau. poss. & proprie.* Quia cõfir-

43 matio tribuit titulum in possessorio, qui dicitur titulus coloratus, dummodò electio ab habentibus facultatem, & confirmatio pariter ab habente potestatem facta fuerit, *Host. in summ. tit. de concess. præben.* Secus verò, quando constaret de inualiditate electionis, tàm ex defectu ipsius electionis, quàm Personę electæ, *cap. illa, ne Sed. vacante.*

44 Verùm Sacra Congregatio, quãdo Persona electa est idonea, & defectus electionis non inficit substãtiam eiusdem electionis, vel iustitiam, rescribere solet, Pro confirmatione, cum clausula *Supplentes, &c.* ut diximus supra: Quod fortasse posset etiam ab aliis Confirmatoribus obseruari, non quidem super iuris, sed super leuioribus facti defectibus, iuxtà notata per *glos. in cap. 1. de elect. in 6.*

45 Illud demum notandum, quod cassata electionis confirmatione ob ipsius cõfirmationis defectum, in pristino statu remanet electio, *c. ad probandum, de re iud. c. si confirmationem, & ibi glos. fin. 38. de elect.*

CO-

Digitized by Google

COROLLARIVM TERTIVM.

Prouiſio ex integro, an ſemper, vel nũquam faciẽda ſit de eadem Perſona nulliter electa, num. 1, & per tot.

1 EVenit interdum, ut nulla declarata, ſcù caſſata electione, diſcurratur, an ſit prouidendum ex integro per Papam eidem Eccleſiæ de eadem Perſona, nulliter electa? Pro quo repetita diſpoſitione *text. in c. ſuper eo, de elect.* ubi decernitur, quod caſſata electione ob vitium, vel defectum Perſonæ electæ, talis Perſona non poſſit amplius ad aliã Eccleſiam eligi, & per conſequens neque iterum ad primam: Si verò caſſata fuit electio ob non ſeruatã Canonicam formam, eadẽ Perſona, nulliter electa, non ſolùm ad aliam, verùm etiam ad eandem primam Eccleſiam iterũ eligi poſſit: Propterea ſicuti in primo caſu nulliter ob ſui vitium, aut defectum electus, non poteſt ad aliam Eccleſiam, neque ad primam iterũ eligi; ſic per conſequens non congruit, per Papam eidem Eccleſiæ de illo prouideri. Secundo verò caſu, ſicuti nulliter electus ob defectum electionis; iterum ad eandem, vel aliam Eccleſiam eligi poteſt, ita etiam per Papam de eodẽ nulliter electo prouideri poterit; ſuper quo nulla cadit difficultas.

Sed difficultas eſt, Vtrum caſſata electione, congruat, per Papam eidem Eccleſiæ prouideri de Perſona nulliter electa ob defectum ipſius electionis, ut aliquando obſeruatum vidi: Super quo, ut verum fatear, libentiùs aliorum ſententiam auditem, quàm, ut meam proferam, cùm certam regulam dari poſſe, non videatur. Si enim à Summo Pontifice prouideretur ſemper de eadem Perſona, vitio electionis nulliter electa, non oporteret electiones examinare, quia ſiuè eſſent legitimæ, & canonicæ, ſiuè nullæ, & irritæ, ſemper electores eorum finem obtinerent, etiam ſi fortè Perſonam nulliter electam præfici non expediret: Si verò nunquam prouideretur Eccleſiæ de Perſona ab ipſo Capitulo nulliter electa, poſſet dari caſus, quod ob nullitatem electionis, ab aliquo maleuolo cauſatam priuaretur Eccleſia Perſona vtili, ac neceſſaria.

Ac proindè videtur, hoc totaliter remittendum ſummę prudentiæ, ac vigilantiæ Eminentiſſimorum Cardinalium Sacræ Congregationis rerum Conſiſtorialiũ, qui electionis forma diligẽter conſiderata, an eidem aliqua fraus ſubeſſe poſſit; ac conſideratis pariter qualitatibus, idoneitate Perſonæ electę, ſiuè etiam utilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ, iudicent, quid magis expediat.

Si enim proceſſum fuerit per viã Scrutinii, & appareat, quod ad unguem ſeruata fuerit forma tradita in *c. quia propter de elect.* electis tribus Scrutatoribus de gremio Capituli, qui omnium vota ſigillatim, & ſecretè exquiſierint, in ſcriptis redegerint, & facta collatione numeri ad numerum, per unum, ſui, & totius Capituli nomine, electus fuerit ille, in quem maior pars Capituli conſenſit, fuerit tamen aliquis contemptus, ob quem contemptum caſſata fuit electio, non videtur ambigendum, quin per Papam prouideri poſſit ex integro de eadẽ Perſona ſic nulliter electa. Idem dicendum, ſi cætera omnia rectè proceſſerint, ſed facta non fuerit communis electio per vnũ, ſui, & tõtius Capituli nomine: Si verò Scrutinium claudicaret, & ex actis deprehendi poſſet aliqua ſuſpicio fraudis, nõ videretur prouidẽdum Eccleſiæ de ſic nulliter electo, niſi conſtaret de vtilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ, nullitatemque irrepſiſ-

Digitized by Google

irrepsisse ad excludendum electum, aliàs idoneum. Idem dicendum suo modo est, si processum fuerit per viam Compromissi, constaretque de legitimo compromisso, sed aliquam nullitatem fraude intercessisse. Quod si processum fuerit per viam, quæ dicitur quasi per inspirationem, nunquam crederem prouidendum de Persona sic nulliter electa, saltem ad extirpandum, & eradicandum huiusmodi peruersum dogma, quod via, quasi per inspirationem, sit ab hominibus eligibilis.

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

De Postulatione, eiusq; Admissione.

SVMMARIVM.

Postulationis definitio. num.1.
Postulationis via est extraordinaria, 2.
Capitulares prouidere debent Ecclesiæ meliori modo, quo possunt.3.
Ecclesiæ melius prouidetur per electionem, quàm per postulationem.4.
Eligentes consentiunt in electum, vt in sponsum. ibid.
Postulantes non consentiunt in postulatum, vt in sponsum.5.
Electio innititur iustitiæ.6.
Postulatio innititur gratiæ. ibid.
Postulatio à Superiore recipi potest. 7.
Postulatio quando reiici non possit.8. & 9.
Gratia videtur debita, quando subest iusta causa illam faciendi.9
Superior ex iusta causa compellere potest ad gratiam faciendam.10. & seqq.
Superior quis dicatur.11.
Causa compellendi, postulationem admittere.12.
Superior de suo gratiâ facere nõ tenetur.13
Postulatus ex admissione postulationis consequitur ius.14.
Postulatores, admissa postulatione, resilire nequeunt.15.
Postulatione superiori præsentata, postulatores resilire nequeunt.16.
Postulatione non præsentata, postulatores variare possunt. 17.
Differentia inter electionem, & postulationem.18. & 20.
Postulatione non præsentata, nullum acquiritur ius postulato, nec Superiori. 19.
Postulatus ante admissionem consentire nequit.21.
Personæ ineligibiles quæ postulari possunt? 22.
Episcopus quarè non possit eligi, sed postulandus sit.23.
Episcopus, qui renunciauit Episcopatui, potest eligi.24.
Electus in Episcopũ, an postulari possit.25.
Cardinalis, an possit eligi in Episcopum, vel postulandus.26.
Postulatio an possit concurrere cũ electione.27.
Capitularis facultas quando resideat penes minorem partem.28.
Vocatus ad Vniuersitatem, tacere non potest, sed affirmatiuè, vel negatiuè consulere.29.
Postolatio an sit facienda iuxtà dispositionem, cap. quia propter de elect. 30.
In cap. quia propter antiqua iura confirmata, & nonnulla innouata.30.
In postulatione antiqua iura sunt seruanda, non autem nouiter statuta in cap. quia propter.31.
Postulatio facienda est per vota secreta.32
Postulatio, & electio simul concurrere possunt.33.
Postulatio fieri non potest quasi per inspirationem.34.
Forma instrumenti postulationis.35.

1 POst electionem, altera via prouidendi viduatis Ecclesiis à iure approbata, est per Postulationem, quæ definitur, seù describitur, quædam gratiæ petitio, à Superiore facta, de promouendo aliquem, ad prælationem, ad quam de iure communi propter defectum, vel
2 impedimentum eligi, seù promoueri non potest. *Abb. in rubr. tit. de postul. prælat.* ubi eam vocat viam extraordinariam, quod patet ex eo

quia

Digitized by Google

quia eligibilis postulari nō potest,
3 cum Capitulares prouidere debeāt Ecclesię meliori modo, quo possūt *Abb. in c. 1. & vlt. n. 10. de postul. Prælat.*
4 Meliori autem modo prouidetur Ecclesiæ per electionem, quàm per postulationem, quia qui eligunt, consentiunt in electum, vt in sponsum, itaut per electionem initietur vinculum spiritualis matrimonii, *c. cum inter Canonicos, de elect. & c. fin. de tractat Episc.* Qui autem postulāt, non consentiunt in postulatum, vt in sponsum, neq; initiatur aliquod spirituale coniugium, sed vota sua dirigunt in Superiorem, vt de gratia postulatum admittere debeāt, *Glos. & DD. in c. vnico de postul. Prælat. in 6.* Ex quo patet, quod electiō initiatur iustitiæ, postulatio autem gratiæ, *c. postulationem, de postul. Prælat.* Quæ proindè à Superiore semper reiici potest, cum per illam nullum ius acquiratur postulato, vel alteri, *text. in eod. c. postulationem*;
8 cum causa tamen, quia ceteroquin si facta fuit propter necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, & concorditer, vel saltem à duabus Collegii partibus, absque iniuria postulantium. & Ecclesiæ reiici non potest, *Ioann. Andr. post Host. in c. cum Monasterium, de elect. gloss. in c. cupientes, §. denique, verbo, gratia, eod. tit. in 6. Abb. in d. c. postulationem n. 2. & c. bonę memorię, il 1. de postul. num. 3.* ubi
9 quod postulantibus, & postulato fit iniuria, si sine causa postulatio nō admittatur, quia gratia videtur debita, quādo iusta causa subest illam faciendi, *argum. gloss. in c. requisitis, §. n si rigor 1. q. 7. & gloss. 2. in cap. quanto, de iureiur.* Ex quibus colli-
10 gitur, quod ubi iusta causa subest, Superior ad dispensandum, & gratiam faciendum, ab alio Superiore compelli potest.

Quis autem tali casu dicatur Superior, duæ ponuntur regulæ: Prima scilicèt, quod qui super impe-
11 dimento dispensare non valet, neque postulationem admittere potest, licèt ipse postulantium sit Superior immediatus, sed sēper alius adeundus est Superior, qui super illo impedimento dispensare possit: *gloss. in clem. 1. de elect.* Secunda regu-
12 la est, quod Superior illius, qui postulationem admittere valet, ad eam admittendam illum compellere possit, quando iusta causa subest illam admittendi, scilicèt utilitas, aut necessitas Ecclesiæ, e. g. quia postulatus est potens defendere Ecclesiam, eiusque iura; aut excellentis doctrinæ, & morigeratus, sed non de legitimo natus matrimonio, nec reperitur alius, per quē ità benè consulatur Ecclesiæ. Quod si causa concernat postulati Personam tantùm, puta quia tā doctus, & morigeratus esset, vt dispensa-
13 tionem mereretur, tali casu Superior non compellitur, quia de suo gratiam facere non tenetur. *Abbas in c. 1. num. 34. de postul. Prælat.*

14 Admissa postulatione, duo consequuntur effectus. Primus est, quia postulatus consequitur ius, ac si fuisset electus, & confirmatus: Et
15 secundus, quia postulatores à postulatione recedere nequeunt, vel variare, & quidem non solùm post admissionem, sed postquam fuit
16 Superiori, præsertim Papæ præsētata, quia eius iudicium super admissione, vel relectione postulationis expectare debent, *c. bonę memorię il 2. de postul. Prælat.* Quod locum habet in quocumque Superiore, qui illam admittere, vel relicere
17 potest, *Abb. in d. c. bonę memoriæ n. 10* Ex quo infertur à contrario sensu, quod antequam postulatio Superiori sit præsentata, postulantes, etiam inuito præsentato, variare possunt, *Innoc. & Abb. ibid.*

18 Colligitur itē differentia quoad facultatem variandi inter electionem, & postulationem, quia in electione non admittitur variatio post publicationem Scrutinii, *c. pu-*

Digitized by Google

blicato de elect. At in postulatione admittitur, quantumcumq; sit publicatum Scrutinium, & postulatio indè secuta, dummodò Superiori præsentata non fuerit, *d. c. bonæ memoriæ.* Et ratio diuersitatis est,
19 quia per postulationem nullum postulato, cum sit inhabilis ad Prælaturam, acquiritur ius, undè de quo conqueratur non habet; neq; Supetior conqueri potest, ex quo non sit sibi facta postulationis præsentatio. *Abb. in d. c. bonæ memoriæ nu.* 11. Inferens exindè regulam, quod quis, antequam alteri sit ius quæsitum, sæpè variare potest, nõ sic autem quando alteri ius est quæsitũ, quo casu locum habet regula, mutare, ubi *Din. de reg. iur. in* 6.

20 Alia pariter assignatur differentia inter electionem, & postulationem, quia scilicèt electus electioni de se factæ consentire potest, *c. quã*
21 *sit de elect. in* 6. postulatus autem postulationi suæ, antequam à Superiore sit admissa, consentire nequit, sed neq; dissentire, respondẽdo solùm, se neq; consentire, neque dissentire; sed dispositioni Superioris, seù Domini Papæ, quatenus ad ipsum spectet admissio, se humiliter remittere, *d. c. bonæ memoriæ, & ibi Abb. n.* 11.

22 Quænam verò Personæ, de iure ineligibiles postulari valeant, ad longum prosequitur *Abb. in c. ult. de postul.* quæ tamen in substantia reducuntur ad sequentes: Ad illum videlicèt, qui non est de gremio Ecclesiæ, cui prouidendum est, *cap. Episcopus cum c. seq.* 61. *dist.* vel qui nõ sit in sacris Ordinibus cõstitutus, *c. nullus dist.* 60. *& c. Osius* 61. *dist.* aut alterius Ecclesiæ vinculo adstrictus, vel non de legitimo matrimonio natus, aut infra ætatem triginta annorum, *c. ult. de postul. c. cum in cunctis, & c. innotuit de elect.*

23 Specialiter autem Episcopus eligi non potest, sed postulandus est, quia Spõsam habens, ideſt primam Ecclesiam, in aliud coniugium transire adulterium consentire nequit, vt notatur *in cap. sicut,* 7. q. 1. Cum enim per electionem initietur vinculum matrimoniale inter Ecclesiam, & electum, *cap. fin. de transl. Episc.* necesse est, vt absoluatur à primo vinculo matrimoniali, antequam initietur matrimonium cũ altera Ecclesia: Ideoque postulandus est, quia per postulationem non initiatur spirituale coniugium, cum postulantes non consentiant in postulatum, vt in Sponsum, sed tantùm gratiosè petunt, vt primũ tollatur vinculum, *Abb. loco. cit. nu.* 5. Quod tamen non currit in Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, cum enim per renunciationẽ
24 absolutus sit à vinculo primæ Ecclesiæ, nil vetat, quin ad aliam Ecclesiam eligi possit. De electo verò in Episcopum, sed non dum consecrato, ita distinguit *Abb. loco cit.*
25 *n.* 7. quod si non est confirmatus, eligi potest, cum priori Ecclesiæ renunciare valeat, *cap. si electio, de elect. in* 6. Si verò est confirmatus, eligi non potest, quia per confirmationem contractum est matrimonium, licèt nondum consũmatum per consecrationem, *cap. inter corporalia de transl. Episc.*

26 Disputat *Abb. in c. Ecclesia [illegible] il 2. de elect.* Vtrum Cardinalis eligi possit in Episcopum, vel postulari debeat? Et concludit, quod si Cardinalis sit Episcopus, eligi non possit, sed postulandus, cum alterius Ecclesiæ vinculo sit adstrictus; Si verò sit Presbyter, vel Diaconus, possit eligi, cum nullo Ecclesiæ vinculo sit ligatus; Cuius tamen contrarium asserit in *c. fin. de postul.* ea ratione, quia Cardinales in eorum Ecclesiis habent iurisdictionẽ Episcopalem, suntq; alligati Romanæ Ecclesiæ, neq; ab Vrbe sine licentia Summi Pontificis possunt abesse: Veritas est, quod si Cardinalis non Episcopus est Canoni-

cus

cus illius Ecclesiæ, cui prouidendũ est, simpliciter eligi potest, quia non debet esse deterioris conditionis, quàm alii Canonici: Si verò non sit illius Ecclesiæ Canonicus, est postulandus, ex quo Cardinales, uti de Latere Summi Pontificis, ab eius nutu specialissimè dependent.

27 Quod postulatio concurrere possit cum electione, colligitur ex dispositione *cap. scriptum, & ibi Abb. num. 7. de elect.* ubi quando concurrunt electio, & postulatio, data idoneitate, tàm postulati, quàm electi, præfertur postulatio, quatenus à duplo maiori parte, hoc est à duabus, & ultra Capituli partibus facta sit, aliàs præfertur electio, licèt à maiori Capituli parte non sit facta: Et clariùs *ibid. nu. 14.* exponendo quatuor casus eiusdem textus; primò scilicèt, quando postulatio facta fuit de Persona idonea à duabus partibus, & seruata forma, quia tunc debet, ut suprà diximus, admitti postulatio, ex quo potentia Capitularis, & cuiuslibet Vniuersitatis in duabus partibus, & per consequens in tertia parte non est aliqua virtus Capitularis, *l. nulli, & l. planè, ff. qu. cuius Vn. nom.*

Neque obstat, quod postulatio sit via extraordinaria, & electio ordinaria, quia ex quo virtus Capitularis illam insequitur viam, licèt extraordinariam, est præferenda, *glos. in d. c. scriptum*. Sicuti non obstat, quod postulatio innitatur gratiæ, quia per hoc non tollitur ius Superioris, quin illam reiicere possit, quatenus gratiam facere nõ intendat: Secundus casus est, si postulantes duplo maiorem partem non faciunt, quia tunc præfertur electio facta à maiori parte Capituli, iuxtà dispositionẽ *c. quia propter de elect.* Tertius casus est, quando postulantes duas quidem partes faciunt, sed postulatus, ipsis ignorantibus, est indignus, quia tũc reprobanda est postulatio, non tamẽ cõfirmãda electio, à tertia, vel minori parte facta, quia cũ duæ partes postulantium non sint ipsarum iure priuatæ, tota Capitularis potestas non remansit in minori, ut *in d. l. nulli, & l. planè*. Quartus casus est, quando Capitulares omnes, vel maior pars postulauerint sciẽter indignum, & electus à tertia parte est idoneus, quia tunc electio confirmari debet, licèt cæteroquin cõtra iuris regulas, ex quo postulantes potestate postulandi, et
28 eligendi sunt priuati, *cap. gratum, & ibi Abb. de postul.* Vbi notanter subdit, quod aliis carentibus eligendi facultate, puta, quia sunt excommunicati, suspensi, interdicti, aut voce priuati, tota Capitularis potentia residet penes habiles, licèt minorem faciant Collegii partem, quia priuati, & inhabiles non sunt in numero computandi, *d. c. gratum, & c. illa de elect.* Minor enim pars sicuti peccatis aliorum non inuoluitur, ità nec peccatorum pœnã, *c. scriptum de elect. & cap. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. Cap.* Quod tamen declaratur procedere, quando minor pars contradixit, secus si tacuit, quia ex quo vocatur quis ad Vni-
29 uersitatem, aut bono consentire, aut malo contradicere debet; vndè cum loqui teneatur, & vel affirmatiuè, vel negatiuè consulere, tacendo habetur pro consentiente in sui præiudicium, *Abb. in d. c. gratum n. 6. de postul. l. de ætate, §. qui tacuit, ff. de interrog. act. & c. si tibi præsenti, iuxt. glos. de præben. in 6.*

30 Vtrum in postulatione seruãda sit forma *cap. quia propter de elect.* distinguendum est cum *Abb. ibid. n. 9.* Quod si agatur de postulatione minus solemni, uti quando postulatur Laicus, ut se ad sacros Ordines promoueri faciat, ad hoc, ut eligi possit, vel quando postulatur Monachus ab Abbate ad effectum pariter illum eligendi, non sit ne-

Digitized by Google

cessaria prædicta forma, quæ postea in eiusdem electione seruanda erit: In postulatione verò solemni, per cuius admissionem postulatus cõsequitur plenum ius, itaut admissio postulationis à Superiore habeat vim electionis, & confirmationis, seruari debeat forma prędicta. Quod tamen apud Me nõ trasit sine difficultate per ea, quæ aliàs scripsi: Videlicèt *in d.c. quia propter*, & confirmari antiqua iura, disponentia, ut in electione citẽtur omnes interesse habentes, prout statutum fuerat in *c. Ecclesia uestra*, & fieret electio à maiori parte Capituli, ut *in c. auditis de elect.* & hoc specialiter de nouo additum, vt eligãtur tres Scrutatores de gremio Capituli, qui vota eligentium secretè excipiant, in scriptis redigãt, atque electum statim publicent.

31 Quod igitur attinet ad primam partem, indubitati iuris est, etiam in postulatione citandos esse omnes interesse habentes, & maiorem partem requiri. Quò verò ad secundam partem, de forma nouiter introducta eligendi tres Scrutatores, per quos vota secretè excipiantur, & in scriptis redigantur, videtur de necesse non requiri, quia cum *in eod. c. quia propter* fiat tantũ mentio de electione, per consequẽs ibidem nouiter statuta non sunt necessariò trahenda ad postulationem; si enim Concilium voluisset, ut talis forma seruaretur, etiã in postulatione, id expressisset, *tex. ad lit. in c. 2. de translat.* sicuti obseruatum fuit *in cap. 1. de elect. in 6.* vbi Concilium expresè declarauit, ut terminus unius Mẽsis datus ad opponendum contra electionem, curreret etiã in postulatione, & quod prohibitio dandi vota conditionalia, & alternatiua in electionibus, locum haberet etiã in postulationibus, & clariùs in *c. cupientes de elect. in 6.* ubi Papa intendens, ut statuta de eligẽtibus, & electis circa præsentationes electionũ apud Sedem Apostolicã seruari deberẽt, etiam à postulantibus, & postulatis, id expresè declarauit *ibid. in §. denique*;

32 Non est tamen ambigendum, quin postulatio fieri debeat per vota secreta, quæ nunquam publicentur, iuxta dispositionem Concilii Tridentini, *sess. 25. de Regul. c. 6.*

33 Notandum verò, non posse Electores eligere simul, & postulare, nisi dubitaretur, an quis esset eligibilis, quo casu sic electus, & postulatus intra Mensem à die notitiæ declarare tenetur, quam viam prosequi velit, electionis, an postulationis, qua semel electa, variare nõ poterit, *c. un. iunc. gloss. de postul. in 6.*

32 Cum autem dixerimus supra, electionis viã quasi per inspirationem eligi non posse, hoc tantò magis habet locum in postulatione, quia postulatio continet in se cõditionem, cum dependeat ab arbitrio Summi Pontificis, seù alterius Superioris, qui illam admittere, uel reiicere potest; & inspiratio Spiritus Sancti non potest esse cõditionata, & pendere ab alterius arbitrio, iuxta illud: Spiritus vbi vult spirat, *Ioann. 3.* & Verbum Dei non est alligatũ, *2. ad Timot. cap. 2.*

Forma Instrumenti Postulationis.

POst omnia præmissa, quæ supra extensa sunt in forma instrumenti per Electionem, *sect. 19. §. 3. in fin.* cum deuentum fuerit ad iuramentum de meliore, & vtiliore eligendo, *iungatur*. Et quia post diuersos tractatus inter ipsos Capitulares habitos, & nominationes diuersarum Personarum simplices, ac discussiones, & inquisitiones multiplices, tãdẽ placuit p viã postulationis procedere, & viduatæ Ecclesiæ prouidere, & proposito per Decanum N. Episcopo Ecclesiæ N. (vel N. cuius Personæ conditio dicitur aliqualiter ex natalibus læsa, vel adhuc in ætate perfecta non constituta) adducendo eiusdem literarum Scietiam

tiam, morum grauitatem, conuersationis exemplum, meritorum, prærogatiuã, diuitiarum potentiã, & quantum uiduatæ Ecclesiæ foret vtilis, mandauit, per Me Notarium, & Testes infrascriptos perquiri singulorum Capitularium consensum, quibus per Me sic, vt supra, perquisitis, & adnotatis, facta collatione numeri Suffragiorum ad numerum Capitulariũ, & numeri ad numerum, inuentum est, consensisse in postulatione præfati N. *tot*, qui faciunt maiorem, & saniorem partẽ Capituli, ac propterea, non obstantibus *tot*, qui non consenserunt, idem Decanus solemnem postulationem Capitulo, & suo, & totius Capituli nomine, publicauit, & finis impositus fuit, &c.

Post peracta supradicta, statim, & incontinenti idem Decanus mandauit mihi Notario, vt cum Testibus infrascriptis accederem, ad annunciandum eidem N. postulationem de eiusdem Persona factam in Episcopum huius Ecclesiæ, qua per Me ipsi annunciata, respondit, se dictæ postulationi non consentire, nec dissentire, sed voluntati Domini Papæ se in totum supponere &c.

Et quia Ego Notarius, cum Testibus, &c. huiusmodi actum denũciationis, vt præmittitur, feci, hinc eundem fideliter adnotaui, & publicũ Instrumentũ confeci, &c.

SECTIO VIGESIMASECVNDA.

De Suffraganeis, & Coadiutoribus.

SVMMARIVM.

Coadiutor quis dicatur. n. 1.
Coadiutore in dando, considerandum est officium, ad quod deputatur. 2.
Coadiutor in temporalibus debet esse prouidus circa temporalia. ibid.
Coadiutor in spiritualibus habere debet scientiam, & capacitatem sufficientem. 3.
Coadiutor debet habere requisita ad officiũ, ad quod deputatur. ibid.
Coadiutor debet esse illius ætatis, quæ requiritur in administratione Officii, ad quod deputatur. 4.
Coadiutor ad curam Animarum debet esse ætatis vigintiquinque annorũ. 5.
Coadiutor Episcopi debet complesse ætatem triginta annorum. 6.
Coadiutor Episcopi in temporalibus, sufficit, quod sit ætatis vigintiquinque annorum. 7.
Aetas vigintiquinque annorũ est perfecta quoad temporalia. 8.
Coadiutor Episcopi in Francia, sufficit, quod sit ætatis vigintiquinq; annorũ. 9.
Religiosus vtrum possit esse Coadiutor. 10.
Religiosus potest esse Coadiutor Episcopi de licentia Superiorum, attenta necessitate. 11.
Coadiutoria est duplex, temporalis, & perpetua. 12.
Coadiutor temporalis dicitur Suffraganeus. ibid.
Episcopo inhabili ob Senectutem &c. datur Coadiutor. 13.
Coadiutor datur illiteratis, & imperitis. 14.
Episcopi dare possunt Coadiutores. 15.
Appellatio interponi potest à datione Coadiutoris per Episcopum. ibid.
Appellatio quando interponi possit ad Metropolitanum ab Episcopo, procedente, vt Sedis Apostolicæ delegato. 16.
Declaratio Sacræ Congregationis Concilii super appellatione ab Episcopo ad Metropolitanum. 17.
Coadiutori assignanda est congrua portio de redditibus Ecclesiæ. 18.
Ecclesiæ facultates quando non sufficiunt Coadiutori, & Titulari, cui prius prouidendum. 19.
Coadiutori, an Titulari debeatur administratio bonorum Ecclesiæ. 20.
Coadiutor habens administrationem, quod supereſt, erogare debet in utilitatem Ecclesiæ. 21.
Coadiutori an possint dirigi nominationes in Francia. 22.
Coadiutor alienare non potest. 23.

Ccl-

Digitized by Google

Collatio Beneficiorum est alienatio necessaria. ibid.
Coadiutoria perpetua non est iuri conformis, sed à stylo inuenta. 24.
Coadiutoriæ perpetuæ sunt odiosæ. 25.
Coadiutoriæ perpetuæ, qua occasione, & quando initium habuerint. 26.
De Coadiutoriis perpetuis primus scripsit Cassada. 27.
Coadiutoriæ perpetuæ concedebantur ante Concilium Tridentinum. 28.
In Germania quid seruetur circa Coadiutorias inferiores. 29.
Coadiutoriæ Episcopis non dantur, nisi causa cognita à Sacra Congregatione rerum Consistorialium. 30.
Coadiutorum omnium, etiam temporalium datio Episcopis spectat ad Papam. 31.
Coadiutores temporales quando dentur ab Episcopis. 32.
Effectus Coadiutoriæ perpetuæ. 33. & seq.
Coadiuto mortuo de tempore datæ, an habeat locum Coadiutoria. 34.
Coadiutoria cum futura Successione cõtinet duplicem gratiam. 35.
Gratia dicitur perfecta per signaturam Papæ. 36.
Coadiutoriæ, quæ dantur inferioribus, respiciunt tantũ fauorẽ Coadiutorũ. 37
Coadiutoriæ, quæ dantur Episcopis, respiciunt etiam fauorem Ecclesiæ. 38.
Coadiutor vtrum habeat vocem activam, & passiuam. 39.
Coadiutor, & Coadiutus non possunt ambo esse in Ecclesia eodem tempore. 40.
Coadiutor vtrum vices aliis committere possit. 41.
Coadiutor an agere possit de cõtemptu. 42.
Coadiutor habens Dignitatem, vel Canonicatum, an gaudeat duplici voce. 43.
Coadiutori cum futura Successione non licet ingredi Ciuitatẽ Pontificaliter. 44.
Coadiutor non debet vti cruce in Diuinis, neque in functionibus Pontificiis, nec dum incedit per Vrbem. 45.
Coadiutor, absente Episcopo, potest vti cappa. 46.
Sedes vna non capit duos. 47.
Coadiutori debent assistere Canonici. 48.
Canonici non debent accedere ad circulum Coadiutoris. 49.
Coadiutor potest facere confessionem cum Canonico celebrante, & benedicere in fine Missæ. 50.
Coadiutori licet benedicere Populo de licentia Episcopi. 51
Canonici procedere debent obuiam Coadiutori ad Ecclesiam Pontificaliter accedenti. 52.
Coadiutori non licet largiri indulgentias, nisi nomine Episcopi. 53.
Parocho non solet dari Coadiutor cum futura Successione. 54.
Coadiutor temporalis nõ datur Dignitatibus, & Canonicis. 55.
Canonicus infirmus, vel aliàs impeditus, quando lucretur distributiones. 56.
Episcopis quando detur Coadiutor temporalis, vel cum futura Successione. 57.
Coadiutor tẽporalis datur etiã inuito. 58.
Coadiutor cum futura Successione non datur, nisi cum consensu Coadiuti. 59.
Coadiutor in Beneficio iurispatronatus nõ datur sine consensu Patroni. 60.
Consensus Coadiuti habere videtur naturam resignationis. 61.
Pacta super hæreditate sunt prohibita. 62.
Coadiutor temporalis datur sine consensu Capituli. 63.
Coadiutor cum futura Successione non datur sine consensu Capituli. 64.
Votum Maraldi. 65.
Pœnitentiæ, & mutationi voluntatis locus est in casibus uoluntariis. 66.
Pater potest uotare pro Filio, & è cõtra. 67.
Suspicionis allegatio requirit causam. 68.
Nihil est tàm indubitatum, quin aliquam solicitam dubitationem suscipere ualeat. 69.
Vota Capitularium tripliciter considerari possunt. 70. & seqq.
In nullo iure reperitur cautum, quod in actibus Vniuersitatis seruetur dispositio c. quia propter, dempta prouisione uiduatis Ecclesiis. 73.
Dispositio cap. quia propter, de elect. non potest habere locum, nisi in illis Ecclesiis, quæ verè possint dici uiduatæ. 74.
Electio Coadiutoris per Scrutinium habet vim simplicis consensus. 75.

Ius

Ius eligendi non competit Capitularibus, plena Sede Episcopali, seù Abbatiali.76
In dispositionibus conditionatis non oritur actio, nisi post conditionis aduētū. 77.
Actio non oritur ex promissione dotis, nisi post secutum matrimonium.78.
Consensus pro dando Coadiutore sufficit capitulariter absq; formali Scrutinio.79.
Attestatio Notarii sufficit ad probandum, mandatum ad consentiendum deputationi Coadiutoris fuisse capitulariter factum.80.
Actus, vt dicatur gestus à Communitate, oportet, vt more solito congregetur Collegium. 82.
Consensus pro deputatione Coadiutoris an sit necessariò capitulariter dandus.81
Consensus in factis Collegii præstari debet in communi.83.
Consensus in spectantibus ad singulares Personas quando præstari debeat in communi. 84.
Minor pars vocari debet, vt possit maiorē trahere ad suam sententiam.85.& 98
Termini instante fine, potest minor pars vocare maiorem.86.
Minor pars non debet priuari iure suo ob contumaciam maioris.86.
Maior pars quando habet præualere minori, debet actus capitulariter expediri.87
Consensus Capituli pro dando Coadiutore, sufficit vndequaq; collectus.n.88.
Papa non taliter assensit concordatis, ut sibi manus ligauerit.89.
Scrutinium requiritur in prouidendo viduatæ Ecclesiæ, quia datur pro forma in cap. quia propter.90.
Consensus pro dando Coadiutore non reperitur in iure cautum, quod dari debeat per Scrutinium.91.
Per consensum dandi Coadiutorem cum futura successione non initiatur vinculum matrimonii spiritualis.92.
Capitulares dando consensū pro deputatione Coadiutoris, cedunt tantùm iuri ipsis competituro in casu viduitatis Ecclesiæ.93.
Eligendi facultas non spectat ad Capitulū, uti Capitulum, sed ad Capitulares.94
Consensus omnium Capitularium an requiratur, quando præstatur extra Capitulum.95.
Consensum in spectantibus ad singulos potest quilibet per se præstare. 96.
Consentire in re communi debent omnes, quibus fit præiudicium.97.
Patronorum consensus an sufficiat singulariter.99.
Papa deputare potest Coadiutorem cum futura successione de solo cōsensu Coadiuti.100.
Capitulum ob dationem Coadiutoris cum futura, an priuetur iure eligendi.101
Papa dando Coadiutorem cum futura successione, nō tollit, sed impedit, nè oriatur ius eligendi, aduenientе vacationе Ecclesiæ. 102.
Culpa caret qui utitur iure suo.

1 COadiutor dicitur is, qui ex causa datur à iure, vel à Iudice ad coadiuuandum alterius officium, & dicitur Coadiutor à coadiuuando, sicuti Tutor dicitur à tuendo, Procurator à procurando,
2 *Abb. in c. fin. de Cler. ægrot.* Propterea in dando Coadiutore considerandum est officium, cui deputatur; Si enim datur tantùm in temporalibus, debet esse prouidus, & discretus circa temporalia, itaut illa benè regere sciat, & gubernare; Si
3 verò datur in spiritualibus, puta ad curam Animarum, debet habere scientiam, per quam sciat Populum regere, sitque discretus, & honestus, Et vniuersaliter dicendū est, quod habere debeat requisita ad illud officium, ad quod deputatur Coadiutor; ideoq; si detur Regi, debet esse magnanimus, & potens, ut habetur *in cap. grandi de suppl. negl. Prælat. in* 6. Debet insuper
4 illius ætatis esse, quæ requiritur in administratione officii, ad quod deputatur: Proindè si datur Ani-
5 marum curator, requiritur, vt sit ætatis vigintiquinque annorum, prout videtur expressum *in c. nemo*
6 *deinceps, de elect. in* 6. Et si datur Episcopo, compleuisse debet annos triginta, quia talis ætas requiritur
7 in Episcopo, *c. cum in cunctis de elect.*

Di-

Digitized by Google

Distinguit tamen *Abb. ibid.* quod vel datur Episcopo in temporalibus, & sufficere videtur, quod sit ætatis annorum viginti quinque,
8 quia talis ætas est perfecta, quoad temporalium administrationem, cum in illa ætate possit quis esse Tutor, & Procurator, *l. fin. ff. de leg. tut. c. qui generaliter de Procur. in 6* Vel deputatur in spiritualibus, & tunc verum sit, quod requiratur ætas annorum triginta, quia talis ætas matura requiritur in administratione Episcopalis officii, in quo multa ardua contingunt. Si tamē
9 daretur Coadiutor Episcopo in Francia, sufficerent anni viginti septem, cum secundum indultum Bullæ concordatorum Franciæ nō requiratur maior ętas in Episcopo
10 Vtrum Religiosus possit esse Coadiutor, licèt *Abb. loco sup. cit. n.* 4. teneat affirmatiuè, attamen est opus distinctione, quia si deputandus sit Coadiutor Abbati Regulari, præsertim eiusdem Ordinis, nulla videtur inesse difficultas, ex quo datur Coadiutor in illo officio, cui
11 principaliter præesse valeret: Si verò ageretur de illo deputando in Coadiutorem Episcopi, vel Curati, posset quidem, sed de licentia Superiorum, & in deficientiam alterius Personæ habilis, & ob necessitatem Ecclesiæ, ut colligitur *ex eod. Abb. l. cit.*

12 Notandum verò, duplicem dari Coadiutorem, temporalem scilicèt, & reuocabilem, qui dicitur etiam Suffraganeus, & perpetuum, ac irreuocabilem: Coadiutor tēporalis, & reuocabilis est, qui datur non solùm Episcopo, sed etiam Rectori Ecclesiæ, vel Beneficii, qui senio, vel ob maturam ætatem, seù morbum factus est inhabilis, & impeditus ministrare, suumq; officium exercere, ac proindè assignatur Coadiutor, qui pro eo administret, & officium exerceat: Neq;
13 enim tali casu Prælatus, vel Clericus est priuandus Ecclesia, aut Beneficio, ut nonnulli voluerunt cum *Barbos. in c. nisi cum pridem, de renunc.* sed dandus Coadiutor, *text. in c. de rectoribus, c. ex parte, & cap. fin. de Cler. ægrot. & c. un. eod. tit. in 6. c. petisti 7. q. 1. & c. 1. de suppl. neg. Prælat. in 6.*

14 Et hodie in *Concilio Trid. sess. 21. c. 6. de reform.* extat decretum, quod illiteratis, & imperitis Parochialium Rectoribus, si aliàs honestæ sint vitæ, Episcopi, etiam tanquam
15 Sedis Apostolicæ Delegati, Coadiutores, & pro tempore Vicarios deputare possint, quacumq; appellatione, atq; exemptione remotis; scilicèt quoad effectum suspēsiuū, non autem deuolutiuum, uti Sacra Congregatio; prout infra declarauit, Quæ quidem appellatio inter-
16 poni poterit etiam ad Metropolitanum, non obstante, quod Episcopus procedat, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, nisi quatenus Delegatus contra exemptum procederet, quia tali casu appellatio
17 ad Sedem Apostolicam esset interponenda: Sic enim declarauit Sacra Congregatio Concilii: *Non posse Episcopū, prætexta, quod sit Apostolicæ Sedis Delegatus declinare iurisdictionem Metropolitani in casibus illis, in quibus ante Concilium Tridentinum, tanquam Ordinarius uti poterat eodem iure, eademq; potestate. Quando verò ex Concilio procedit uti Sedis Apostolicæ Delegatus in causis, quæ sub eius ordinaria iurisdictione non comprehenduntur, non posse ab eo, nisi ad Sedem Apostolicam pronocari.* Quam declarationem reperies apud *Garz. de benef. p. 4. cap. 5. num. 12.*

18 Cum autem Coadiutori sit assignanda congrua portio de redditibus Ecclesiæ, *ex Concil. Trid. d. c. 6.* quandò fructus, & facultates Ecclesiæ non sufficiunt coadiutori &
19 titulari infirmo, de illis prius prouidendum est Coadiutori, deindè Parocho infirmo & si nō sufficiāt, ut suppōnatur, prouidendum ab

Epi-

Episcopo, tenet *gloss. fin. in d. c. de Rectoribus*, allegando iura, quę tamen hoc non dicunt. E contra verò *Card.* vult, primò subueniendum esse Prelato infirmo de redditibus, & Rectori à Parochianis, ea ratione, quia Prælatus infirmus deseruire videtur, *c. 1. de Cler. ægrot.* propterea ipsi, tanquam digniori priùs est subueniendum, facit *text. in eod. c. de Rectoribus in fin.* dum cõgruam portionem dari mandat Coadiutori: Ex quo infertur, quod Prælato infirmo debeantur prouentus, sitq; potior, licèt contra *in c. tua nos, eod. tit. de Cler. ægrot.* vbi quod Prælato ægrotanti ministranda sunt necessaria de facultatibus Ecclesię; ex quo videtur concludi, quod reliqua sint in dispositione Coadiutoris: Videtur tamen melior opinio *Card.* quod prouentus sint Titularis, & quatenus non superfit pro congrua Coadiutoris, supplendum à Parochianis, quibus inseruit.

20 Hinc sequitur alia quæstio circa dispositionem eorundem reddituũ Ecclesiæ, an illã habeat Titularis, vel Coadiutor; in qua videtur distinguendum, quod aut infirmitas Titularis impedit, illũ administrare in spiritualibus, & tẽporalibus, & tunc Coadiutor habet administrationem in vtrisq; qui data congrua pro infirmo, & congrua pro
21 seipso retenta, reliquos fructus in vtilitatem Ecclesiæ conuertere debet, seù dispẽsare, sicut tenetur bonus Rector: Aut infirmitas reddit Titularem impotentem solùm in spiritualibus, & eo casu, cum officium Coadiutoris non se extendat ad temporalia, Prælatus fructus omnes percipiet, dabitque Coadiutori cõgruam portionem, *Abb. in d. c. de Rectoribus n. 5. Rebuff. in tract. nomin. n. 26.* Vbi ad quęsitũ,
22 An Coadiutori possint dirigi nominationes, & is nominato prouidere teneatur? Respondet, quod aliquando datur Coadiutor dementi, furioso, aut totaliter impedito, & tunc cum ipse Coadiutor Beneficium cõferre possit propter diuturnam vacationem, quia nescitur, quãdo Episcopus morietur, aut ab infirmitate liberabitur, seù impedimẽto, *l. ábiguitatẽ, C. de vsufr. l. inter bonorum, ff. de admin. tutor.* possent dirigi nominationes Episco-
23 po, vel Coadiutori; nam licèt Coadiutor alienare non possit, *c. ap. un. in fin. de Cler. ægrot. in 6.* cum tamen alienatio Beneficiorum, seù eorum collatio sit alienatio necessaria, per Coadiutorem fieri poterit, quia voluntaria tantùm prohibetur, *Oldrad. cons. 44.* Aliquando Coadiutor datur suspecto de dilapidatione, ut *in c. venerabili de officio deleg.* vel leproso, *cap. tua, de Cler. ægrot.* aut officium suum propter infirmitatem, aut senectutem exercere impedito, *c. ex parte eod. tit. de Cler. ægrot.* itaut tale impedimẽtum sit perpetuum, *d. c. un. de Cler. ægrot. in 6.* scilicet naturaliter, licèt per miraculum tolli possit, *c. Fraternitatis, de frigid. & malef.* & tunc quamuis Coadiutor ad spiritualia, & temporalia datus sit, videaturq; generalem, & liberam habere potestatem, *c. 1. 7. q. 1. c. quamuis sit triste, & c. petisti, ead. cau. & q.* non tamẽ hoc casu confert Beneficia, sed Episcopus, cum consensu tamẽ coadiutoris, *argum. c. Ecclesiæ, §. fin. de supplen. neglig. Prælat. in 6.*

24 Coadiutoria perpetua cum futura successione non est iuri conformis, sed potius à stylo ob gratiam, & fauorem specialem inuẽta, *Cassad. decis. 2. de restit. spol. nu. 2. Mandos. in tract. de sign. grat. tit. de coadiutoriis, versu, altera cum futura, & in regul. 11. q. 5. n. 4. Nauarr. cons. 242. de Cler. ægrot. Mohed. decis. 10. de priuil. aliàs 36. in fin.* ubi, quod huiusmodi
25 Coadiutoriæ in utraq; parte sunt odiosæ, & exorbitantes à iure, tũ secundum iuris dispositionem, illi dandus sit, qui verè indiget Coadiu-

Digitized by Google

iutore ad tempus impedimēti,& cū congrua sustentatione, quorum nihil fit in hodiernis Apostolicis coadiutoriis;atq; insuper cum sint de futuro,ad *c.1.& 2.de conces.præb. & c.ne captandæ,cum aliis eod.tit. in 6. Garz.cum ibi not.de benef.p.4.cap.5. de coadiutoria n.13.& seq.*

26 Quando autem, & qua occasione initium habuerint huiusmodi coadiutoriæ cum futura successione,non est facile reperire,cum de ipsis ne verbum quidem in Concilio Basileen, à quo tamen inuehitur contra gratias,expectatiuas, & reseruationes: Neq; à Rebuffo in praxi beneficiali,ubi in *gloss.7.super regul.Cancell.de subrog.*agit de reprobataBeneficii viuentis impetratione; neque super concordatis, vbi in *rubr.de reg. ad Prælat. nomin.* §. 1. *verbo vacantibus*,tractat de Coadiutore ad tēpus ; sed neq;verbum ullum in Pragmatica Sanctione; neq; in decisionibus Franciſci Marci:

27 At primus omnium de huiusmodi coadiutoriis scripsit *Cassad. decis. vn. de pact.* de anno 1514. quem,tā-

28 quam Antesignanum omnes citāt: Concedebantur nihilominus ante Concilium Tridentinum, *Garz. de benef.loco cit.nu.22.* in quo *sess.25. de reform.c.7.vers.in coadiutoriis* , decretum fuit,ut nemini in quibuscūq; Beneficiis permittantur ; sicut obseruatum fuit tēporibus Pauli IV. Beati Pii V. ac Gregorii XIII. vsq; ad Sixum V. in cuius Pontificatu inceptum est expediri,*Garz.loco cit. n.24.* & deinceps ità practicatum.

29 In Germania verò in vim *Bullæ Concordatorum* §. 7. Ordinarii Collatores, nisi Papa iisdem concordatis expresè derogauerit,Beneficia in eorum Mensibus vacantia conferunt, nō obstāte titulo coadiutoriali, *Gonzal.super reg.8. Cancell. gloss.5.§.9.n.11. Lauren. Nicolart. in praxi benef.tit. de reseruat. dub.8.§.6. Put.dec.226.p.3.*

Intellige de Coadiutoriis, non ad primam post Pontificalem, sed alias Dignitates , Canonicatus , aliaq; inferiora Beneficia, de quibus loquuntur supracitati Doctores, & quæ expediuntur cū simplici attestatione ætatis, & infirmitatis coadiuti, & consensus eiusdem

30 Coadiuti,& Capituli. Non autē de Coadiutoriis , quæ dantur Episcopis,vt ex lectura eiusdem Bullę, quæ non dantur,nisi causa cognita in Sacra Congregatione rerum Consistorialiū,vt dicemus inferiùs

31 Hoc autem commune est utriq; Coadiutoriæ,tàm temporali , quā perpetuæ,& cum futura successione,ut Deputatio Coadiutoris Episcopo ad solum Papam pertineat , *c.ex parte , & ibi Abb. num.3. de Cler. ægrot.& cap.un.eod.tit.in 6. Rebuff.in tract.nomin.n.26.post med. Garz. de benef.p.4.c.5.n.16.& seq.* Coadiutorem autem temporalem Curato Animarum dare potest Episcopus ,

32 *Abb.loc.cit.* ubi notat, quod si collatio Beneficii spectat ad Prælatum inferiorem Episcopo, datio Coadiutoris pertinet nihilominus ad ipsum Episcopum ; quia habens collationem tantùm , inuitū destituere,aut renunciationem admittere non potest , ad *not. in clem. un. de renunc.* Nisi tamen Beneficium illud pleno iure subiectum esset Prælato inferiori , quia tali casu reputaretur quasi Episcopus respectu dicti Beneficii,*c.un. de Capell.Monach.in 6.*

33 De effectibus Coadiutoriæ perpetuæ cum futura successione Dignitatum , Canonicatuum , & huiusmodi , plura tradit *Garz. de benef.d.c.5.*quę apud ipsum videri poterunt;& ex quibus ea tantùm,quę ad rem nostram pertinent, adnotāda censuimus.

34 Primò videlicèt,si tempore datę Coadiutoriæ mortuus esset Coadiutus,an successio in ipsa Coadiutoria , ad fauorem Coadiutoris concessa locum haberet ? Affirmatiuè tenet *Gonzal. super regul. 8.*

Can-

Digitized by Google

*Cancell.gloss.*5.§.9.*n.*53. ea ratione,
35 quia Coadiutoria perpetua cum futura successione continet in se duplicem gratiam, æquè principalem, & distinctam, ac separatam, alterã Coadiutoriæ, quæ expirat per obitum Coadiuti, ad cuius fauorẽ data fuit, & alteram futuræ successionis, cum primùm vacat Beneficiũ per cessum, vel decessum Coadiuti, quæ dumtaxat Coadiutoris fauorem respicit, *Put.decis.*98.*lib.*2. *& decis.*226.*n.*16.*lib.*3. Ex quo infertur, quod si Coadiutus, seù Proprietarius decedat, antequam gratia Coadiutoriæ sortiatur effectum, quamuis dicta gratia Coadiutoriæ sit extincta per illius obitum, altera tamẽ futuræ successionis ad fauorem Coadiutoris æquè principalis, non dependens à prima, firma prorsus, & salua remanet, *Put.d.dec.* 98. Negatiuè tamen tenet *Garz. loco sup.cit.nu.*131. dicens, quod mortuo Coadiuto tempore datæ, Coadiutoria corruit, estq; nulla omninò à principio, quia mortuo nõ datur Coadiutor, nec mortuus pro ea supplicat, vel consensit, & per consequens corruit futura successio, quæ ab illa dependet, cum detur ratione Coadiutoriæ, & uti Coadiutori: Subdit tamen, secus fore, ubi tempore datæ Coadiutus viueret, licèt decedat, antequam coadiutoria sortiatur effectum, & ipse, aut coadiutor de illa notiam habuerit; quamuis enim tunc Coadiutoria expiret per obitum illius, tamen à principio tenuit data Coadiutoriæ, seù gratia, & per consequens valebit futura successio.

Vt verum fatear, difficilis est huiusmodi resolutio; Veruntamen sententia Gõzales videtur æquior,
36 quia apud Scribentes est in confesso, quod per solam Signaturam Papæ gratia dicitur perfecta; ideoque licèt per obitum Coadiuti inter Signaturam, & datam corruat coadiutoria, debent tamen expediri literæ super noua prouisione.
37 Quæ tamen dicta sint de Coadiutoriis cum futura successione in Dignitatibus inferioribus, in quibus futura successio respicit tantũ fauorem Coadiutoris: Non sic de
38 Coadiutoribus, qui dantur Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, qui licèt dari possint, & dentur ob senectutem, vel malam valetudinẽ Coadiuti, futura tamen successio non respicit principaliter fauorem Coadiutoris, sed necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ, videlicèt, ut detur Persona potens, quæ illius iurã aduersus hæreticos tueri valeat. Et ad euitandas cõtradictiones, seù dissentiones Capitularium, ubi vigent concordata, atq; electiones in vim eorũdem, quia in enẽtum vacationis Ecclesiæ possent suscitari turbines, & valdè deteriosa damna contra iurisdictiones, iura, & bona ipsius Ecclesiæ, seù etiam ad euitãdas dissentiones inter Principes; seù etiam prætensiones contra Sedem Apostolicam, nominationem, aut aliter. Et in uniuersum nè periclitentur bona, iura, & libertas Ecclesiæ, ut supra dictum est. Ac proindè etiamsi mortuus esset Coadiutus tempore decreti Consistorialis, expediendæ forent literæ Apostolicæ, & quidem citissimè, super prouisione Ecclesiæ, ad euitãdos omnes tumultus in damnum ipsius Ecclesiæ, saltem ex communi regula, quod scãdalis est obuiandum, *clem.*1. *de sent. excomm. & clem.*1. *& ibi gloss. verbo scandala, de offic. Ordin.*
39 Secundò, utrũ Coadiutor habeat vocem actiuam, & passiuam, non non solùm in electionibus, & rebus ordinariis, verùm etiam in Officiis, Episcopali Sede vacante, & prouisionibus Canonicatuum? Et affirmatiuè respõdet idem *Garz. loc.sup. cit.n.*87. prout etiam tenuit Rota in Salamãtina Coadiutoriæ coram Penia, *quæ est decis.*307. *secundum Ve-*

net.in inquisitione, iuxta declarationem tamē eiusdem *Garz.ibid.n.*107.

40 Quod ambo in Ecclesia esse non possint, Coadiutus, & Coadiutor, & per consequens neque in Capitulo eodem tempore, cum unam tantū Personam representēt, Coadiutus, tamquam principalis, & Coadiutor, tanquam substitutus.

41 Tertiò, utrum in electionibus, seù prouisionibus, aut aliis actibus Coadiutor vices suas, sicuti potest Coadiutus, alteri committere valeat? iuxtà *c.penul.de elect.in* 6. Et videtur dicendum affirmatiuè, quia Coadiutor nō agit nomine Coadiuti, sed nomine proprio, & Ecclesiæ, sicq; non est Procurator Coadiuti, sed in eius locum subrogatus, & per consequēs, sicuti coadiutus, alteri vices suas committere possit: Tùm etiam, quia, etsi esset Procurator coadiuti, non esset specialis ad certum negotium, sed generalis ad negotia Ecclesię, & ità absque difficultate substituere posset, *c.1.§.fin.de procur.in* 6. *Garz.loc.cit.sub num.*131. Intelligendo tamen, ut su-

42 pra, quādo nō accedit Coadiutus. An autem Coadiutor foret citandus; & quatenus non citatus, an agere posset de contemptu? Videtur dicendum negatiuè, quia dispositio *c.quia propter, c.quod sicut, & c.per venerabilem de elect. & cap. ex eo eod.tit.in* 6. intelligēda est de Canonico, seù Capitulari vero, non autem de ficto, uti Coadiutor, viuēte Coadiuto, *Garz.d.c.5.cum ibi cit.n.*69. *& seq.* cum enim cōtemptus sapiat delictum, vt diximus supra, verba legum, & Canonum punientia delictum, intelligenda sunt cum effectu, & de vero contemptu.

43 Quartò, vtrum habens Dignitatem, ratione cuius gaudet voce in Capitulo, si fiat Coadiutor Canonici, vel è contra, duplici voce gaudere debeat? Negatiuè tenet *Garz. d. cap.*5. *sub num.* 131. volens, quod non habeat nisi vnam tantummodò uocem, sicuti habens Dignitatem, & Canonicatū in titulum, quia non debet esse melioris conditionis Coadiutor, quàm Proprietarius. Et supposito, quod in vna Persona concurrat Seruitium Dignitatis, & Canonicatus, parū refert, quod in vno seruiat vti Proprietarius, & in altero uti Coadiutor, videtur nihilominus posse etiam ita distingui; Vel in actu Capitulari agitur de re vtili, & fauorabili Ecclesiæ, & tunc Coadiutor, qui simul est Canonicus, habeat duas voces: Vel agitur de re vertente in damnum, & præiudicium Ecclesiæ, & tunc vnam tantùm vocem habeat, ex communi regula, quod fauorabilia sūt dilatanda, & odiosa restringenda, *cap. odia, vbi omnes Scribentes, cum Din. de regul.iur.in* 6.

Verū quod specialiter attinet ad Coadiutores Episcoporū, in *addit. ad Quaran. in summ. Bull. verbo Archiepiscopi Authoritas post n.*12. registrantur decreta Congregationis Sacrorum Rituum, tenoris, qui sequitur.

Die 31. Ianuarii. 1591. Congregatio Illustriss. DD. Cardinalium super Sacris Ritibus ad dubia, nomine Illustriss. DD. Cardinalium Paleotti, & Vesiē proposita, sic respondendum statuit.

44 *Ad primum dubium censuit, Coadiutori cum futura successione nō licere ingredi Ciuitatem Pontificaliter, quia licèt sit Coadiutor cum futura succcessione, ex quo tamen non habet ius in re sed ad rem, non debet recognosci, tanquā Superior, & caput, sed vti Coadiutor, & eo magis, quia contingere potest, vt non succedat in Episcopatu, sed prior moriatur*

45 *Ad secundum respondit, ipsum non debere vti Cruce in Diuinis, nec in functionibus Pontificiis, nec dum incedit per Vrbem, cum Crux sit signum, & ornamentum Dignitatis, & iurisdictionis, & Coadiutor vtraque careat.*

47 *Ad*

46 *Ad tertium censuit, Coadiutorem in Ecclesia Pontificalia exercentem, absente Archiepiscopo, vti posse cappa, cũ ea sit tantùm ornamentum* Dignitatis *Episcopalis; præsente verò Archiepiscopo, vti debere mantelletto, & rocchetto; neq; licere vnquá Coadiutori vti mozzetta, & Rocchetto, etiam absente Archiepiscopo, cum hoc proprium sit eius, penes quem est Dignitas, & iurisdictio.*

47 *Ad quartum respondit negatiuè, cũ vna Sedes, non capiat duos.*

48 *Ad quintum censuit, Canonicos esse compellẽdos, vt Coadiutori Episcopi soleniter celebranti, & Pontificalia exercenti semper assistant, alioquin indecorum videretur, si Episcopus sine Canonicorum assistentia celebraret; necnon videretur esse contra decretum Concilii Tridentini, quod extensiuè etiam huic casui accommodari potest.*

49 *Quòad circulos respondit, Canonicos non debere accedere ad circulos; cũ ipsi circuli denotent membrorum vnionem ad ipsum caput, & ex superiùs deductis constat, Coadiutorem non debere esse caput.*

50 *Quòverò ad confessionem faciendam cum celebrante solemniter, respondit, decere, vt Coadiutor Episcopus cofessionẽ faciat cum celebrante Sacerdote Canonico, & idem quoque benedicat in fine Missæ, nè Populus præsens Diuinis benedictione Episcopali defraudetur, & iam est vsu receptum, vt Episcopus benedicturus in fine Missæ, faciat etiam confessionem cum celebrante.*

51 *Ad sextum censuit, licere Coadiutori, de licentia tamen Archiepiscopi, benedicere Populo, dum per Ciuitatem incedit.*

52 *Ad septimum respondit, maximè decere, vt Canonici prodeant obuiam Coadiutori Episcopi, ad Ecclesiam Pontificaliter accedenti ad ostium Ecclesiæ, eúque discedentem ad idem ostium deducere; imo esset valdè commendandum, si nõnulli Canonici, officii, & urbanitatis gratia ad ipsius Coadiutoris ædes accederent.*

53 *Ad octauum respondit, Coadiutorẽ, non habere facultatem largiendi Indulgentias, & sic eas Archiepiscopi nomine, si quas Archiepiscopus concedere voluerit, esse publicandas.*

54 Illud nõ omittendum, quod Parochis habentibus Animarum curam, ob quorum cessum, vel decessum prouidendũ est Ecclesiæ vacãti per concursum, iuxta dispositionem Concilii Tridentini *sess. 24. de reform. c. 18.* dari nõ solet Coadiutor cum futura successione, uel saltem rarò, & nisi vrgentissimis exigentibus causis, quia id verteret in damnum Ecclesię, & Animarum salutis, quibus expedit à dignis, atque idoneis Parochis gubernari, *d. c. 18.* huiusmodi autem idoneitas meliori via, quàm per concursum haberi non potest, vt colligitur ex *text. & adductis per Barbos. ibid. à n. 59.*

55 E contrà verò Dignitatibus, & Canonicis non solet dari Coadiutor temporalis, nisi curam Animarum annexam habeant, *Monet. de distrib. p. 2. q. 1. n. 26.* vbi quod huiusmodi Dignitatibus, qui residere nequeunt, aut nolunt, aliter prouidetur, nempè per fructuum subtractionem & crescente contumacia,

56 etiam per priuationem; Nisi tamẽ ageretur de infirmitate, senectute, vel alio legitimo impedimento, quia tali casu, distributiones lucrantur etiam in absentia, ad tradita per eundem *Monet. d. p. 2. q. 6. n. 7.* quatenus scilicèt ante impedimentum soliti erant frequentare Ecclesiam, secus autem, quandò nõ frequentabant, vti pluries resoluit Rota.

57 Episcopis autem dantur Coadiutores temporales, secundum iuris dispositionem *in cap. un. de cler. egrot. in 6.* qui communi vocabulo dicuntur Suffraganei, & de stylo, exigente necessitate, aut euidenti vtilitate Ecclesię, dantur etiã Coadiutores perpetui cum futura

suc-

Digitized by Google

successione, vt constat ex superiùs dictis, & obseruatur in praxi.

58 Ea autem est differentia inter vtramq; Coadiutoriã, quia Coadiutor temporalis datur etiam inuito, vt colligitur ex *cap. 1. & seqq. vbi Abb. & DD. de cler. ægrot.* Coadiutor verò perpetuus cũ futura

59 successione dari non potest citra cõsensum coadiuti, *Mandos. in tract.*

60 *de signat. grat. tit. de coadiut. uers. coadiutorię aliquæ, & uers. seq.* vbi an coadiutor in Beneficio iurispatronatus sine consensu Patroni dari possit: Et an requiratur derogatio indulto Cardinalis, quatenus detur Coadiutor cum futura Successione in Beneficio comprehenso sub

61 eius indulto; *& uers. si tamen*, vbi, quod consensus Coadiuti videtur habere natura resignationis, quia eo ipso quod quis consentit, Beneficium suũ alteri conferri, videtur Beneficio cedere, *ad text. in cap. ex*

62 *transmissa, de renunc. & in cap. Beneficium, iuncta gloss. de regul. iur. in 6.* Sicuti etiam de iure ciuili omnia pacta super hæreditate prohibentur, nisi is, super cuius hæreditate pactum est, voluntatem suam accõmodauerit, *l. fin. ubi omnes Scribentes, C. de pactis.*

63 Alia item est differentia, quia Coadiutor temporalis, siuè Suffraganeus datur Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, requisito cõsensu Capituli, & Capitulariũ, *c. ex parte, & ibi Abb. de cler. ægrot. & c. un. eod. tit. in 6.* In dãdo verò Coad-

64 iutore perpetuo cum futura successione requiritur consensus Capituli, seù Capitularium, præsertim vbi vigent concordata: Qualis autem esse debeat huiusmodi consẽsus, qui est scopus præsentis sectionis, pro clariori resolutione placet hic extendere votum celebre Maraldi, tenoris, qui sequitur.

Colo-

Colonien. Coadiutoriæ, & Futuræ Successionis.

65 *MEnsibus præteritis, ex uoto huius Sacræ Congregationis rerũ Consistorialium, fuit à Sanctiss. Dom. Nostro concessa Coadiutoria, & futura Successio in fauorem Principis Maximiliani, Nepotis D. Ducis Bauariæ Electoris, & Canonici Colonien, cum narratiua, etiam consensus Capituli eiusdem Ecclesiæ, ac literæ Apostolicæ fuerunt desuper expeditæ, possessione etiam subsecuta.*

Sed quia Serenissimus Franciscus à Lotharingia Decanus Colonien, cum aliquibus Canonicis, sibi adhærentibus se opposuerũt gratiis prædictis, & post illas expeditas, conquestus est, se, eiusque Agentem non fuisse auditum, & ideò petebat, committi causam in Rota, ut sic redderet negotium iudiciale, non nisi magno temporis cursu termiuandum, & interim si mors Archiepiscopi accideret, possent gratiæ Apostolicæ iam factæ, & earum executio facilius impediri; & ideò negata per Congregationem discussione Rotali, tanquam insolita in negotiis Consistorialibus, fuit Agenti D. Decani ordinatum, ut informaret de nouo eandem Sacram Congregationem super omnibus suis obiectionibus.

Et quia etiam cõquerebatur, quod à Notario Capituli non poterat habere quædam acta Capitularia, scilicèt facta in denegãdo consensum Coadiutoriæ, & futuræ successioni, ad euitandum huiusmodi querelam, nedum in Capitulo Coloniæ fuerunt oblata eidem Decano ipsa acta Capitularia, sed etiam hic Romæ fuit data copia prædictorum actorum Capitularium Agenti D. Decani, & eidem quoque fuit in Mense Februarii præterito ordinatum, ut informaret Congregationem, præsupponendo nedum prædictam negatiuam Capituli, antea factã; sed etiã reliqua omnia acta Capitularia, sibi quomodolibet fauorabilia; sed adhuc distulit informare, etiam pluries monitus pro qualibet ex duabus

Con-

Digitized by Google

Cõgregationibus intimatis Quadragesimę, & in secunda hebdomada post festum Paschatis Resurrectionis, cumq; dubitetur, quod ipse agens D. Decani non informet, ad protrahendum finem cotradictionis, & Agens Principis Maximiliani pariter nõ informet, ne reddat negotiũ litigiosũ Coadiutoriæ, & futuræ successionis sui Principalis, ideò mihi iniunctũ fuit, vt rationes huiusmodi per literas missiuas, & oretenus deductas in scriptis ponerem: Quare, vt oneri satisfaciã, propono sequentia.

Nam primò D. Decanus opponit, quod Capitulum Colonien antea negauerat consentire Coadiutoriæ, & futuræ successioni, ex eo quod Archiepiscopus est in bono statu Sanitatis.

Secundò, quod consensus postea à Capitulo præstitus non est attendẽdus, tanquam præstitus à Canonicis, quorum in magna parte sunt Familiares Archiepiscopi Electoris Coadiuti, & D. Ducis Bauariæ Electoris, Patrui eiusdem Principis Maximiliani Coadiutoris, qui propterea fuerunt suspecti in Capitulo, & ideò eorum vota non sunt attendenda, sine quibus maior pars remaneret pro negatiua consensus.

Tertiò, quod exclusis prædictis Canonicis recusatis, maior pars reliquorum esset pro D. Decano, vt scilicèt ipse fuisset deputandus Coadiutor, & futurus Successor prædicti Archiepiscopi, quodque propterea eidem Decano per dictũ Capituli fuerat ius quæsitum, cui iuri non censetur derogatum, & per Sanctitatem suam præiudicatum, cũ regulę de iure quæsito non tollendo non fuerit derogatum.

Sed quia huiusmodi obiectiones fuerunt deductæ, & discussæ in Congregatione, quando fuit datum votum pro expeditione Coadiutoriæ, & futurę successionis, ideò deducam inferiùs rationes tunc allegatas ex quibus resultat, prædictas obiectiones posse dici irreleuantes, & sic standum in Decretis

Prima enim obiectio fundata in bona ualetudine Coadiuti non fuit habita pro releuante, quoniam Coadiutoria, & futura successio nõ petebatur, nec fuit à Sanctissimo cõcessa propter infirmitates Coadiuti, sed potius, vt detur Persona potens, quæ possit iura illius Ecclesiæ tueri aduersus Hæreticos, præsertim istis temporibus Belli, adhuc uigentibus in in illis Partibus; ista enim causa fuit visa relcuans, præsertim aduersus contradictiones aliquorum Capitularium, qui in euentum vacationis huius Ecclesiæ possunt suscitare turbines, & valdè deteriora iura contra iurisdictiones, & bona huius insignis Ecclesiæ.

Et ideò in Breui, expedito per Sanctissimum, & directo Capitularibus, vt tractaretur de Coadiutore, & futura successione, non narratur infirmitas, sed ætas Archiepiscopi, & periculum imminens prædictæ Ecclesiæ in euentum suę mortis, & per consequens uacationis huius Ecclesiæ, positæ in confinibus Hæreticorum.

Nec releuat, quod Capitulum antea negauerit consensum, quia cum in istis casibus voluntariis sit locus pœnitentiæ,
66 & mutationi voluntatis, præsertim in executionem Breuis hortatorii Sanctissimi sufficere debet, quod postea Capitulum consenserit, nam vltima derogant prioribus.

Secunda obiectio non fuit pariter habita pro releuante, tùm quia cũ Ecclesia Colonien non vacaret, non intrabant cõcordata Germaniæ, vt Capituli consensus esset necessarius, & Sanctissimus, ac Congregatio solùm considerarunt consẽsum Capituli ad euitandas querelas, quæ de facili oriri solent, si ingratiis præuentiuis non expectetur consensus Capituli, undè cum non requiratur consensus formalis, sed sufficiat undequaq; collectus, cessat obiectio ex superueniẽte consensu quomodolibet præstito.

Tùm etiam, quia Canonici electores non possunt recusari, cum de iure hoc nõ sit permissum, alias aperiretur via priuandi electores eorum facultate eligendi, mediante allegatione suspicionis; &
67 ideò Pater potest votare pro Filio, & è contra, vt in l. illud. & l. seq. ff. quod cuius. vniu. nom. Zabarell. in t. consuluit, n.

3. &

3. & 4. de iurep. Franc. Marc. decis. 624. num. 3. Et ratio est, quia, nè præsumatur delictum, potius præsumitur, electorem habere præ oculis ius, & interesse publicum, quàm priuatum sanguinis, & amicitiæ, ut dicit Castren. in l. ille nu. 10. ff. quod cuius. uniu. nom. & tenuit Rota coram Cipsio in Hispalen voti 15. Martii, 1596. ubi fuit dictum, Familiares posse votare pro Archiepiscopo, & sequitur Rota coram Burat. decis. 598. nu. 3. & seq. & decis. 629. n. 6.

68 Tùm deniquc, quia etiamsi admitteretur allegatio suspicionis, tamen requireretur causa releuans, qualis non esset sola Familiaritas ex supra allegatis.

Tertia quoque obiectio cessat ex iam deductis, quia sunt attendenda vota Capitularium, & ità D. Decanus à minore parte nominatus non potuit acquirere aliquod ius, præsertim, quia, ut supra dictum est, cum Ecclesia nõ vacaret, nullum ius sibi dare potuit consensus etiam totius Capituli, quoniam non erat locus Concordatis Germaniæ.

Imò ad excludendum D. Decanum à Coadiutoria, & futura successione, sufficiebat contradictio Archiepiscopi, qui solùm consentiebat deputationi Principis Maximiliani, ideò cum D. Decano nõ esset aliquod ius quæsitum in hac Ecclesia, nec deputatio Coadiutoris, & futuri successoris, ad euitandum votum captandæ mortis, soleat concedi, nisi de consensu Coadiuti, sequitur, frustra allegari, quod fuerit præiudicatum D. Decano, nec quod sibi fuerit aliquod ius ablatum, si nullũ fuerit ius quæsitum, meritò non erat necessaria derogatio regulæ, de iure quæsito non tollendo.

Propterea cum nihil releuans deducatur, videtur eidem Decano imponendũ perpetuum silentium super Coadiutoria, & futura successione prædictis, saltem per Breue expeditum de voto huius Sacræ Congregationis. Hæc Maraldus.

69 Quæ licèt de se clara sint, quia tamen nihil est tàm indubitatum, quin solicitam aliquã cauillationem suscipere queat, Deci. in l. ea est
70 natura, ff. de reg. iur. pro maiori dilucidatione notandum est, vota Capitulariũ, tàm in electionibus, quàm in aliis actibus, & negotiis tripliciter dari posse: Primò scilicèt per formale Scrutinium, quãdo viduatis prouidendum est Ecclesiis, iuxtà statuta in sæpius cit. c. quia propter, de elect.

71 Secundò, quandò cõgregatis pariter omnibus Capitularibus, seù illorum maiori parte, eorumque nominibus per Secretarium, aut Scribam recensitis, propositoq; negotio per Præsidentem Capituli, colliguntur secreta suffragia in urna, Italicè, in buxola, seù oretenus, fitque collatio votorum fauorabilium, & contrariorum.

72 Et tertiò, quandò simul existentibus Capitularibus, extenditur aliquod agẽdum in folio, cui omnes, vel quibus placet, subscribunt in eodem loco, vel alibi. Hocq; ultimo modo consensus à Capitularibus nõ dicitur datus capitulariter, sed vti singulis.

73 Hoc posito, quod attinet ad cõsẽsum per formale Scrutinium, iuxtà dispositionem c. quia propter de elect. nullibi, siuè in iure Canonum, siuè ciuili, reperitur cautum, quod in expediendis actibus Vniuersitatis, Secularis, aut Ecclesiasticæ, procedendum sit per viam Scrutinii, eligendo tres Scrutatores de gremio Collegii, qui vota singulorum exquirant, in scriptis redigant, &c. hoc vno excepto prouidẽdi viduatis Ecclesiis, ut pluries tenuit Rota, & specialiter in Leodien Decanatus
74 coram Manzanedo 26. Februarii 1627. ubi, quod huiusmodi dispositio nõ potest habere locum, nisi in illis Ecclesiis, quæ verè possunt dici viduatæ, ut per Scribentes in eod. c. quia propter, cum Barbos. n. 8.

75 Si tamen ad parendũ Breui hortatorio, de eligendo Coadiutorem cum futurà successione, illum eligerent capitulariter per Scrutinĩũ, sustineretur quidem, nõ, ut electio,

sed

sed uti simplex consensus deputationi futuri Sponsi, quandocumq; viduabitur Ecclesia, faciendæ per Papam, non autem quatenus per electionem initiatur vinculū spiritualis matrimonii; quia ius eligēdi, quo gaudent Capitula Germaniæ, non competit ipsis, Episcopali, seù Abbatiali Sede plena, sed oritur dumtaxat, vacante Sede; facultas enim eligendi habet in se conditionem, tacitam quidem ex natura rei, & expressā in *eod. c. quia propter*, hoc est, adueniente vacatione, ibi: *cum electio fuerit celebrāda*; dictio enim, *cū*, adiecta verbo futuri temporis, importat conditionem *l. Si Titio ff. quan. di. leg. ced. l. 1. et l. hæres meus §. hæres meus, ff. de cond. et demonstr.* In huiusmodi autē cōditionaris demōstrationibus nō
77 oritur actio, nisi post conditionis aduentum, *l. interdum, 73. ff. de uerb. oblig. ibi.* Interdum pura stipulatio in re ipsa dilationem capit, veluti si id, quod in vtero est, aut fructus futuros, aut domum ædificari stipulatus sit, tunc enim incipit actio, cum ea per rerum naturam præstari potest: Concordat textus in *l. interstipulantem, §. sacram ff. de verb. oblig. ibi*, Si stipulatus fuero ex fundo cētū amphoras vini, expectare debeo, donec nascatur, & si natum sine culpa promissoris consumptum sit, rursus expectare debeo, donec iterum nascatur, & per has vices aut valituram, aut cassaturā stipulationem: Item *l. 1. §. ineſt, de cōdit. et demonstr. et l. item quia §. huius*
78 *rei. ff. de pact.* vbi ex promissione dotis non oritur actio ante secutū matrimonium, quia in tali dispositione inest conditio, *si*, seu, *cum* sequatur matrimonium.

79 Consensus igitur pro deputando Coadiutore cū futura successione sicuti capitulariter sufficit absque formali Scrutinio, sicuti pluries affirmauit Rota, præsertim in Argentinen Coadiutorię, 21. Februarii, 1631. coram Ghisilerio, quæ est *decis. 20. p. 6. recent.* vbi habuit pro sufficienti consensu ad Coadiutoriam, & futuram Successionem mādatum procuræ factum capitulariter ad consentiendum dictæ Coadiutoriæ in Curia; sub-
80 dens, sufficere attestationem Notarii, mandatum fuisse capitulariter factum: Quæ omnia confirmātur in alia decisione, 21. Maii subsequentis, *36. ead. p. 6. recent.*

81 Ita non leuis oritur difficultàs, An huiusmodi consensus sit necessariò capitulariter dandus? licèt enim videatu, affirmatiuè tenendum ex *Abb. in cap. cum omnes n. 7. de constit.* quia cæteroquin non esset differentia inter consensum Collegii. & consensū priuatorum. *gloss. notab. in l. sicut, ff. quod cuius. uniu. nom.* vbi quod si ōnes homines Vniuersitatis esset īplatea, & aliquid facerēt, non diceretur ille actus
82 ab Vniuersitate factus, sed à singulis, quia ad hoc, vt dicatur actus gestus ab Vniuersitate, oportet, quod more solito congregetur Collegiū, ibiq; fiat cōclusio de explicatione actus, *Abb. loco cit. ubi ex Bar. in l. omnes Populi, ff. de iust. & iur.* ponit duas regulas; quarum prima
83 est, quod in factis Collegii consēsus præstari debeat in communi,
84 *cap. in Genesi, de elect.* Altera verò, quod etiam in spectantibus ad singulares Personas consensus pariter præstari debeat in communi, quando maior pars habet præualere minori, vt est casus notabilis in *l. suum hæredem ff. de pact.* Et ratio est, quia, ex quo secundum dispositionem iuris communis valent concluſa per maiorem partem, debet minor pars vocari, vt possit ad
85 suam sententiam ducere maiorē, *Abb. ibid. n. 11.* vbi quærens, quot de Vniuersitate interuenire debeant, ad hoc vt actus valeat? resoluit secūdum Legistarum, & Canonistarum opinionem, quod duæ partes

Digitized by Google

interuenire debēt, *l. nulla, ff. quod cuius. uniu. nom. et l. nominationē, C. de decurio. lib.* 10. Et ex huiusmodi duabus partibus maior pars ad minus consentire debet, *l. quod maior ff. ad municip. cap. 1. et cap. fin. de his, quæ fi. à maior. par. Cap. Rota d. dec.* 20. *et dec.* 36. *p.* 6. *recent.* & vidimus supra.

Nihilominùs prędictis omnibus
86 non obstantibus, sicut aliàs tenui, iterum firmissimè teneo cum Maraldo, quod in præsenti materia dandi Coadiutorem Episcopo, vel Abbati, cùm futura successione, sustineatur gratia Sanctissimi, præuio consensu Capitularium undequaq; collecto: Quod ut clariùs pateat, ponamus exemplum, quod lecto in Capitulo Breui adhortatorio eligendi Coadiutorem cum futura successione, zelantiores de Capitulo necessitatem agnoscētes, vel euidentem vtilitatem Ecclesiæ, & ex alio capite timētes de aliquo tumultu, qui ex multitudine sępius oriri solet, rem imperfectam relinquant; deindè extra Capitulum extendant cōsensū in folio, & ab omnibus, vel maiori parte subscribi procurent, cuius consensus intuitu expediatur gratia Coadiutoriæ, & futuræ successionis, attenta, ut diximus, necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, nescio videre, quare huiusmodi
87 gratia sustineri non debeat, quia de defectu potestatis Papæ non est dubitandum, nō enim taliter assensit concordatis, ut sibi manus ligauerit, *Rota decis.* 114. *nu.* 4. *p.* 6. *recent.* Inobseruantia formæ nō potest adduci, cum nihil reperiatur in iure scriptum super huiusmodi materia, ac proindè tota amaritudo reducatur ad hoc, quod sicut in prouidendo viduatæ Ecclesiæ requiritur electio per Scrutinium, ita etiã
88 requiratur in eligēdo futuro Successore: Cui argumento de facili respondetur; ideò scilicèt requiri Scrutinium in prouidendo viduatę Ecclesiæ, quia hoc pro forma sta-
89 tuitur in *d. cap. quia propter de elect.* quod non reperitur de iure statutū pro consensu deputationi futuri Successoris, ut supra dictum est: Et ratio diuersitatis est etiam euidens, quia in prouidēdo viduatæ Ecclesiæ per actum electionis initiatur vinculum spiritualis matrimonii inter Ecclesiam representatam à Capitulo, & Electum, *c. inter Canonicos de elect. & c. fin. de transl. Episc.* Nō
90 sic autem per consensum deputationi futuri Successoris, quia per huiusmodi consensum non potest initiari vinculum cū Ecclesia spiritualis matrimonii, quæ non est viduata, sed habet sponsum, & in substantia, ac veritate nihil aliud
91 faciunt Capitulares, quàm ad fauorem talis Personæ à Papa in futurum Successorem deputandæ, cedere iuri ipsis competituro eligendi nouum Sponsum, aduenientе casu viduitatis Ecclesiæ, atque ideò à diuersis non est facienda illatio.

Vna supereſt difficultas, & quidē non leuis, videlicèt, admisso, quod facultas eligendi pertineat, non
92 ad Capitulum, uti Capitulum, sed ad Capitulares, prout constare videtur ex eo, quia consensus contēpti extra Capitulum datus cōualidare potest electionem, ob sui con-
93 temptum nullam, seù annullandā; vtrum requiratur consensus omnium Capitularium, nec sufficiat maioris partis, quando uti à singulis præstatur extra Capitulum? Su-
94 per quo videtur respondendum affirmatiuè, saltem quod vocari debeant, & requiri, nè videantur contempti, quia cum in spectantibus ad singulos possit quilibet per se præstare consensum, *l. per fundum, ff. de ser. vrb. præd.* debet cuiuslibet
95 consensus requiri; nihilominus quod requiratur omnium consensus formalis, nec sufficiat tacitus, & valeat dissensus aliquorū; ex eo quia in re cōmuni pluribus, uti singu

Digitized by Google

gulis, aut super iure singulari, non valet quidquid facit maior pars, sed oportet, ut consentiant omnes, quibus fit præiudicium, *Abb. in cap. cum omnes nu. 5. de constit.* Et quando prætenditur, vt maior pars debeat præiudicare minori, etiam in actibus, ad singulos spectantibus, debēt omnes, ad quos actus pertinent, simul conuocari, *Bar. in l. omnes Populi, ff. de iust. & iur. Abb. in c. per venerabilem de elect.*

96 Et ratio est, quā supra tetigimus, quia ex quo secundum iuris dispositionem valent concluſa per maiorem partē, minor vocari debet, vt ad suam sententiam maiorem trahere possit, *Abb. in d. c. cum omnes n. 18. de constit.* ubi subdit, se per hoc impugnare dictum Canonistarum, qui tenēt, Patronos simpliciter præ-
97 sentare posse, cum enim Patronorum maior pars præualeat, *c. 3. de iure rep.* minor pars à principio vocari debet, secundum doctrinam *Bar. l. c.* Quam impugnationem non admittit *Franc. Marc. decis. 1030. n. 7. p. 1. ubi ex Ioann. Andr.* & communi Doctorum sententia vult, quod præsentatio maioris Patronorū partis præualeat, etiam facta in particulari, & non vocata minori parte; quo casu dicatur maior pars Patronorum comparatione minoris partis, non respectu omnium, quando videlicet præsentarent, uti singuli, secus si præsentarent, ut Collegium, quia tunc requiritur maior pars Collegii, *Ioann. Andr. in d. c. 3. de iure patr.* Quæ sententia si admittatur, melius erit pro deputatione Coadiutoriæ cum futura successione, requirere consensū Capitulariū extra Capitulum, quàm collegialiter in Capitulo.

98 Quod verò Summus Pontifex possit deputare Coadiutorem cum futura successione de solo consensu Coadiuti, irrequisito Capituli, seù Capitularium consensu, absque eo, quod dicatur contrauenire cō-
cordatis, liquidè constat, nō solum ex suprema eiusdem potestate in beneficialibus, ut visū est in principio Operis, verùm etiam ex ipsa Bulla concordatorū, in cuius vim, non obstante legitima, & canonica electione Capituli, Papa ex rationabili, & euidenti causa, de utiliori Persona prouidere potest; ac proindè rationabili, & legitima existēte causa, futurum Successorem deputare valet.

99 Nec refragatur obiectio, quod per talem futuri Successoris deputationem Capitulū priuaretur iure eligendi, adueniente obitu Coadiuti, contra dispositionem iuris, & regularum Cancellariæ, de nō tollendo iure quæsito: Quia ut supra visum est, Capitulis nullum cōpetit ius eligendi, Episcopali, seù Abbatiali Sede plena, sed tale ius solùm oritur, vacante Sede; ac proindè dici non potest, quod per dationē huiusmodi Coadiutoris, & futuri Successoris Papa tollat ius, quod non est, *cap. ad dissoluendum, de despons. impub. l. eius qui in Prouincia, vers. quo-*
100 *niā ff. si cert. pet.* Sed potius quod Papa impediat, nè oriatur ius eligēdi adueniente vacatione, quod non est quid considerabile, iuxtà supra citatam *l. inter stipulantem, §. causam,*
101 *ff. de verb. oblig.* Caret autē culpa, & nemini facit iniuriam, qui utitur iure suo, *c. cū Ecclesia 31. de elect. l. iniuriar. ff. de iniur. l. si quis indebitum, C. de condit. ob caus. cum concord.*

SECTIO VIGESIMATERTIA.

De conficiendis Processibus super requisitis in promouendis ad Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias.

SVMMARIVM.

Processus super requisitis in promouendis, quotmodò, & à quibus conficiendi n. 1. & seqq.

Interrogatoria ad formam Bullæ Gregorii Decimiquarti.9.
Interrogatoria pro transferendo ad aliam Eccleſiam.13.
Interrogatoria ſuper ſtatu Eccleſiæ.14.
Interrogatoria pro informatione ſtatus Monaſterii.15.

DE virtutibus, & qualitatibus requiſitis in promouendis ad regimina Cathedralium Eccleſiarum diximus ſupra, *Sect.* 19. §.... Verùm quia de iis per legitima documenta conſtare debet, iuxtà diſpoſitionem, & formam traditã in Bulla Gregorii XIV. apud *Cherubin.tom.2.fol.*691. ideò conficiunt
1 proceſſus ſuper ætate, legitimis natalibus, an ſex mẽſibus antea fuerit in Sacris Ordinibus cõſtitutus, an in Vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiuè Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, aut iure Canonico, vel publico alicuius Academiæ teſtimonio ad alios docendos oſtendatur idoneus, an ſit bonæ vocis, conditionis, & famæ, an in rebus agendis pro Epiſcopatus adminiſtratione ſit aptus.

2 Qui quidem proceſſus ſi conficiẽdi ſint extra Romanam Curiã, hoc munus ſpectat ad Legatos Sedis Apoſtolicæ, ſeù ad Nuncios Prouinciarum in locis, in quibus commorantur: Si non adſunt Legati, vel Nuncii, ſpectat ad Ordinarios Perſonarum promouendarum, & ipſis deficientibus, ad Ordinarios viciniores, qui ordo gradatim eſt obſeruandus, nec quiſquam hoc munus arrogare ſibi debet, nõ ſeruato ordine ſupradicto; niſi Romano Pontifici per ſpeciale mandatum alicui delegare placuerit; quo caſu de dicto ſpeciali mandato in principio proceſſus conſtare debet.

3 Si aliquis ex Prælatis, ad quem ordine ſupradicto ſpectat conficere proceſſum, conſanguinitate, vel affinitate, vſq; ad tertium gradum incluſiuè cũ promouẽdo cõtingat, ipſũ eſſecõiũctũ, excludẽdus eſt ab hoc munere, quod eo caſu ad illũ deferatur, qui proximè ſequitur, eodẽ ordine, & gradu ſeruato: Sicuti ſi quis legitimè impeditus per ſe ipſum conficere non poſſit, eodem ordine transferatur, & gradu, ad alium Prælatum, impedito viciniorem.

4 Quod ſi proceſſus in Romana curia ſit conficiendus, & Eccleſia, vel Monaſterium, cui eſt prouidendum, ſit ad nominationẽ, ſeù præſentationem Imperatoris, ſeù alterius Regis, aut Principis, huiuſmodi munus ſpectat ad Cardinalem, qui apud Summũ Pontificẽ, & Sedem Apoſtolicam eſt Protector illius Prouinciæ, in qua ſita eſt dicta Eccleſia, ſeù Monaſterium; aliàs proceſſus conficiendus erit per Cardinalem, à Papa deputandum, qui de huiuſmodi deputatione, vt appareat, procurare debebit, modo ſcilicèt ordinario per atteſtationem Notarii in principio proceſſus.

5 Si proceſſus confici debeat de qualitatibus Archiepiſcopi, vel Epiſcopi extra Romanam Curiã degentis, qui de vna ad aliam Eccleſiam ſit transferendus, hoc munus, deficiente Legato, vel Nuncio Apoſtolico illius Prouinciæ, ſeù Regni, vbi ſita eſt Eccleſia, à qua quis erit transferendus, ad Metropolitanum pertinet, quatenùs transferendus ſit Epiſcopus, ſi verò ſit Metropolitanus, ad antiquiorem Epiſcopi Suffraganeum præſentem.

6 Quod ſi Prælatus inquirens ob locorum diſtãtiam teſtes per ſeipſum ſuper aliquo articulo, puta ſuper legitimis natalibus, vel ætate, aut altero huiuſmodi commodè examinare non poſſet, partem illam alteri Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, non autẽ uniuersam inquiſitionem ſubrogare licebit.

Quò

7 Quòd verò ad processus conficiẽdos pro habenda informatione ſtatus Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, quibus prouidendum erit, iidẽ Prælati conficere debent, qui proceſſum de qualitatibus promouendorũ confecturi ſunt. Quod ſi contingat, in alia Prouincia, vel Regno eſſe Eccleſiam, & in alia promouendum, tunc Prælatus inquirens ſuper qualitatibus promouendi, ſubdelegare poterit Epiſcopum viciniorem Eccleſiæ, vel Monaſterio ad munus conficiendi proceſſum ſuper ſtatu dictæ Eccleſiæ, vel Monaſterii.

8 Porrò quicumque confecturus eſt proceſsum ſuper qualitatibus promouendi, licèt ſit Legatus, non per ſuos Vicarios, Auditores, vel alios Miniſtros, ſed per ſe ipſum id exercere debet, quamuis ab huiuſmodi Perſonis peritis adiuuari poſſit: Animaduertendo, nè recipiantur Teſtes à promouendo, vel pro parte ſua inducti, neque articuli ab ipſo, vel pro parte ſua producti, ſed Prælatus inquirens interrogatoria, ſeù articulos, prout infra, formabit, & ſuper eis Teſtes examinabit, ſigillatim, & ſecretò, recipiendo ſingulorum iuramentum, ab Epiſcopis tacto pectore, ab inferioribus verò, cuiuſcumque ſint qualitatis, tactis Sacris Scripturis, ità atteſtante Notario: Teſtes ſint Viri graues, pii, prudẽtes, docti, & qui de qualitatibus promouendorum rectum iudiciũ ferrè valeãt, ſincerumque, ac fidele teſtimonium ſint daturi. Qui quidem Teſtes, ſicuti non ſanguine attinentes, aut nimium familiares, ità neque inimici, aut æmuli Perſonæ promouendæ debent eſſe.

9 Interrogatoria, quæ iuxta formam, & diſpoſitionem ſupra citatę Bullæ Gregor. XIIII. facienda erũt Teſtibus examinandis in ſupradictis proceſſibus, ſunt.

1 *An ipſe Teſtis cognoſcat N. promouendum, quomodo, & à quanto tempore citra, an ſit ipſius Teſtis Conſanguineus, Coguatus, affinis, nimium familiaris, gemulus, inimicus, aut odioſus?*

2 *An ipſe Teſtis ſciat, in qua Ciuitate, vel loco, & Diœceſi promouendus ſit natus, & quæ ſit cauſa Scientię?*

3 *An ipſe Teſtis ſciat præfatum N. natum ex legitimo Matrimonio, atque honeſtis, & Catholicis Parentibus, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

4 *An ipſe Teſtis ſciat, cuius ætatis præfatus N. & præſertim an 30. annos expleuerit, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

5 *An ipſe Teſtis ſciat, præfatum N. in Sacris Ordinibus eſſe conſtitutum, in quibus, & à quo tempore citra, præſertim an ante ſex Menſes, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

6 *An ipſe Teſtis ſciat præfatum N. in Eccleſiaſticis functionibus, & in exercitio ordinum ſuſceptorum diù verſatum, & in ſuſceptione Sacramentorum frequentem, & deditum, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

7 *An ipſe Teſtis ſciat, præfatum N. ſèper Catholicè vixiſſe, & in Fidei puritate permanſiſſè, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

8 *An ipſe Teſtis ſciat, præfatum N. innocentiæ vitæ, bonisque moribus præditum eſſe, atq; bonæ converſationis, & famæ, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

9 *An ipſe Teſtis ſciat præfatũ N. eſſe virum grauem, & prudentem, uſuq; rerũ præſtantem, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

10 *An ipſe Teſtis ſciat, præfatum N. aliquo gradu in ſacra Theologia, vel iure Canonico inſignitũ eſſe, quibus in locis, à quanto tempore, & quo fructu ipſi Theologiæ, vel iuri Canonico operam dederit, & an verè ea doctrina polleat, quæ requiritur in Epiſcopo, ad hoc vt alios docere poſſit, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?*

11 *An ipſe Teſtis ſciat, præfatũ N. aliquo munere functum eſſe, vel circa Animarum curam, aut regimen alterius Eccleſiæ ſe exercuiſſe, & qualiter in eis ſe geſſerit, tàm quoad doctrinã, quã quoad prudentiam, integritatem, & mores, & quæ ſit cauſa ſcientiæ?* 12.

Digitized by Google

12 *An ipse Testis sciat, præfatũ N. aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa Fidem, mores, aut doctrinã, vel aliquo corporis, aut animi vitio, alioue canonico impedimento teneri, quominus ad Ecclesiam Cathedralem promoueri possit, & quæ sit causa scientiæ?*

13 *An ipse Testis sciat, seù existimet præfatum N. idoneum ad bene regendã Ecclesiam Cathedralem, & præsertim eam, ad quam præfatus N. est promouendus, an dignum, qui ad illam promoueatur, & an ipsius promotionem Ecclesiæ vtilem, & proficuam futuram esse, censeat, & quarè ità existimet, & de causa scientiæ.*

10 Si promouendus nullum habeat gradũ in sacra Theologia, vel iure Canonico, necesse est, ut præter probationem aliundè habendam, circa eius doctrinam, exhibeatur publicũ alicuius Academiæ testimonium, quo idoneus esse declaretur ad alios docendos, quę Populum Christianum sciré oportet: Quod testimonium si non publicæ Academiæ, grauium saltem Virorum in sacra Theologia, vel in iure Canonico peritorũ exhibendum est, quando promouendi sũt nati in Prouinciis, vel locis, in quibus non extant Vniuersitates Studiorum, neque consuetum est, aliquem gradum susci pi.

11 Quæ omnia supradicta seruanda sunt, non solùm quandò promouendus ad Ecclesiam Cathedralẽ est Secularis, sed etiam si Religiosus: Verùm quia Regulares non solent ut plurimum susci pere insignia Doctoratus in Vniuersitate Studiorum, necesse est, ut Regularis à suis Superioribus Regularibus testimonium habeat sufficientis doctrinæ, & quod sit aptus ad alios docendos: Nomine autem Superiorum intelliguntur dumtaxat ii, qui in suo Ordine alium Superiorem non cognoscunt, & in eorum absentiam Vicarii, seù Cõmissarii Generales, et in Romana Curia Procuratores Generalẽ Ordinum, aut Congregationum.

12 Sicuti suo modo seruanda sunt in processibus conficiendis super qualitatibus eorum, qui in Consistorio ad Dignitates Abbatiales, vel Priorales, & Monasteriorum regimina, aut alias Regularium Præfecturarum promouendi sunt, vel confirmandi, mutatis mutãdis, respectu Ecclesiæ Cathedralis, & respectu Monasterii, vel Dignitatis; Addendo interrogatorium circa Professionem Ordinis, & tempus, quo illam emisit: Quò verò ad ætatem, sufficit interrogare, cuius ætatis sit, ad annum trigesimum non restringendo.

13 Si iam Episcopus transferendus est ad aliam Ecclesiam, non sufficit processus, aliàs confectus super eius qualitatibus, & requisitis, quãdo ad priorem Ecclesiam promotus fuit, sed opus est nouo processu, in quo Testes examinentur, ut infra.

1 *An ipse Testis cognoscat Episcopum transferendum, quomodo, & à quanto tempore citra, an sit ipsius cõsanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, æmulus, vel odiosus?*

2 *An ipse Testis sciat, ipsum consecrationis munus accepisse, & quæ sit causa scientiæ?*

3 *An ipse Testis sciat, per quot annos fuerit Episcopus Ecclesiæ N. & quæ sit causa scientiæ?*

4 *An ipse Testis sciat, eũ in sua Ecclesia, & Diœcesi assiduè resedisse, & quę sit causa scientię?*

5 *An ipse Testis sciat, eum diligenter, & sæpè dictam Ecclesiam, & Diœcesim visitasse, opportunè omnibus necessitatibus occurrisse, & prouidisse, eiusq; decreta, & mandata debitę executioni demãdari curasse, & quę sit causa scientię?*

6 *An ipse Testis sciat, eum solemniter celebrasse, ordinationes iuxta necessitatis exigentiam habuisse, confirmationis Sacramentum ministrasse, cæteraq; Pontificalia exercuisse, & quę sit causa scientię?*

7.

Digitized by Google

7 *An ipse Testis sciat, eum pietatis, charitatis, & prudentiæ in gubernando specimen dedisse, ac verbo, & exemplo profecisse, & quæ sit causa scientiæ?*

8 *An ipse Testis sciat, eũ prudenter vbilibet, & diligenter se gessisse in defendendis, cõseruandis, & protegendis iurisdictionibus spiritualibus, & temporali, iuribus, ac bonis omnibus suæ Ecclesiæ, & quæ sit causa scientiæ?*

9 *An sciat ipse Testis, verè ea doctrina ipsum ad præsens pollere, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, & quæ sit causa scientiæ?*

10 *An ipse Testis dignum eũ existimet, qui transferatur ad Ecclesiam N. & an censeat, eius translationem fore ipsi Ecclesiæ N. vtilem, & proficuam, & quarè ità censeat, & existimetur?*

14 Pro informatione verò super statu Ecclesiæ interrogandi sunt Testes, ut sequitur.

1 *An ipse Testis sciat, in qua Prouincia reperitur sita Ciuitas N. cuius situs, qualitatis, & magnitudinis sit, quot cõfletur domibus, & à quot Christi fidelibus inhabitetur, cuius dominio in temporalibus subiaceat; & quæ sit causa scientiæ?*

2 *An ipse testis sciat, in illa Ciuitate esse Ecclesiam Cathedralem, vel Metropolitanam, sub qua inuocatione, cuius structuræ, & qualitatis, & an aliqua reparatione indigeat, & quæ sit causa scientiæ?*

3 *An ipse Testis sciat (quatenus Ecclesia sit Archiepiscopalis) quot Suffraganeos habeat, & qui sint (quatenus verò Episcopalis) an sciat, cui Archiepiscopo sit Suffraganea, & de causa scientiæ?*

4 *An ipse Testis sciat, quot, & quales sint in dicta Ecclesia Dignitates, Canonici, & alia Beneficia Ecclesiastica, quis sit numerus omnium Presbyterorum, & Clericorum inibi inseruientium, quæ sit Dignitas maior post Pontificalem, quales sint redditus Dignitatum, Canonicatuũ, & aliorum Beneficiorum, & an adsint præbendæ Theologalis, & Pœnitentialis, & quæ sit causa scientiæ?*

5 *An ipse Testis sciat, quod in ea exerceatur cura Animarum, per quem, & an sit in ea Fons Baptismalis, & de causa scientiæ?*

6 *An ipse Testis sciat, quod habeat Sacrarium sufficienter instructum sacra suppellectili, cæterisque rebus ad Diuinum cultum, & ad Pontificalia exercenda necessariis, Organum Campanile cum Campanis, Cœmeterium, & quæ sit causa scientiæ?*

7 *An ipse Testis sciat, quod in ea sint corpora, vel aliquæ Reliquiæ insignes Sanctorum, quomodo asseruentur & quæ sit causa scientiæ?*

8 *An ipse Testis sciat, quod habeat domum pro Episcopi (seù Archiepiscopi) habitatione, vbi, & qualem, & quantum distet ab Ecclesia & an si indigeat aliqua reparatione, & quæ sit causa scientiæ?*

9 *An ipse Testis sciat verum valorem reddituum Mensæ Archiepiscopalis (seù Episcopalis) ad quam summam annuatim ascendant, in quibus consistant, an sint aliqua pensione grauati, ad cuius, vel quorum fauorem dicta pensio sit reseruata, & de causa scientiæ?*

10 *An ipse Testis sciat, quot existant in illa Ciuitate Ecclesiæ Parochiales, & an unaquæque habeat suum Fontem Baptismalem, quot in illa existant Collegiatæ, quot Monasteria Virorum, & Mulierũ, & Cõfraternitates, & Hospitalia, & an sit ibi Mons Pietatis, & de causa scientiæ?*

11 *An ipse Testis sciat, quantum sit ampla Diœcesis, quot, & quæ loca complectatur, & de causa scientiæ?*

12 *An ipse Testis sciat, quod in ea sit erectum Seminarium, quot in eo Pueri alantur, et quæ sit causa scientiæ?*

13 *An ipse Testis sciat, quod dicta Ecclesia vacet, quando, & quo tempore citra, & de causa scientiæ?*

15 Et pro informatione status alicuius Monasterii interrogantur Testes, vt sequitur.

„ In qua Prouincia, & Diœcesi sit
„ Monasterium N. cuius Ordinis, &
„ quis sit numerus Monachorum, &
„ quis eos, tanquam caput regat,

rege-

„ regere cõsueuerit: Sub qua ſuoca-
„ tione ſit Eccleſia ipſius Monaſte-
„ rii, cuius ſtructuræ, & qualitatis, an
„ indigeat reparatione: Qui ſint red-
„ ditus Menſæ Abbatialis, vel Prio-
„ ralis, qui redditus Menſæ Cõuen-
„ tualis: An Monaſterium habeat a-
„ liquam iuriſdictionem temporalẽ,
„ vel ſpiritualem, quam, & in quos.
„ An curam habeat Animarum, &
„ per quem exerceatur An vacet,
„ quomodo, & à quo tẽpore citra:
„ Alia etiam interrogatoria pote-
„ rũt addi; prout ſtatus Monaſterii,
„ aut aliquę conſiderationes exi-
„ gent, faciendo de omnibus redde-
„ re cauſam ſcientiæ.

ADDITIO

DE REDDITIBVS ECCLESIÆ.

SVMMARIVM.

Eccleſiæ bona pertinent ad Deum n.1.
Oblationes in tres ſpecies diuiduntur.2.
Oblata Deo dicuntur etiam per ſolum tradendi uotum.3.
Oblata Deo ſiunt patrimonium Chriſti.4.
Bona Eccleſiæ ſunt in proximo, & immediato Dominio Dei.5.
Bona Eccleſię non cadunt ſub dominio alicuius Perſonæ.6.
Imperator non debet eſſe deterioris conditionis in donando Deo, quàm cæteri homines.7.
Eccleſiæ rerum poſſeſſio eſt apud Deum, & Eccleſiam.8.
Eccleſiæ rei poſſeſſio nunquam uacat.9.
Intitulati in Eccleſiis poſſident nomine Eccleſiæ.10.
Poſſeſſor bonæ, uel malæ fidei quis dicatur.11.
Poſſeſſio naturalis, aut ciuilis non poteſt eodem tempore eſſe apud duos.13.
Poſſeſſio rerum Eccleſiæ non poteſt eſſe penes aliquam Perſonam Seculare, aut Eccleſiaſticam.12.
Beneficiarios eſſe ueros Dominos, aliqui tenuerunt.14.
Epiſcopus poſſidere poteſt bona propria, & Eccleſiæ.15.
Sententia D. Thomæ circa bona Epiſcopi. ibid.
Bona Eccleſiaſtica per diuiſionem in præbẽdas nõ amiſerunt naturam ſuã.16.
Redditus Beneficiales etiam porcis dari poſſe, qui tenuerint? 17.
Dominium quot modis ſumatur. 18. & ſeqq.
Clerici quomodò dicãtur Domini reddituũ Eccleſiæ, 19.
Dominii ſtrictè ſumpti definitio. 20.
Dictio liberè quid importet. 21.
Dominii perfecta libertas per quæ tollatur. 22.
Beneficiarii in redditibus Eccleſiæ quodnã ius habeant. 23.
Papa in Beneficialibus non plus concedit, quàm Sacri Canones. 24.
Clericis in bonis Beneficialibus quod ius tribuant Sacri Canones. 25.
Gloſſæ opinio reiicitur. 26.
Diſpoſitio Concilii Trident. explicatur. 27.
Verbum, ſuum, eſt ambiguum. 28.
Explicatio opinionum Doctorum circa dominium Clericorum. 29.
Beneficiarii non poſſunt dici uſu-fructuarii. 30.
Uſufructuarius fructus ſeparatos à ſolo facit ſuos. 31.
Beneficiarius de fructibus Eccleſiaſticis teſtari non poteſt. 32.
Opinio Card. Zabarellæ, melius fore, vt Clerici de fructibus beneficialibus, etiam poſt mortẽ diſponere poſſent. 33
Indultum Status Mediolani ſuper libera diſpoſitione fructuum Eccleſiaſticorum

Digitized by Google

rum.34.
Clericus potest viuere de Beneficio, & patrimonium reseruare.35.
Clerici non sunt merè vsuarii.36.
Clericus, qui ultra necessitatem capit, aliena capit.37.
Beneficiarius habet maiorem facultatem, quàm vsuarius.38.
Beneficiario pars assignata non est tantùm, ut misericorditer viuat.39.
Prælati non comparantur Tutoribus, & Curatoribus.40.
Differentia inter Beneficiarios & Tutores.41.
Ecclesiæ redditus, & redditus Ecclesiastici differunt.42.
Beneficiarii multa percipiunt ratione Personæ.43.
Prælati, & Beneficiarii quam potestatem habeant super redditibus Ecclesiasticis.44.
Papæ potestas in beneficialibus.45.
Papæ potestas in beneficialibus an sit eadem, ac in suis patrimonialibus, remissiuè.46.
Episcopi sùt merè Administratores, & Dispensatores reddituum Ecclesiæ.47.
Beneficiarius quilibet est purus Administrator.48.
Dare sumitur dupliciter, scilicèt conferre, & transferre.49. & 53.
Papa ab initio instituit Beneficia.50
Episcopi in suis Diœcesibus, quoad Beneficia dicuntur Vicarii Papæ.51.
Nemo in alium plus iuris transferre potest, quàm sibi competat.52.
Episcopus confert Beneficia, in quibus nullum habet dominium.53.
Episcopus, & Iudex concedunt, quod non habent.54.
Transferri potest in alium quod habetur in potentia.55.
Episcopi non recipiunt authoritatem ab electione Canonicorum, sed à confirmatione Papæ.56.
Papa non recipit auctoritatem ab electione Cardinalium, sed immediatè à Deo.57.
Papa Summus Christi Minister.58.
Bona Beneficiatorum sunt, quoad gubernium, & administrationem.59.
Intellectus Doctorum, de dominio Clericorum diuersimodè tenentium.60.
Ecclesiastici redditus in opera pia sunt expendendi.61.
Ecclesiæ fructus malè expendendo, committitur peccatum contra septimum Decalogi præceptum.62.
Facultates concessæ à Papa testandi de bonis Ecclesiæ, quomodò intelligendæ.63.
Maiora mala ad euitanda, multa lex permittit, quæ conscientia nõ admittit.65
Donatio, & remissio bonorum Ecclesiæ facta Diuiti non valet.66.
Consuetudo Ecclesiarum de fructibus primi, & secundi anni, an valeat.67.
Remissiones Ministrorum Cameralium facta Diuitibus qualiter sustineantur.68.
Semel Deo dicata non sunt ad profanos vsus transferenda.69.
Ecclesiastici magis, quàm Seculares tenentur ad opera pietatis.70.
Largitiones Secularium factæ Ecclesiis, dicuntur ad pias causas.71.
Dictio, Ad, quid importet.72.
Relinquens Diuiti, quem credebat Pauperem, cui debeatur legatum.78.
Fructus Ecclesiæ non possunt in alium vsũ conuerti, quàm à largientibus fuerint destinati.73.
Ecclesiæ fructus in profanos vsus conuertendo, committitur contra legem naturæ.74.
Ecclesiæ nunquam fuit intentio, vt Beneficiarii eius bonis abuterentur.75.
Ecclesiæ qui bona sunt elargiti, si cogitassent de malo vsu, nunquam elargiti fuissent.76.
Bona Ecclesiæ non possunt defendi, si Beneficiarii illis abutantur.77.
Legatum factum Diuiti, veluti Pauperi, cui debeatur.78.
Pensionarii tenentur ad opera pietatis.79.
Clausula, vt decentiùs, vel, vt commodiùs sustentari valeas, quomodo intelligenda.80.
Papa dispensare non potest super præceptis Decalogi.81.
Opus pietatis est subuenire sanguine coniunctis.82.

Digitized by Google

Filius familias habens liberam adminiſtrationem, quando donare non poſſit. 83.
Clerici de fructibus Eccleſiæ an Creditoribus ſatisfacere poſſint. 84. & 85.
Debiti contractio ſupponit neceſſitatẽ. 86.
Beneficiarii, in quos pios vſus maluerint, redditus Eccleſiæ poſſunt erogare. 87.
Liberalitatis actus eſt pars Iuſtitiæ. 88.
Hodiè non practicantur antiqua iura, de diuidendo fructus Eccleſiæ in quatuor partes. 89.
Epiſcopus non ſe poteſt excuſare, quo minus Pauperibus prouideat. 90.
Eleemoſyna non eſt facienda iis, quos reddit pigros. 91.
Mendicantes validi ſunt puniendi. 92.
Mendicitas licita, & illicita. 93.
Acquiſita ratione Perſonæ non cadunt ſub obligatione expendẽdi in pios uſus. 94.
Lucra prouenientia, ratione bonorum Eccleſiæ, quæ non habent rationem reditus Eccleſiæ. 95.
Officiales Datariæ non committunt ſimoniã, concordando de penſionibus poſt ſignatam ſupplicationem. 96.
Papa cum Sacerdotali coniunctam habet Regalem poteſtatem. 97.
Papa conſecratur, vt Sacerdos, coronatur, vt Rex. 95.
Papæ Sacerdotium figuratum in Sacerdotio Melchiſedech. 96.
Cardinalibus, quæ dantur à Papa, dantur reſpectu Perſonæ. ibid.
Cardinales cum Papa regunt totum Mundum 98.
Cardinales multa opera pia perficiunt. 99.
Epiſcopi, & Beneficiarii de lucris ratione laboris liberè teſtari poſſunt. 100.
Acquiſita ab Epiſcopis ratione Perſonæ, habent rationem denarii diurni. 101.
Dictum Apoſtoli: Victu, & tegumento contenti ſimus, explicatur. 102.
Eccleſiæ decus hodiè creuit. 103.
Clericus commodè ſuſtentari debet, nẽ autẽ ſine pecunia. 104.
Victus nomine, quid importetur. 195.
Clericus pro commoda ſuſtentatione quantum habere debeat. 106.
Diſpoſitio Concil. Trid. explicatur. 108.
Commodè dicimur poſſe, quod verè, & conuenienter poſſumus. 107.
Nobiles, & literatæ Perſonæ maioribus Beneficiis ſunt honorandæ. 109
Beneficia ſecundum qualitatem Perſonarũ ſunt conferenda. 110.
Literatæ Perſonæ æquiparãtur Nobilibus. 111.
Scientia prodeſt toti uniuerſali Eccleſiæ, 112.
Orbis ſine literis regi non poteſt. 113.
Acceptio Perſonarum quando locum habeat. 114.
Beneficia plura quis habere poteſt, dummodò fructus benè expendat. 115.
Beneficiorum pluralitas non prohibita, de quibus intelligatur. 116.
Prælati pro Eccleſia dupliciter laborant, corpore ſcilicet, & animo. 117.
Prælati, quomodo laborent animo. 118.
Summus Pontifex multum laborat pro tota Chriſtiana Republica. 119.
Papa, congruum eſt, vt reſideat in Vrbe Romæ, vel in Statu Eccleſiaſtico, 120
Epiſcopi multa patiuntur pro tuendis iuribus Eccleſiæ, & pro defenſione libertatis Eccleſiæ. 121.
Poteſt quis participare de præmio alieni meriti. 122.
Merita Maiorum tranſeũt ad Poſteros. 123
Seruitia per Clericos inferiores Eccleſiæ præſtita, præmio, vel pretio compenſari debent. 124.
Iuſtitiæ de forma eſt, vt labores, merita, & ſeruitia remunerentur. 125.
Donare benemeritis eſt ſoluere debitum naturæ. 126.
Prælatis non licet ob prætenſa merita ſibi Eccleſiæ fructus appropriare. 127.
Eccleſiæ redditus non ſunt erogandi, niſi cũ aliquo pietatis intuitu. 128.
Qui vult eſſe, vult etiam conſequentia ad eſſe. 129.
Sedes Apoſtolica diſponendi de fructibus Eccleſiæ facultatem concedit. 130.
Subuenire neceſſitatibus attinentium, eſt de iure permiſſum. 131.
Frater de iure ciuili tenetur dotare ſororẽ pauperem. 132.
Clericus ad actus charitatis eſt magis adſtrictus, quàm Laicus. 133.
Prælati, & Beneficiarii de redditibus Eccle-

Digitized by Google

cleſię Conſanguineos in eorum neceſſitatibus ſubuenire debent. 134.
Neceſſitatem pati quis dicatur. 135.
Pauper, vel non pauper, qualiter quis ſit dicendus. 136.
Pauper cenſendus eſt, qui ſecundum eius conditionem viuere non poteſt. 137.
Datum illi, qui ſecundum ſuam conditionem viuere non poteſt, cenſetur datũ ad pias cauſas. 138.
Prælato licitum eſt de redditibus Eccleſię reſtituere attinentes in gradũ priſtinum. 139.
Prælatus de acquiſitis ratione Perſonę, & laboris, attinentium ſtatum augere poteſt. 140.
Quilibet eſt rei ſuæ moderator, & arbiter. 141.
Prælatus de redditibus Eccleſię poteſt attinentium ſtatum augere, modicè tamen, & ſine ſolicitudine. 142.
Diuites qui fieri volunt de redditibus Eccleſię, incidunt in laqueũ Diaboli. 143
Aliud eſt profundere in Conſanguineos, & aliud illos modicè ditare. 144.
Diuitię ordinatę ad bonum finem, non ſunt malę. 145.
Diuitiarum finis ſunt liberalitas, & magnificentia. 146.
Diuitię inſtrumentaliter coadiuuant. 147.
Charitatem maiorem in ſuos, quàm in alios exercere quis debet. 148.
Epiſcopus in officiis Conſanguineos præferre poteſt. 149.
Epiſcopus in bonis, ſolitis dari in emphyteuſim, Conſanguineos præferre poteſt. 150.
D. Thomas 1.2.q.9.art.6. in corp. explicatur. 151. & ſeq.
Amare Deum propter præmiũ ſpirituale, vel temporale, an ſit licitum. 152.
Concilium Trid. de deponendo omnem affectum erga Conſanguineos, & Familiares explicatur. 153.
Donatio modica quæ ſit dicenda. 154.
Modicum uni poteſt eſſe magnũ alteri. 155.
Hæreticorum dicteria confutantur. 156.
Pontifices poſt reditum de Auenione, Regia Maieſtate in temporalibus magis ſplendere cæperunt, 157.
Papa ſeipſum, uti Regem tractare debet, & Statum Eccleſiaſticum ad formam aliorum Regnorum. 158.
Profuſio Prælatorum in Conſanguineos eſt omninò illicita. 159.
De altari viuere non debet, qui altari non ſeruit. 160.
Diuitiæ de bonis Eccleſiæ congregatæ ad tertiam generationem vix tranſeunt. 161.
Beneficiaria res quare ad tantam tenuitatẽ redacta. 162.
Sumptus qui veniunt Prælato compenſandi. 163.
Expenſæ factæ cauſa Eccleſię, & Dignitatis ſunt compenſandę. 164.
Expenſæ in functionibus Sedis Apoſtolicæ veniunt compenſandæ 165. & 166.
Eccleſia Romana eſt Mater omnium Eccleſiarum, quæ dicũtur eius filiæ. 167.

DE fructibus, & redditibus Eccleſiaſticis poſt mortem Beneficiarii, prout pertinent ad forum contentioſum, tractarũt Guilhelmus Redoanus ſub titulo de ſpoliis Eccleſiaſticis, Martinus Nauarrus ſuper *c. non licet Papæ* 12.q.2. Ioannes Azorius, & Vincentius Filiucius, ambo Theologi Societatis Ieſu, ſub titulo de Spoliis Clericorum, quos omnes in vnum volumẽ redegit Iulius Cæſar Lutius, vnà cum conſultatione Hieronymi Mainatiæ Brixienſis, ac nonnullis deciſionibus Rotæ, à quibus Doctoribus nonnulla inſerũtur de iiſdem fructibus, ac redditibus Eccleſiaſticis in vita; quam materiam quamplures alii Theologi, & Canoniſtæ diſputarunt, ſed valdè inter ſe diſcordes, qualiter Beneficiarii viuentes de ipſis in conſcientia diſponere poſſint: Cum igitur in præſenti Tractatu agatur in ſubſtantia de acquiſitione, & adminiſtratione bonorum Eccleſię, placuit in hac additione ſubnectere, quid de huiuſmodi adminiſtratione, iuxtà Sacrorum Canonum diſpoſitionem concludendum ſit.

Pro quo notandum eſt, Eccleſię

Digitized by Google

bona pertinere ad Deum, non solũ respectu ipsius Dei, cuius est terra,
1 & plenitudo eius, *Psal.* 31. 1. ratione creationis, conseruationis, & gubernationis, vt explicat *ibid. Lyran.* Verùm etiam respectu nostri, *Nauarr. de spol. Cler. §. 2. num. 2. & §. 9. n. 4.* quia quæcumq; dant homines Ecclesiis, siuè sint Decimæ, siuè
2 oblationes, quas in tres species diuidit *Rebuff. de decim. q. 1. nu. 27.* videlicèt donationis inter viuos, donationis causa mortis, seù hæreditatis, vel legati, & usuales, quas Fideles faciũt ad altare, vel ad manum Sacerdotis, dicuntur, & sunt oblata Deo, *c. videntes, & c. res Ecclesiæ 12. q. 1. c. nulli liceat, & c. prædia 12. q. 2. & c. reuertimini 16. q. 1. Trid. Sess. 25. de refor. c. 1. Rebuff. de decim. d. q. 9. num. 9. Redoan. de spol. Eccles. q. 14. n. 7.*
3 etiam per solum tradendi votum, *Actor. 5.* vbi Ananiæ pœnam mortis incurrit, quia de pecunia, quam Deo dicauerat, accepit, *Glos. ordin. ex Chrysost. homil. 12. & Gregor. epistol. lib. 1. epis. 33.* fiuntque patrimoniũ
4 Christi, *D. Ambros. lib. 2. offic. cap. 28. cap. cum secundum, de præb. c. cum ex eo, de elect. in 6. glos. in c. causa Carpensis, de verb. signif.* notant *Felin. & Dec. in c. constitutus de rescript. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 1. q. 4. Nauarr. de reddit. Eccles. q. 1. n. 19. Valer. de differ. utr. for. verbo munera, differ. 1. n. 5.* atq; in illius
5 proximo, & immediato dominio, *Innoc. in cap. cum nuper, de caus. poss. & prop. & in c. verum n. 2. de for. compet. d. c. cum secundum n. 4.* dicens, esse contra Prælatos, reputantes se dominos, *Afflict. decis. 361. nu. 22. Pecc. de amortiz. bonor. c. 16. nu. 1. Redoan. d. q. 14. num. 16. & de reb. Eccles. non alien. q. 3. n. 32. Nauarr. de reddit. Eccles. q. 24. & de spol. cler. §. 3. in princ. & §. 9. n. 4.* vbi dicit; hoc esse de Fide cõclusũ;
6 Ac propterea non cadentia sub dominio alicuius Personæ Secularis, vel Ecclesiasticæ, *Nauarr. de spol. Cler. §. 2. num. 2. per text. in c. non liceat Papæ 12. q. 2.* Ob idque oblata Ecclesijs, earumque Ministris, dicantur, & verè sint Deo tradita, probat *Augus. de Ancon. de pot. Eccles. q. 43.*
7 quod sicut valuit cessio, seù concessio, facta D. Syl vestro per Constantinum, quia non debet Imperator esse deterioris conditionis, quàm alij homines, qui possunt, imò debent honorare Deum de eorum substantia, *Prouerb. 3.* Ità per Successores reuocari non potuisse, cum agatur de translatione Imperij temporalis, non in hominem, sed in Deum, cui postquam sunt oblata, ad alium usum venire prohibentur, per *regul. semel Deo, &c.*
8 Nec tantùm dominium, verùm ipsa quoque possessio rerum Ecclesiæ est apud Deum, & ipsam Ecclesiam, *Innoc. in d. cap. cum nuper, de caus. possess. & propriet. Bar. in l. sicut §. fin. ff. quod cuius. vniu. & in l. 1. §. municipales, ff. de acquir. poss. Tiraquell. cum ibi cit. de iure constit. limit. 16. n. 3. Redoan. de spol. Eccles. q. 14. n. 16.* vbi quod
9 possessio rei Ecclesiæ nunquam vacat, ideòque licèt Rector Ecclesiæ mortuus sit, possessio tamen nõ perditur, sed remanet apud ipsam Ecclesiam, subdẽs, *ibid. n. 28.* quod Prælatus confirmatus, qui nondum adeptus est possessionem suæ Dignitatis, potest agere interdicto, Vndè vi, quia licèt vacet Dignitas, nõ tamen vacat possessio bonorum Ec-
10 clesiæ, cum Ecclesia sit in anima viuentis, ac proindè cum intitulati in Ecclesiis non possideant nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ, *Redoan. l. cit. n. 30.* non sunt verè possessores, sed propossessores, iuxta doctrinã *Caluin. in lex. iur. verbo Pro-*
11 *possessor.* vbi ità distinguit, quod propossessor malæ fidei dicatur prædo, qui cum sciret, ad se rem non pertinere, illam inuasit, nullã habens possidendi causam, propossessor verò bonæ fidei sit, qui pro vero bonorum possessore possidet:
12 Et per consequens sicuti dominiũ, sic neque possessio bonorum, ac rerum

Digitized by Google

rum Ecclesiæ, penes aliquã Personam Secularem, vel Ecclesiasticã potest esse, ea præsertim ratione,
13 quia eiusdem rei dominium, vel possessio ciuilis, aut naturalis eodem tẽpore apud duos insolidum esse nequit, *l. si vt certo §. si duobus vehiculum, ff. commod. l. 3. §. ex contrario ff. de acquir. pos. Din. in reg. sine possessione, uers. prætereà autem. in fin. Specul. in tit. de restit. spol. §. 1. uers. item circa. Surd. decis. 288. n. 22. Rota decis. 334. n. 42. p. 9. Recent.*

Quibus tamen non obstantibus, sicuti absoluta res est, & apud omnes in confesso, Beneficiarios esse tãtùm possessores, seù vti diximus, propossessores proprietatũ, ita non
14 desunt Doctores, qui teneãt, eosdẽ esse veros Dominos fructuum, & reddituum, tàm Ecclesiasticorum, quàm Ecclesiæ, vt videre est apud *Marsil. Colum. in tract. de reddit. Eccles. cap. 34. n. 18.* vbi enumerat triginta nouem Canonistas, & sexdecim Theologos, cum *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7.* qui tamen in libro meo non dicit id, ad quod probandũ assumitur, sed posita distinctione bonorũ, quæ possidere potest Episcopus,
15 propria scilicèt, & Ecclesiæ, concludit, propriorum bonorum habere quidem dominium, sed peccare contra debitum charitatis, si de illis Pauperibus non subueniat; bonorum verò Ecclesiæ esse tantũ Dispensatorem, & Procuratorem, ac proindè peccare contra fidem, seù fidelitatem, si illa non procuret, & dispenset, secundum dispositionem Sacrorum Canonum, & instituta Ecclesiæ: Quibus Canonistis addendus est *Garz. de benef. p. 2. c. 1. n. 5.* vbi recensitis Doctoribus, de materia hinc, indè tenentibus, concludit, sibi magis placere sententiã eorum, qui asserunt, post diuisionẽ bonorum Ecclesiæ vnumquemque Beneficiarium, qui nõ sit Religiosus, acquirere dominium fructuũ, & reddituum sui Beneficii, eosque
16 facere suos: Quod tamen non videtur subsistere, quia per diuisionem in prębendas bona Ecclesiastica nõ perdiderunt naturam suam, vt piis vsibus cedant, §. *si ergo, c. nulli* 12. *q.* 1. Sed ità sunt in præbendas diuisa, vt commodiùs percipiantur necessaria; *Abb. in cap. relatũ, 2. de testa. Redoan. de spol. Eccles. q. 3. n. 6. vers. si absque administratione, post med. & §. ex prædictis n. 30.* Et Theologis addi potest *Cordub. in sylu. decis. cas. consc. lib. 1. q. 18. post initium, vers. & pro fundamẽto*, vbi dicit, quod Clerici sunt verì Domini bonorum mobilium, itaut quomodocumque ad pios, vel profanos vsus ea donent, consummãt, vel distribuant, ualet talis donatio, fitque translatio dominii: Quæ quidem opinio, sicuti & alio-
17 rum, qui asserunt, huiusmodi fructus, & redditus beneficiales, etiam porcis dari posse, fundatur in *gloss. in summa, 1. q. 1.* Quæ quidem glossa malè percepta utinam multos non præmiserit in Infernum, quia licèt hodiè non uideatur strictè practicarì, quod Clericus dissipator fructuũ sui Beneficii teneatur in foro contentioso reddere rationem uillicationis suæ, neque obseruentur ad unguem disposita *in cap. volumus, & c. Diaconum, 89. di: & c. cum simus, 9. q. 3.* vbi quod malè ministrantibus fructus, & redditus Beneficiorũ dandi sunt Oeconomi, in futuro tamen iudicio tradetur tortoribus, donec reddat vniuersum debitum *c. qui Christi, 12. q. 2.*

Inoleuit error huiusmodi, vt opinor, quia nomen, *Dominii*, sumi-
18 tur quandoque latè pro qualibet facultate disponendi, quã habent etiam Tutores, Administratores, & Procuratores, qui propterea vocantur Domini ob facultatem, quã habent de rebus sibi creditis disponendi, dispensandi, procurandi, &
19 in alios trãsferendi, *Redoan. de spol. Eccles. q. 3. vers. stantibus, n. 15.* Et secundum hanc acceptionem Cleri-

ci

ci dicuntur Domini fructuum, & reddituum Ecclesiæ, quantum ad fidem, & debitam dispensationem, *Sylu. verbo, Clericus, 4. n. 3. Redoan. l. cit.* non autem ex eo, quod sint veri Domini, quia non valet consequentia. Beneficiarii possunt alienare fructus, & redditus Ecclesiæ, validè transferendo dominium, ideò sunt veri Domini dictorum fructuum & reddituum; quia idem dici posset de Tutore, qui validè alienat, transfert dominium fructuum, & reddituum Pupilli *gloss. fin. in l. lex quæ C. de admin. tut.* Et tamē nemo vnquam dixerit, quod Tutor sit Dominus fructuum, & reddituum bonorum Pupilli, sed tantùm quod valet alienatio & translatio dominii, ob facultatem, quā Tutor habet, secundum iuris dispositionem, administrandi bona Pupilli.

20 Dominium verò strictè sumptū & de quo loquimur in præsenti definitur, Ius de re aliqua corporali plenè, & liberè disponendi *Bar. in l. si quis ui §. differenti. n. 4. & 5. & ibi Ias. Alex. & alii ff. de acquir. poss.* Sicque in proprios, uel aliorum usus
21 ad libitum conuertendi, dictio enim *liberè* importat sine vllo impedimento, onere, grauamine, vel obstaculo, *Barbos. cū ibi cumul. in tract. var. dict. 190. n. 22.* Ex quo sequitur, quod onus quodlibet, grauamen, aut obligatio in alienando, vel nō alienando, tollat veram, & perfectam rationem dominii, cum tol-
22 lat perfectam libertatem disponendi, iuxta notata à *Barbos. axiom. 136. num. 8.* Nec uerificari possit, quod taliter obligatus, impeditus, uel grauatus sit rei propriæ moderator, & arbiter, prout requiritur essentialiter ad veram, & perfectā rationem dominii, *l. in traditionibus ff. de pact. l. in re mandata, C. mand.* Ideoque hæres institutus, tàm in proprietate quàm in usufructu, cū onere quotannis erogandi in aliquod opus partem fructuum prædii hereditarii, licèt habeat plenū dominiū *l. si duobus ff. quemad. ususfr. amitt.* non tamen habet perfectum, cū non sit totaliter liberum, ex quo ligatur dispositione Testatoris, quā adimplere tenetur, §. *disponat, in authen. de nupt. coll. 4. cum concord.* neque in illo uerificari possit, quod fructuum prædii hæreditarii sit moderator, & arbiter, cum partem illam in proprios, uel alienos usus conuertere non ualeat: Excluditur igitur dominium, scù libera facultas Clericorum, & Prælatorum dis-
23 ponēdi ad libitū de redditibus Ecclesiæ, ex eo quia in illis tantum iuris habent, & habere possunt, quantum, iuxta Sacrorum Canonū dispositionem, est sibi expressè cōcessum, *Innoc. in cap. indecorum, de ætat. & qualit. gloss. in cap. statutum, §. aſsessorem, de rescript. in 6.* Sicuti nec
24 Papa plus iuris ipsis tribuit, quàm Sacri Canones tribuerunt *Redoan.*
25 *de spol. Eccles. q. 1. n. 23. & 24.* nullibi autem reperitur in toto iure Canonico, Clericis, uel Prælatis tribui hāc facultatē omnes fructus, & redditus beneficiales in proprios, uel aliorum profanos usus ad libitum conuertendi, imò ubique cōtrariū, ut uidebimus inferiùs; nullatenus subsistente *gloss. in cap. fin. 16. q. 1.* Quod Prælati quandoque dicantur Domini, citans ad hoc *text. in c. & temporis ead. cauſ. & quæſt.* vbi de hoc nec verbum quidem, sed vbique vocantur Procuratores, Administratores, & Dispensatores, *c. videntes, c. Episcopus, c. præcipimus, & cap. si priuatum, 12. q. 1.* & alibi, vt videbimus inferiùs.

Neque refragatur dispositio *Cōcil. Trid. sess. 23. de reform c. 1.* vbi declaratur, absentes à seruitio Eccle-
27 siæ non facere fructus suos, ex quo inferūt tenentes pro dominio Clericorum, quod residendo faciant fructus suos, argumento à contrario sensu, quod est in iure validum,

Bar-

Digitized by Google

Barbos. cum ibi cit. in tract. var. loco 27. n. 1. eiusq; Concilii Trid. dispositio, *sess. 24. de reform. c. 12.* vbi statuitur, quod absens à residentia per annũ, priuetur dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, & residentiæ fecisset suos; ex quibus infert *Filiuc. de spol. Cleric. q. 1. c. 3.* fructus facere suos plus esse, quàm illorũ dominium acquirere, ac proindè cum Tridentinum locis supracitatis asserat, Beneficiarios, cum ritè se gerunt, facere fructus suos, dubitari iam non posse, quin sint veri Domini reddituum, quos ex Beneficiis consequuntur: Cui dispositioni Concilii Tridentini addenda est Constitutio sexagesimaquinta B. Pii. V. *Bullar. nou. tom. 2.* quod Parochi residentes in eorum Ecclesiis Parochialibus lucrentur omnes, & singulos fructus, redditus, & prouentus aliorum Beneficiorum.

Quia verbum, *suum*, ambiguum est pro toto, & pro parte, *gloss. in cap.* 28 *nulli verbo, hoc meum 12. q. 1.* Ideoque verba Concilii Tridentini, & Pianę Constitutionis intelligenda sunt de habilitate, & pro ea parte, seù pro illis partibus fructuum, quos Beneficiarii de iure possunt facere suos, *l. vt gradatim ff. de muner. & honor. l. 1. in princ. C. de Sacros. Eccles. Surd. decis. 112. n. 22. Gratian. discept. foren. tom. 4. cap. 724. Couarr. in cap. cum in officiis vers. 3. de testa. Redoan, de spol. Eccles. q. 3. §. stantibus, n. 13.* vbi, quod iura loquentia, Clericos facere fructus suos, intelligenda sunt pro ea parte, quæ sibi pro sustentatione est assignata; aliàs Beneficiarii à Cõcilio Tridentino, & Piana Constitutione dicerentur exempti ab omni debito eleemosynæ, hospitalitatis, aliorumque piorum operum, ad quæ tenentur ex dispositione Sacrorum Canonum, eiusdemque Concilii Tridentini, quod non est præsumẽdum: Videatur *Abb. in cap. de multa, n. 18. de præben.* vbi dicit, se semper fuisse in opinione, quod Clericus non faciat fructus suos

29 Cum igitur in toto corpore iuris Canonici non reperiatur, quod Clerici, vel Prælati constituantur, vel enunciẽtur Domini fructuum, & reddituum Ecclesiæ, sed vbique contrarium, vt ostensum est, & videbimus inferiùs, dicendum est, Doctores omnes, siuè Canonistas, siuè Theologos, quando tenẽt pro dominio Clericorum, vel eorum dictum continere expressum iuris errorem, quod non est affirmandũ, vel secundũ veritatem intelligendos de dominio, latè sumpto vocabulo, quod competit etiam Tutoribus, Procuratoribus, & Dispensatoribus, ex notatis per *Hieronym. Mainat. in sua consultatione post Redoã. de spol. n. 124.* dum non inficiantur, Beneficiarios teneri in cõscientia redditus Ecclesiasticos, qui supersunt suis, & suorum necessitatibus, erogare in pios vsus, ipsorumque voluntatem esse certis regulis, & modis restrictam: Cõcordat *Filiuc. de spol. Cleric. cap. 4. q. 4. n. 7. vers. non obstat; & clariùs q. 1. cap. 3.* vbi quamuis affirmet, redditus Ecclesiæ transire in dominium Clericorum, subdit tamen, cum obligatione, *sic*, & *sic* illos expendendi, quia si aliter Beneficiarius expendat, validè quidẽ, *inquit*, expendit, quia Dominus est, sed illicitè, quia aliter, quàm tenetur ex natura eorundem, & contra dispositionem Sacrorum Canonũ: Cõcordat itẽ *Cordub. d. q. 12. vers. itẽ secundò*, vbi quasi se corrigens dicit: Licèt Clerici sint veri Domini suorum reddituum, & bonorum Ecclesiasticorum, secundum opinionem probabilem, non tamen sunt pleni eorum Domini, quia nõ possunt expendere in vita, vel in morte ad libitum, vt de suis bonis Secularibus, sed cum limitatione & onere prædicto, scilicèt in pios vsus, quia, & Ecclesia conformans se iuri Diuino, non aliter concessit

eis

eis dominium, vſumque bonorum prædictorum, ſed cum onere, ſeù obligatione, vt poſt ſuam decentẽ ſuſtentationem, reliqua in Paupeperes, ac pios vſus diſtribuant. Hæc Corduba.

30 Ex qua doctrina conſequitur, quod Clerici, & Prælati neque dici poſſint Vſufructuarii bonorum Eccleſiæ, quia licèt ex vno capite Beneficiarii plus iuris habeant in rebus Eccleſiaſticis, quàm Vſufructuarii in profanis, quia terræ qualitatem mutare poſſunt, puta de aratoria in vineatam, nec ſatiſdare cogantur, non poſſunt tamen verè, & realiter æquiparari Vſufructuariis, contra opinionem *gloſſ. in cap. præſenti de offic. Ordin. in* 6. quem ſecuta eſt *Rota deciſ.* 41. *n.* 2. *de probat. in antiq. & in Vſſalen. ſpoliorum, coram Ludouiſ. impreſſ. poſt Redoan de ſpol.* dicens, eſſe communiter receptam.

31 Quia Vſufructuarius fructus ſeparatos à ſolo, & reconditos ità facit ſuos, vt etiam ad hæredes tranſmittat, *l. vſufructuarius, ff. quemad. vſusf. amitt. d. l. defuncta ff. de vſufr. cum concord.* ac proindè cadunt ſub eius vero, ac perfecto dominio: Beneficiarius autem de fructibus Eccleſiaſticis regulariter teſtari non poteſt, quia effectus Teſtamenti confertur in tempus, quo non eſt amplius futurus Prælatus, ac proindè non poteſt de facultatibus Eccleſiaſticis Teſtamẽto diſponere, *Abb. in cap. ad hæc. de teſta. Redoan. de ſpol. q.* 3. §. *& ex his, n.* 4

33 Attamen Cardinalis Zabarella apud eundem *Redoan. d. q.* 3. §. *ſtantibus, n.* 12. dicit, quod æquum eſſet, vt Clerici diſponere poſſent in vita, & poſt mortem de omnibus acquiſitis ex fructibus Eccleſiæ, niſi manifeſtè conſtaret, quod eſſent acquiſita intuitu Eccleſiæ, quia per hoc Clerici eſſent promptiores ad benè agendum, & benè acquirendum, neq; committerent fraudes, quas committunt in faciendo cantare inſtrumenta emptionum in aliorũ Perſonis, prout quotidiè accidit.

34 Quæ veritas practicatur in Ducatu Mediolanenſi, vbi virtute Indulti Iulii Papæ Tertii de anno 1553. ob illius inueteratam conſuetudinem confirmati à Sixto Quinto de anno 1583. fructus Beneficiorum collecti, quamuis in horreum non reconditi, ſunt ipſius Rectoris præmortui, ſeù illius hæredum, qui tamen tenentur ad alimenta Succeſſoris, atq; ad onera incumbentia Beneficio, uſq; ad nouorũ fructuum collectionem, necnõ ad expenſas ſeminum, ſiquidem fructus hoc ſupportent.

Gloſſa verò in *d. c. præſenti, de offic. Ordin. in* 6. & iura concordantia, quod Beneficiarius in vita comparetur Vſufructuario, intelligenda ſunt de illa portione fructuũ, quæ ſibi eſt aſſignata, Clericoq; debetur, licèt alundè habeat, vbi victũ, alimenta, & ſuſtentationem percipere poſſit, *Couarr. in c. cum in officiis, de teſta.* ubi, quod Clericus habens Beneficium Eccleſiaſticum, poteſt

35 liberè diſponere in vita de illius redditibus, qui ſunt neceſſarii ad eius honeſtam ſuſtentationem, inſpecta ipſius qualitate, quia hæc pars fructuum, & bonorum Eccleſiaſticorum Miniſtris Eccleſiæ per antiquos Canones eſt aſſignata, *c. Eccleſius* 13. *q.* 1. *Abb. in c. de his, de Eccleſ. ædif. D. Thom.* 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *ad* 2. *Redoan. de ſpol. q.* 3. §. *ſtantibus num.* 14.

36 Neque item placet ſententia, pro dominio tenentibus de directo cõtraria, quod Clerici, & Prælati ſint merè uſuarii reddituum Eccleſiaſticorum, quam tenent relati à *Redoan. d. tract. de ſpol. d. q.* 3. §. *ſed in contrarium n.* 4. quibus ad victum quotidianum tantummodò liceat vti, per *gloſ. in c. fin. de pignor.* vbi Clericos ideò dici vſuarios, quia non poſſunt vendere, vel donare, ſed victu tantùm, & veſtitu contentari de-

Digitized by Google

debere. Facit pro hac opinione *gloss. in c. cum olim de rerum permut. & gloss. in c. quia vos, de testa. c. Clericus, c. duo, & c. Episcopus* 12. *q.* 2. ubi Episcopus de rebus Ecclesiæ, tanquã commendatis, non tanquam propriis vti debet, ac proindè de altari viuere, non luxuriari 44. *di. in Sũma*, ubi glossa dicit, sufficere debere Clerico, quod viuat, ideſt habeat sola necessaria, subdens, arctari dictam necessitatem ad victum, & ve-
37 stitum, quia Clericus, qui de redditibus Ecclesiæ ultra necessitatem capit, aliena rapit, & restituere tenetur, *D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 4. Alex. de Ales, 3. p. q. 36. memb. 5.* cum aliis cumulatis *à Redoan. d. §. sed in contrarium n. 10. & seqq.*

Quia melioribus fundamẽtis innititur sententia volentium, Beneficiarios maiorem habere facultа-
38 tem, quàm usuarios, cum possint in suos, suorum, & alios pios usus de iisdẽ redditibus disponere, *Nauarr. in apolog. q. 1. mon. 42. num. 12. Hieron. Mainat, post Redoan. de spol. n. 128.* Et benè respondet *Filiuc. de spol. Cleric. c. 3. q. 3.* Quod pars fructuũ, quæ
39 datur Beneficiario ad illius congruam sustentationem, non est tãtùm impensa misericorditer, vt viuat, sed etiam vt illius labores iusta mercede compensentur, quia dignus est operarius mercede sua, *Matth. 10. & Luc. 9.* & nemo suis stipendiis militat 1. *Cor. 9.*

40 Vltima opinio *gloss. in c. auditis, de in integrum restit.* quod Prælati Ecclesiarum comparẽtur Tutoribus, & Curatoribus, impugnatur ab alia *gloss. in c. vlt. 5. q. 2.* quasi nulla
41 sit comparatio inter Tutores, & Prælatos, quia Tutor est temporalis, Prælatus est perpetuus, Tutor non utitur bonis Pupilli, sicut Prælatus bonis Ecclesiæ, Tutela est onus, sed Prælatura est honor, Prælatus habet liberam, & generalem administrationem in bonis Ecclesiæ, & donare potest, si hoc habet consuetudo, non sic Tutor, *c. cæterum, de donat.*

42 Licèt autem redditus Ecclesiæ, & reddítus Ecclesiastici videantur idem importare, & accipiãtur promiscuè, distinguit tamen inter illos *Filiuc. de spol. Cleric. c. 4. sub num. 9.* quasi inter genus, & speciem, itaut omnes quidem dicantur Ecclesiastici, sed non omnes Ecclesiæ, illi scilicet, quos percipit Titularis ex suo Beneficio; & exindè impugnãs sententiam *Redoan. de spol. Eccles. q. 3. §. sed in contrarium sub num. 28.* asserentis, quod empta de pecunia Ecclesiæ fiant Ecclesiæ, dicit, hoc debere intelligi de emptis pecunia ipsius Ecclesiæ, non de pecunia Ecclesiastica Beneficiarii: Verùm, quia *Filiuc.* rem clarè non explicat, nec secundum nostra principia, nec aliqua Doctorum Authoritate comprobat, cum tamen in substantia saluari possit.

43 Notandum est, vltra fructus, & redditus, qui proueniunt ex fundis dotalibus Ecclesiæ, vltra decimas primitias, & oblationes, in quibus locum habent hucusque deducta, nonnulla percipi à Beneficiariis, ratione quidem Ecclesiæ, vel bonorum Ecclesiæ, non tamen intuitu, vel respectu Ecclesiæ, sed intuitu, & respectu Personæ ipsius Beneficiarii, quæ habent rationem lucri accidentalis potiùs quàm fructus, aut redditus, vt sunt laudemia, *l. 3. C. de iur. emph.* & res fiscales, atq; illis connexę, aut ab ipsis dependẽtes. *l. 2. §. 2. ff. ne quid in loc. publ.* Nonnulla etiam ratione gratitudinis, vel laboris, in quibus supra deducta non currunt, & de quibus latiùs dicemus inferiùs: His ita præmissis, concludendum videtur,
44 quoscumque Ecclesiæ Prelatos, ac Beneficiarios non esse veros Dominos, sed meros Administratores, Procuratores, seù Dispensatores bonorum, fructuum, ac reddituũ de Ecclesia, ratione tituli, Commẽ-

Digitized by Google

dæ, vel pensionis, non verò intuitu Personę, vel laboris, quomodolibet prouenientium, cum obligatione erogandi in pios vsus, sibi benè visos, quodcumque supereſt, post commodam, seù commodiorem sustentationem, sumptusque legitimè compensatos.

De Papa, qui, vti diximus in principio Operis, vti Christi Vica-
45 rius in rebus Ecclesiasticis omnimodam habet potestatem & in beneficialibus nemo potest illi dice-
46 re: Cur ita facis? Vtrũ sit absolutus Dominus bonorum Ecclesiæ, sicut Laici communiter sunt suorum, & ipse suorum patrimonialium? Videatur D. *Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. *& ibi Caietan. D. Bernardus de consid. lib.* 4. *in fin. Archid. in cap. decet.* 12. *di. Abb. in cap. constitutus, de relig. domi. Augus. de Ancon. de potest. Eccles. q.* 74. *art.* 4. *ad* 1. *Nauarr. de reddit. Eccles. q.* 1. *mon.* 40. *& de spol. Cleric. §.* 2. *n.* 2. *Syluest. verbo simonia n.* 4. Quorum sententiam ab omnibus receptam dicit *Innoc. in c. nouerint, de sent. excõm. & ex eo Nauarr. de spol. Cler. §.* 9. *n.* 2.

47 De Episcopis, quod sint meri Administratores, seù Dispensatores reddituum Ecclesiæ, habemus textus expressos, in *c. fraternitatem, iuncta gloss. de donat. ibi*: Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit Procurator, & non Dominus, *in c. fin.* 12. *q.* 1. *ibi*: Illa nostra non sunt, quorum procurationem quodammodo gerimus *in c. sine exceptione* 12. *q.* 2. *ibi*: Episcopus rebus Ecclesiæ, tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur, in *c. precarie* 10. *q.* 2. *ibi*: Et rerum Ecclesiasticarum Dispẽsatorem, *c. expedit* 12. *q.* 1. *ibi*: Cũ Prępositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium, quæ habet Ecclesia, fit Dispensator, *in c. Episcopus* 10. *q.* 2. *ibi*: Episcopus habet potestatem in rebus Ecclesiæ, vt dispenset necessitatem habentibus cum omni reuerentia, & Dei timore, *in c. res Ecclesiæ* 12. *q.* 1. *ibi*: Res Ecclesiæ non quasi proprię, sed ut communes, non in alios, quàm in præfatos vsus dispensandæ, *gloss. in c. vlt.* 5. *q.* 4. & alibi sæpius.

48 Ex quo sequitur perneceſsè, quẽlibet alium Beneficiarium, aut Cõmendatarium, Clericum, vel Prælatum non posse dici, nisi purũ Administratorem, Procuratorem, seù Dispensatorem fructuũ, & reddituum Ecclesiæ, per iura superiùs deducta; & quia quilibet Benefi-
49 ciarius dicitur, iuxtà mentem Sacrorum Canonum prouisus à Papa immediatè, vel mediatè, secundum doctrinam *Nauarr. de spol. Cleric. §.* 9. *num.* 4. *& Gonzal. super re-*
50 *gul.* 8. *§.* 1. *prob. ubi nu.* 2. quod Papa ab initio instituit Beneficia 22. *d. c.* 1. *&* 2. à quo Episcopi habuerunt pariter ab initio potestatem conferẽdi, *gloss. in c. quamquam de elect. in* 6. *c. decreto, & c. qui scit* 2. *q.* 6. *& c. multum stupor* 3. *q.* 6. *Gonz. loc. cit. nu.* 4. *&* 5. ubi
51 quod Episcopi in suis Diœcesibus quoad beneficialia dicũtur Vicarii Papæ, ex quibus *n.* 20. infert, quod Papa in reseruationibus nulli facit iniuriam, cum vtatur iure suo.

Quæ si verificãtur in Episcopis, multò magis locum habere debẽt in aliis Collatoribus, puta Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, Vniuersitatibus & Dignitatibus Ecclesiasticis, & vniuersaliter quibuscumque, quibus ex indultis Apostolicis competit Beneficia conferendi potestas, ex
22 communi regula: Nemo plus iuris in alium conferre potest, quam exornant *Din. in reg.* 79. *& Deci. in reg.* 54. *vbi n.* 5. relata distinctione *Bal. in l. manumissiones, in fin. ff. de iust.*
53 *& iur.* quod dare sumatur dupliciter, scilicet pro conferre, & transferre, & quod primo modo non cadat sub regula, quia Episcopus confert Beneficia, in quibus nullum habet dominium, vel possessionem, sed solùm ius conferendi;

secun-

Digitized by Google

ſecundo autem modo intret regula, quia quis non poteſt transferre quod non habet; concludit deinde ex doctrina ſua, quod regula procedat indiſtinctè, quia Creditor, qui habuit poteſtatem alienandi, illud facit nomine Domini, ac de eius mandato, ex quo ita ſemel voluit, & ſe obligauit, vt probatur §. 1. *Inſtit. qui. alie. lic.* & idem in Procuratore, Tutore, & Adminiſtratore, qui nomine Dominorum id faciunt; ideoque dominium ab ipſis Dominis transferre videtur: Epiſcopus verò, & Iudex concedunt
54 quod non habent, ratione officii, quia quoad iuris interpretationē videntur habere: Ex quo corruit argumentum tenentium pro Clericorum dominio, deductum ex eo, quod in contractibus transferant dominium fructuum Eccleſiaſticorum, quia illud transferūt nomine Eccleſiæ; Subdens in fine,
55 non poſſe transferri in aliū, quod quis non habet in actu, vel potentia; ſed illud, quod quis habet in potentia, licèt non actu, poteſt in alium transferre, vt patet, *inquit* in Canonicis, qui eligunt Epiſcopū, & in Cardinalibus, qui eligunt Sūmum Pontificem: Verùm non cōcludit exemplum Decii, quia Epiſcopi non recipiunt poteſtatem ab
56 electione Canonicorum, ſed à confirmatione Papæ, *c. quàm ſit, & cap.*
57 *cupientes de elect.* Qui pariter non accipit poteſtatem ab electione Cardinaliū, ſed immediatè à Deo, *c. quodcumq; 24. q. 1. c. in nouo 21. diſt. c. cuncta per Mūdū, 9. q. 3. & notatur in c. 1. de conſtit.*

Stet igitur firmiter, indubitanter, & inconcuſsè, Papā de omnibus rebus Eccleſiaſticis diſponere
58 poſſe, *Abb. in c. magnæ n. 17. de voto, & vo. redempt.* uti Summū Miniſtrū Chriſti, cuius nomine miniſtrat, vt declaratur verbis Apoſtoli, 1. *Cor. 4. & 2. Cor. 6.* qui vices ſuas impartitur Epiſcopis, & Prælatis, *Frāc. Leo. in theſ. for. Eccleſ. p. p. cap. 12. n. 17. & ſeq.* vbi quod licèt videantur quandoque bona Eccleſiaſtica, Deo oblata, eſſe Epiſcoporum, Prælatorum, & aliorū Beneficia-
59 torum, ſunt tamen eorum, quoad gubernium, & adminiſtrationem tantùm, non autem quoad dominium, *Innoc. in cap. cum nuper, n. 3. de cau. poſſ. & prop. cap. videtes, cap. præcipimus, & c. expedit. 12. q. 1. c. quiſquis Epiſcopus, 12. q. 2. Nauarr. de reddit. Eccleſ. q. 1. mon. 11. n. 2. & mon. 23. n. 1. & 2. & clariùs mon. 40. n. 1. vbi post Innoc. in d. cap. cum nuper, Abb. in repet. cap. cum eſſes, n. 23. de teſta. & Dec. in cap. conſtitutus. n. 25. & 26. de reſcriptis;*
60 diſtinguit, & concludit, quod iura, quæ habent, bona Eccleſiaſtica eſſe Chriſti, & Dei, intelligi debent, quoad verum, & perfectum dominium; & Doctores, qui inſinuant, eſſe Prælatorum, & Beneficiatorū, intelligendos eſſe, quoad guberniū, & adminiſtrationem.

Secunda pars concluſionis, de obligatione Prælatorum, & Clericorum erogādi in pios vſus quodcumque ſupereſt de redditibus Eccleſiaſticis, poſt eorum cōmodam, ſeù commodiorem ſuſtentationem, ſumptuſque iuſtè compenſatos, adeò vera eſt, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari, cū indubitati iuris ſit, Eccleſiaſticos reddi-
61 tus in opera pia generaliter eſſe conuertendos, *cap. vobis, c. cum vulterrana, c. conceſſo, c. quatuor, c. de redditibus, & c. cognoſcimus, 12. q. 2. Redoan. de reb. Eccleſ. non alien. q. 53. c. 4. n. 2. Nauarrus in tract. de reddit. Eccleſ. q. 1. mon. 39. & 40. & de ſpol. Cleric. §. 14. n. 5. & clariùs §. 4. n. 2. verſ. quæ omnia,*
62 vbi, quod non debent alienari fructus bonorum Eccleſiæ ſine actuali, vel virtuali relatione ad honeſtam ſuſtentationem, aut opera pia, præſentia, vel futura, aliàs peccaret, qui illos venderet, ad reponendum pretium in theſauro, vel impenderet in profanos vſus,

Digitized by Google

faceretque contra ſeptimum Decalogi præceptum, de non furãdo, quod non ſolùm prohibet, nè quis rem alienam ſibi appropriet, ſed etiam nè quis rem alienam alteri tradat, vel ea vtatur contra voluntatem Domini, §. *furtum*, & §. *placuit*, *Inſtitut. de obligat. quæ ex del. naſc.* Ac proindè cum bona Eccleſiæ ſint Chriſti Domini, vt ſupra oſtenſum eſt, qui tollit ea Chriſto, & alteri tradit, contra eius mentem, etiam præſumptam, tranſgreditur præceptum legis naturę de non furando: Sicuti hanc legem transgrederetur Procurator Cęſaris, ſeù qui illius Vicarius, ſi rem Cæſaris aliter, quàm de eius mente alienaret, *l. 2. ff. de offic. Procur. Cæſa. Guilhelmus a Montelaud. relat. per Card. in Clem. quia cõtingit de rel. dom. Nauarr. de reddit. Eccel. q. 1. mon. 42. & 48. & de ſpol. Cleric. §. 2. n. 4.*

Quo attento, neque ipſemet Papa, vt nonnullis placet, poteſt dare
63 licentiam teſtandi de rebus Eccleſiæ, niſi ad pias cauſas, & facultates, quæ ab ipſo conceduntur, teſtandi in Conſanguineos ad non pias cauſas, ſine vllo pietatis, vel paupertatis intuitu, intelligendæ ſunt, vt procedant tantùm, quoad forum contentioſum, ſeù quoad forum exterius, atque ad finem, & effectum eximendi hæredes à moleſtiis Miniſtrorum Cameralium, qui ſub prætextu, quod non eſſent Pauperes, aut cauſę non pię, litibus eos vexarent. *Nauarr. de ſpol. Cleric. §. 11. n. 3.* Non verò quoad forum conſcientiæ, quæ veritati, & iuſtitiæ innititur, maximè contradicẽte iure naturali, vt ſupra viſum
64 eſt, etenim ad euitanda maiora mala forum exterius multa permittit, quæ conſcientia non admittit, *Nauarr. de reddit. Eccleſ. q. 1. mon. 54. & de ſpol. Cleric. d. §. 11. num. 3.*

Videatur idẽ *Nauarr. de ſpol. Cler. §. 16. n. 5.* ubi refert, & approbat reſponſum Callãdri Luſitani, Doctoris celeberrimi, & tunc in Romana Sapientia Lectoris, quod non
65 valuit remiſſio magnę quantitatis, à quodam Abbate facta de redditibus Eccleſiaſticis homini diuiti ſine vllo paupertatis, vel pietatis intuitu, quia remiſſio debiti eſt donatio, *c. veniens de teſtib. l. ſi mulier, ff.*
66 *de cond. cauſ. da.* Ac propterea ſicuti non valuiſſet donatio Abbatis de tanta ſumma, & quantitate homini diuiti ſine vllo paupertatis, vel pietatis intuitu, idem *Nauarr. de redd. Eccleſ. q. 1. mon. 34. & 42. & in apolog. q. 1. mon. 27. 38. & 39. & ſpecialiùs mon. 81. & 82.* ita nec valuit remiſſio debiti, *& de ſpol. Cler. §. 15. num. 3. & 4.* aſſerit, conſuetudinem
67 quæ viget in aliquibus locis, quod fructus primi, vel ſecundi anni cedant beneficio præmortui, non debere fauere Secularibus, quo diuites fiant, ſed vt ſoluantur debita defuncti, eius funeralia peragãtur, vel expendantur in Pauperes; *ſub-*
68 *dens ſub nu. 5.* non eſſe tutos in conſcientia hæredes Clericorum diuites, quibus Miniſtri Camerales remittunt ſine vllo pietatis, vel paupertatis intuitu, vel ſine alia iuſta cauſa, puta deuotionis in Sedem Apoſtolicam, reductionis ad obedientiam, ſeù propter obſequia, pro Chriſto, Sede Apoſtolica, aut Eccleſiæ defenſione præſtita, vel probabiliter præſtanda.

69 Non deficit etiam optima ratio deducta ex eo, quia ſemel Deo dicatum, non eſt amplius ad humanos uſus transferendum, *tex. in cap. ſemel 51. de regul. iur.* hoc eſt ſecularium Perſonarum, *gloſſ. ibid. in verbo humanos*, quæ pariter notat, non dici Deo ſacrum, ſed Deo dicatum, quod eſt verbum magis latè ſonãs, licèt bona Eccleſiæ poſſint etiam dici, & ſint vera ſacra, ac proindè ſacrilegium cõmittere, qui illis abutitur; *D. Thõ-*

Digitized by Google

2.2.q.99. art.3.Gregor. de benef. cap.5. n.item.5.in fin.

Aliam rationem adducit Cordub.in Syln.deciſ.caſ.conſcientiæ,libr.1. q.18.paulo poſt.init.verſ.probatur pri-
70 mum,ab excellentia ſtatus Clericalis, qui magis, quàm ſecularis ad onera pietatis eſt adſtrictus; & tãtò magis,quia Eccleſiaſtici à Chriſto, & Eccleſia deſtinati ſunt Patres Pauperum, & Paſtores quiũ, primò quidem ad prębendum eis paſtum ſpiritualem, & ſecundariò corporalem, quatenus ad ſpiritualem ordinatur, & ad opera pietatis pertinet, citans Abulen. ſuper Matth.6.q.73.& Caiet 2.2.q.185. art. 7. & adducens exemplum B. Gregorii, qui repulit ab Epiſcopatu Archidiaconum illum Florẽtinũ, quia nõ erat hoſpitalis, c.Archidiaconum aliàs Florentinum,83.dist.

Verũ magis cõcludẽs ratio deducitur ab ipſa volũtate largiẽtiũ Ec-
71 cleſiis, & Monaſteriis,cũ largitiones huiuſmodi factæ dicãtur ad pias cauſas, Specul.tit.de inſtrum.edit.§.nũc verò,verſ.& ſcias,quod inter Bal.in authent.ſimiliter in princ.C.ad l.falcid.Tiraquell.de priuil.piæ cauſ.in præfat.poſt init.ubi,quod omnes vbiq;ita tenẽt;
72 & dictio, Ad, importat cauſam finalem, & ſubſtantialem. Bal.in l.ex annali num.3.C.de actio.empt. Rota deciſ.37.num.2.p.2.diu. Gonz.ſuper regul. 8.Cancell.gloſ.12.§.1.nu.31. ac proindè nõ poſſint huiuſmodi fructus,&
73 redditus ſine peccato in alium uſũ conuerti, quàm à largientibus ſint deſtinati,§.furtum autem, ibi: ſi quis in alium vſum rem transfert,quàm cuius gratia data eſt,furtum committit,Inſtit.de oblig.quæ ex delic.naſc. Nauar.de reddit.Eccleſ.q.1.mon.39.& 40.& in apolog.q.item 1.mon.23.& 24.& de ſpol.Cleric.§.4.nu.2.verſ.quæ omnia,& §.14.num.5. vbi,quod con-
74 uertendo redditus Eccleſiæ in profanos vſus, cõmittitur contra legẽ naturæ, de non furando, & non utendo re aliena, inuito Domino, in alium vſum, quàm deſtinatum, & conceſſum,per iura ſuperiùs adducta, Gregor.de benef.c.5.num.9. vbi, quod nunquam fuit intentio Ec-
75 cleſiæ, permittentis bona Clericis, neque largientium eidem, vt Prælati,& Beneficiarii fructus ſibi proprios facerent, & in ſuos, aut proximorum profanos vſus conuerterent, alioquin Eccleſia delinquendi occaſionem dediſſet, quod non
76 eſt dicendum: Et qui bona largiti ſunt Eccleſiis, ſi cogitaſſent, vel præſumpſiſſent futurum, ut Eccleſiarum Prælati voluiſſent ex illis proximos ditare, nunquam donaſſent, ſed elegiſſent potiùs ſuis, & attinentibus relinquere, quàm
77 ità in extraneos transferre. Subdẽs, non ſibi videri, quomodo bona poſſint ab Eccleſia defendi, ſi Prælati, qui cuſtodiæ, & diſtributioni, iuxta ſacros Canones faciendæ,sũ præpoſiti, pernicioſè illis abutant tur in contumeliam Dei, & largientium.

Quæ quidem obligatio de non conuertendo in profanos uſus bona, ad pias cauſas deſtinata, adeò vera eſt, vt ſi quis relinquat cauſa pietatis alicui, quem credat eſſe
78 Pauperem, cum ſit diues, valebit quidem legatum, cum reputetur relictum ad pias cauſas,quantum ad relinquentem, Bar.in repet.l.1. in 2.quæſt.princ.in fin.C.de Sacroſ. Eccleſ. per c.quieſcamus 42. diſ. verùm non dabitur inſtituto, neq;conuertetur in alium uſum, ſed cũ Pauperi exiſtimato ſit relictum, dabitur Pauperi, quia cum poſſimus vti re ad deſtinatum vſum, non debemus in alium conuertere, clem.quia contingit de relig.domi. Tiraquell. de priuil. piæ cauſ.in præfat.§.& hoc adeò procedit.

79 Et hæc, quæ hucuſque dicta ſũt, locum habent,non ſolùm in Titularibus, & Commendatariis, ſed etiam in Penſionariis, quia penſio eſt defructibus Eccleſiæ, cum ſit por-

portio fructuum Beneficii, *Gigaſ. Caccialupus, & Paul. de Roma, in eorum tractatibus in princ.* Etenim penſio, quã Titularis ſoluit Penſionario de fructibus Beneficii, eſt eiuſdem naturę, & ab eadem radice procedit, à qua procedunt fructus; qui remanẽt Titulari, ex ſoluta, nõ confertur niſi à Papa, vel ab Ordinario in caſibus ei permiſſis, & niſi Clericali charactere inſignitis, ac niſi Bullis expeditis exigi poteſt, & per conſequens non eſt ius temporale, ſed Eccleſiaſticum, *Redoan. de ſpol. q. 3. §. ex prædictis nu. 12. poſt med.* Ex quo ſequitur perneceſſe, quod ſicuti Beneficiarius, ita nec Penſionarius expendere poſſit redditus Eccleſiaſticos, niſi in ſuã, vel ſuorum ſuſtentationem, alioſque pios uſus, in quos generaliter erogandi ſunt, vt ſupra viſum eſt.

80 Ac proindè quando Papa largè prouidet benemeritis Perſonis, cũ ſolita clauſula, vt *decentiùs*, vel, ut *commodiùs*, ſuſtentari valeas, nunquam præſumendum eſt, velle abſoluere prouiſos, quicumque illi ſint, ab hac obligatione erogandi in pios uſus, & iuxta Sacrorũ Canonum diſpoſitionem, quæcunque ſuperſunt, poſt eorũ commodã, ſeù commodiorem ſuſtentationem: Cum enim prohibitio de non vtendo re aliena ad alium finem vltra largientis intentionem, innitatur iuri naturali, & ſeptimo Decalogi præcepto, vt ſupra viſum eſt, non poteſt Papa ſuper illa diſpenſare, *Auguſt. de Ancon. de potest. Eccleſ. q. 51. art. 1.* quia eius iudiciũ debet eſſe conforme iudicio Dei, *cap. vt nostrum, vt Eccleſ. Benef. Abb. in cap. de multa, n. 7. de præben.* & Diuinæ Prouidentiæ ordinem ſeruare tenetur: Et niſi huiuſmodi temporalia ordinaret ad ſpiritualia, diceretur abuti poteſtate ſua, idẽ *Auguſt. de Ancon. d. art. 1. ad 3. in fine & in eod. tract. q. 6. art. 8. ad 2.*

82 Non excluditur tamen ab operibus pietatis ſubuenire ſanguine coniunctis, vt videbimus inferiùs, & modicum donare, ob remunerationem, ſiuè coniunctis, ſiuè extraneis, iuxta ſeruitii meritum, *tex. ad lite. in cap. relatum, 2. §. licet, de teſta. gloſſ. fin. in cap. vlt. de pecul. Cleric.* quia gratitudo ponitur inter opera pietatis, *D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 1.* cõcordat *text. in l. filio fam. de donat.* vbi filius familias habens liberam peculii adminiſtrationem donare non potest, niſi iuſta ratione motus, ſcilicet ob gratitudinẽ, vt *ibid. gloſſ.* declarat, taliſque donatio, gratitudinis cauſa, fieri poteſt etiã in ægritudine, dummodò quis ſit compos mentis, *cap. ad hęc, & cap. relatum de teſta.* Ac proindè euaneſcit illa opinio, quod Clericus in vita ſit vſufructuarius, in morte vſuarius.

83

84 Vtrũ verò Clerici, & Prælati de redditibus Eccleſiæ ſatisfacere poſſint Creditoribus, & ſoluere debita in minoribus cõtracta, qui videtur actus iuſtitiæ; affirmatiuè tenet. *Nauarr. in tract. de reddit. Eccleſ. q. 1. mon. 51. & in apolog. q. item 1. mon. 44. & de ſpol. Cleric. §. 2. n. 6. verſ. id autẽ, per text. in cap. peruenit de fideiuſſ.* Negatiuè. *Bal. conſ. 71. lib. 1.* vbi Epiſcopus, qui contraxit debita, ante adeptum Epiſcopatũ, & iurauit ſoluere, ſi ad pinguiorem fortunã deueneret, non tenetur illa ſoluere de fructibus Epiſcopatus: Cum diſtinctione reſpondet *Abb. in d. cap. peruenit, in. 12. & in repetit. cap. cum eſses de teſta. num. 27.* dicens, quod aut Clericus contraxit debita pro ſui ſuſtentatione, vt ſe aleret, & tunc de huiuſmodi redditibus ſatisfacere debet Creditoribus, vt notat *Ioann. Andr. communiter receptus in c. præſentium, de pignor.* Aut non pro ſua ſuſtẽtatione, ſed pro alia neceſſitate, aut pro reparandis ſuis propriis ędibus, aut pro alia conſimili cauſa, & tunc de fructibus Eccleſiæ etiam parcè viuendo, ſatiſ-

Digitized by Google

fieri non debet Creditoribus quia Ecclesia ad alia debita non tenetur; subdens *d.n.*12. quod & si obseruetur in Curia, quod Clericus
85 admittatur cedens fructibus Beneficii, vt satisfaciat Creditoribus, hoc tamen accidere, quia hodiè Clerici appropriant sibi omnes fructus, & de eis disponunt ad libitum, ideoque visum est Curiæ, & aliis Iudicibus, melius esse, vt dentur suis Creditoribus, quàm, ut disperdãtur in alias causas; sed si, *inquit*, facerent, ut deberent, non extenderent manus ad fructus Be-
86 neficiorum: Ego autem adhærens sententiæ Nauarri, crederem, ex quo contractio debiti supponit indigentiam, posse Beneficiarios de fructibus Ecclesiæ soluere propria debita, necessaria tamen, etiamsi talis solutio cedat in vtilitatem attinentium, cum possit Beneficiarius de dictis fructibus Cõsanguineis indigentibus subuenire, vt uidebimus inferiùs.

87 Vniuersaliter autem dicendum est, Clericos, & Prælatos posse in quoslibet, quos maluerint pios usus, seù in quibus aliquo modo pietas elucet, Ecclesiastica bona ad sui libitum erogare: Sicuti obseruatum uidi in Sac. Rituum Cõgregatione, in qua cum à Fidei Promotore animaduerteretur cõtra Dei Seruum, qui diuitis Ecclesiæ fuerat Antistes, post illius mortem reperta fuisse in eius scriniis multa aureorum millia, & à Postulatoribus doçeretur, reposita fuisse, ad subueniendum Regi Catholico contra Infideles, huiusmodi responsio habita fuit pro actu liberalitatis, quę est pars Iustitiæ,
88 *D. Thom. 2.2.q.* 117. *art.* 1. ac proindè ad pias causas destinata: Quia hodiè non practicãtur antiqua iura, *in cap. quatuor, c. de redditibus, & c. cognouimus*, 12. *q.* 2. de diuidendo in
89 quatuor partes Ecclesiarum redditus, scilicet pro Episcopo, pro Ecclesia, pro Clericis, & Pauperibus, *Abb. in cap.* 1. *n.* 2. *de Eccles. ædif.* ubi dicit, Episcopum non teneri ad
90 fabricam Ecclesiæ, si consuetudo sit in contrarium, non tamen se posse excusare, quo minus Pauperibus prouideat, scilicet qui suis manibus operari nõ possunt, 81. *dist.* §. 1. non iis, qui possunt, & nolunt, uel quos eleemosyna facit pigros,
91 quia Pauperi laborare nolenti nõ debet Ecclesia, nec alius quis pro-
92 uidere, *gloss. final. in sum.* 81. *dist.* Quinimò ualidi mendicantes à seculari Iudice plecti debent, *l. un.* C. *de Mendic. valid. lib.* 11. *Peguer. decis.* 4.
93 Vbi distinguit inter licitã, & illicitam mendicitatem, itaut licita mendicitas illa sit, quando Pauperes, necessitate cogẽte, vtpotè quia debiles, aut omninò inualidi, & ad laborem non idonei mendicant; vt alantur ab aliis, qui propterea sunt alendi, *d.l. vn.* C. *de mendic. valid. & l. si quis ad declinandum*, §. *vbi autem C. de Episc. & Cleric. tex. in c. quomodo*, 31. *dist. & cap.* 1. *dist.* 82. Similiter illi, qui humilitatis causa mendicant sicuti, & alia assumunt, quæ ad abiectionem quandam pertinent, quasi efficacissimum remedim cõtra superbiam, quam in seipsis, vel in aliis per exemplum extinguere cupiunt, *D. Thom. 2.2.q.* 187. *art.* 5. Illicita verò mendicitas sit, quando quis ex cupiditate habendi diuitias, aut victum otiosè mendicat, quæ mendicitas appellatur valida, & hinc mendicantes validi, qui nihil aliud intendunt, quàm otiosè viuere, Mundumque aliorum impensis peragrare; ideoq; se gerunt, quasi non habeant artem, cum habeant, finguntque se debiles, cũ sint fortes, *D. T. d. q.* 187. Quibus propterea non solùm non est danda eleemosyna, sed puniẽdi sunt, nè otiosorum hominum foueatur inertia, & nè verè debilibus, & infirmis à validis mendicantibus panis auferatur, vt *in d.l. vn.*

Acqui-

Digitized by Google

94 Acquisita verò ratione Personę non cadunt sub obligatione expēdēdi in pios vsus, illa scilicet, quæ perueniunt quidem ratione bonorum Ecclesiæ, sed non sunt propriè
95 fructus bonorum Ecclesiæ, quia aduenium aliunde per accidens, prout sunt laudemia, quæ dantur Beneficiario pro consensu alienationi rei emphyteuticæ, & pro nouis inuestituris huiusmodi rerum emphyteuticarum, & feudalium, *l.3.C.de iur.emphyt.* & in prouētibus ex causis fiscalibus, confiscationibus, & compositionibus super delictis, *l. 2. §. 2. ff. ne qui. in loco publ. Abb.in c.quia diuersitatem n.14.de conces.præben.* atq; in iis, quæ Prelatis, gaudētibus dominio temporali nō dantur ob tributa, census, & similia onera perpetua, sed recipiuntur ex venditione, seù locatione secularium Officiorum, & pariter ex causis fiscalibus, quæ lucra, siuè prouentus nullā imbibūt spiritualitatem, & in quibus nullus habetur respectus, seù intuitus ad Ecclesiam, vel pias causas: Prout etiam quando venduntur Officia, seù ius percipiendi fructus eorundem Officiorum: Sicuti in alio pro-
96 posito dicit Commentator Constitutionis Iulii Secundi, quæ incipit: Cum tàm diuino, quod Officiales Datarię non committunt Simoniam concordantes de pensionibus, signata priùs supplicatione per Papam, quia non concordant super titulo iam collato, sed super fructibus Beneficii.
97 Papa verò cum Sacerdotali Regalem potestatem coniunctam habet, cōsecratur enim, vt Sacerdos, coronatur, vt Rex, *August. de Ancon.de potest.Eccles.q.1.art.7. ubi ad se-*
98 *cundum*, quod Sacerdotium Christi nō fuit figuratum per Sacerdotium, & dominium Leuiticum, in quo erant distinctæ Tribus, Sacerdotalis, & Regalis, Iuda scilicèt, & Leui, sed per Sacerdotium, & dominium Melchisoch, qui simul fuit Rex, & Sacerdos, *Gen.14.& Hebr.7.* Quem Melchisedech fuisse ipsum Sem, filium Noè, docet *Lipan.in d. c.14.& 2. Gen.* ideoq; largiùs intelligenda sunt, quæ supra tetigimus.
99 Pariter, quæ dantur à Romano Pontifice cuilibet Cardinali, non respectu, vel intuitu alicuius Ecclesiæ, sed respectu Personæ ipsorū Cardinalium, qui Romanum Pōtificē in regimine Vniuersalis Ecclesiæ consilio, & industria coadiuuāt, *Redoan.de spol.Eccles.q.3.§.& ex his num.10.* qui propterea appellantur Reges, quia cum Papa regunt totum Mundum, *Host.in c. dilecti il 1. de præben.* præsuntq; curæ totius Ecclesię, & illius sunt caput, *c.bonæ de postul.Prelat. Martin. Laud. in tract.de Cardin.q.3.*
100 Quò verò ad lucra ratione laboris, uti Cathedráticum, seù Synodaticum, procuratio, quotidianæ distributiones, stipendia Missarum, & huius generis alia; nec non spōtè, & in remunerationem data post Sacramētorum administrationem, Ecclesiarum, & Altarium consecrationem, indubitati iuris est, quod ipsi Personæ, dummodò nō sit Regularis, adstri-
101 cta voto Paupertatis, acquiruntur cum plena, & libera facultate de illis, etiam in profanos vsus disponendi, prout licet rustico de denario diurno, *cap, un. de Cleric. non resid.in 6.c.quicumq; & c.Pontificis 12.q.3. Couar.in c. cum in officiis nu.4. de testa. Sylues. in Summa verbo Simonia q.9.*

Quod attinet ad commodam Clericorum sustentationem ex redditibus Ecclesiæ, nullam videtur pati difficultatem, quia in dies sine scrupulo vniuersaliter practicatur. Cum tamen dicat Apostolus: Victu, & tegumento contenti
102 simus, videtur, Clericos, & Prælatos de redditibus Ecclesiæ habere tantùm sumere necessaria, & de

neces-

Digitized by Google

necessariis contentari debere, iuxta deducta à *Redoan. de spol. q. 3. §. sed in contrarium, usque ad num. 13. & notata superiùs.*

Verùm huic dubitationi respondet *glos. in c. Clericus, verbo necessitate* 21. *q.* 1. quod hoc obtinuit secundũ antiqua iura, & illa tempora; hodiè
103 verò, quia creuit decus Ecclesiæ, vilescere non debet dignitas Clericalis, *de consecr. di. 1. vasa, glos. in c. Clerici, uerbo deauratis, de uita, & honest. Cleric. per tex. in c. Episcopi* 80. *dis. facit*
104 *text. in c. postulasti de rescript. ibi*: Valeat cõmodè sustentari, ubi notat *Abb.* 1. quod non dicitur sine penuria, seù sine egestate, sed commodè. *Concordat glos. in c. un. §. sanè, uerbo penuria, de statu Regu. in* 6. vbi, quod Canonicus Bononiensis de centum florenis non potest commodè viuere, qui tamen de vigintiquinque sustentaretur sine penuria.

105 Ipso quoq; nomine victus, deducto à verbo viuere, importatur, vt diximus *Sect. 4. num.* 14. quidquid ad tuendam, conseruandamq; vitam hominis est necessarium, ac propterea non solùm cibus, & potus, ac vestimenta, verùm etiam habitatio, ministerium famulorum, ac seruorum; & si quæ sunt huius generis alia, *l. uerbo uictus 43. cum l. seq. l. in lege 203. & l. quos nos 234. §. fin. ff. de uerb. signif. l. final. ff. de cibar. lega.*

106 Propterea de redditibus Ecclesiæ tantùm debent habere Clerici, quantum eis sufficiat ad commodũ victum ipsorum, & aliorum, sibi cõuiuentium, & inseruientium, iuxtà qualitatem, ac dignitatem Personę, & Regionis, *Redoan. de spol. q. 3. §. sed in contrarium nu. 19. per tex in d. c. sanè, de stat. Regul. in* 6. & Prælati cũ splendore, *glos. in c. 21. uerbo necessitatem in fin. Redoan. d. q. 3. n.* 20. Illud autem di-
107 cimur commodè posse, quod verè commodè, & conuenienter possumus, *glos. margin. in l. nepos Proculo* 125. *ff. de uerb. signif.* Cui non refragatur dictum Hieronymi, *relat. in summ.* 44. *dis.* quod Clericus de altari viuere debet, non luxuriari, quia ut pariter diximus *sect. 4. n. 16.* verbum, luxuriari, importat superuacuam abundantiam, & profusas impensas, ac prodigalitatẽ, vltra cõmoditatẽ.

108 Sicuti non obstat dispositio Cõcilii Tridentini, iubentis, ut Episcopus, non solùm modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contẽti sint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caueant, nè quid appareat, quod ab hoc sancto instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat, *sess. 25. de refor. c. 1.* quia per hoc non excluduntur ea, quæ decent, & conferunt ad imprimendam in animis Populorum celsitudinem Episcopalis Dignitatis: Sicuti de Sancto Francisco de Sales Episcopo Geneuen legimus, quod non caruerit serica supellectili, ac decenti famulorum numero, licèt ieiuniis, ac disciplinis carnem suam maceraret: Sancto Caroio Borromeo, qui in sua humilitate accessit ad visitanda sacra Limina sine Famulis, Card. Vastauillanus, tunc Nepos Gregor. Papæ XIII. prouidit de Familia, & reliquis pro decore tãtę Dignitatis: Et in Congregatione Sacrorum Rituum cum à Fidei Promotore animaduerteretur cõtra humilitatem Serui Dei, quod creatus in Cardinalem, Palatium serica, & Phrygiana supellectile ornauerat, cum vasis argenteis, ac magno famulorũ numero, à Postulatoribus exhibita fuerunt Breuia Apostolica, quibus ipsi mandatum fuerat, vt spiritum paupertatis, & humilitatis in corde retinens, in actibus exterioribus, & publicis, circa magnificentiam, & splendorem tantę Dignitati debitum, cæterorum exemplo se conformaret.

109 Quod igitur attinet ad cõmodã, seù cõmodiorem, sustentationẽ, non videtur ambigendum, quin nobiles,

Digitized by Google

& literatæ Personæ maioribus Beneficiis sint honorandæ, *tex. in c. de multa de præben. vbi gloss. in verbo literatas*, quod secundum qualitatem Personæ Beneficia sunt conferenda, *argum. 42. dist. cogantur, tex. in l. fin. iunct. glos. de negot. gest.* & is gradus debet cæteros antecellere, quem stipendia longiora, & labor prolixior fecerit anteire, *c. statuimus, de maior. & obed.*

111 *Abb. in d. c. de multa num. 5.* ubi, quod literatæ Personæ æquiparantur Nobilibus, sicq; debent honorari ab Ecclesia, subueniendo eis pinguiùs de redditibus Ecclesiasticis præ aliis minùs literatis, quia scientia prodest

112 nedum habenti, sed etiam toti vniuersali Ecclesiæ; quinimò sine literis Orbis regi nõ posset, *authent.*

113 *habita, C. ne filius pro patr.* Quod idẽ repetit *Abb. in c. extirpandæ in repet. §. qui verò, eod. tit. de præben. vbi n. 45.* re-

114 spondet ad obiectionem, quæ fieri posset, quod non fit acceptio Personarum, nisi circa inæqualia seruetur æqualitas, siuè inæqualitas circa æqualia; proindè nil mirum, si

115 maiori quæsitum labore maius confertur præmium: Et vniuersaliter plura quis potest habere Beneficia, dummodò fructus benè expendat, & auarè non thesaurizet, *Abb. in dicta repet. §. qui verò num. 34.*

116 Intelligendum tamen de simplicibus Beneficiis, quia de Dignitatũ atq; eorum, quæ perpetuam residẽtiam requirunt, incompatibilitate plura adnotauimus supra *sect. 16. per tot.*

Difficultas supereſt, & quidem non leuis; An vltra commodam seù commodiorem sustentationem, liceat Prælatis de fructibus, & redditibus Ecclesiæ, propriorum laborum, ac meritorum intuitu, aliquã portionẽ sibi appropriare, seù aliis donare, absque eo, quod talis appropriatio, seù donatio limites piæ causæ dicatur excedere? Pro cuius resolutione,

117 Notandum primò, Prælatos pro Ecclesia dupliciter laborare, corpore scilicet, & animo; Corpore quidem in Diuinorum celebratione, Sacramentorum administratione, Ecclesiarum & Diœcesum visitatione, & aliis huius generis, quæ

118 corpori molestiam inferunt: Animo verò pro cura Diuini cultus, & Religionis, pro tuendis, & recuperandis bonis, & iuribus Ecclesiæ, pro defensione Dignitatis, iurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, pro quibus, cum non modicas patiantur angustias, animo laborare dicuntur, *l. 1. §. idem Pomponius, ff. de dol. mal.*

119 At Summus Põtifex, Christi Vicarius, cum sit illi cura, non de vna Ciuitate, vel Diœcesi, aut de solo Statu Ecclesiastico, sed de tota Christiana Republica, non paucas noctes ducere insomnes, pluresque voluntarios labores appetere cogitur, ut aliis quietem præparet, *tex. in c. 17. iunct. glos. de censi.* Prout etiã de se fassus fuit Iustininianus Imperator in *authen. ut iud. si. quo. suff. coll. 2. in princ. & in authen. ut diuin. iussio. coll. 9*

120 *pariter in princ.* Propterea, ut cum pleniori potestate vbique valeat operari, congruum esse, ut in Vrbe Roma resideat, & in Patrimonio Diui Petri, ait *August. de Ancona de potest. Eccles. q. 21. art. 1. in corp.*

121 De Episcopis verò, & Prælatis, qui in Regulorũ ditionibus residere coguntur, quæ dicere possem, nisi breuitati studerem? quanta patiantur pro tuendis iuribus Ecclesiæ, pro defensione Iurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, Deus scit.

122 Notandum secundò, non repugnare secundum præsentem rerum ordinem, vt quis participet de præmio alieni meriti, ac laborũ, prout in dies practicari videmus, quod Imperatores, Reges, ac Principes remunerãt Filios ob merita Parentum, Fratres, propter merita Fratrum, Nepotes etiam, ac Pronepotes

Digitized by Google

tes ob præclara geſta Maiorum, de-
rquibus ſexcenta adduci poſſent e-
xempla: Conſtat item in ſacris pa-
ginis, ſciſſum non fuiſſe Regnum
Iſrael in diebus Salomonis, & poſt
eius mortem in illius ſciſſione reli-
ctam vnam Tribum, ſeù duas Ro-
boam propter merita Dauid, 3. Reg.
11. Et in iure noſtro Senatorum Fi-
lii, Nepotes, ac Pronepotes eximũ-
tur ab oneribus, & muneribus ſor-
didis, *l. filii* 22. §. *Senatores, ff. ad muni-*
123 *cip.* Atque in vniuerſum merita
Maiorum tranſire ad poſteros, vo-
luerunt, *Bal. conſ.* 355. *lib.* 1. *Soccin. cõſ.*
84. *Roman. conſ.* 24. *per tex. in l. nemini,*
verſ. filios autem, & in l. petitionem, verſ.
filiis ſcriberet, C. de Aduoc. diu. iudic. &
in l. iubemus, verſ. & filio, C. eod. Quod
& à priſca ſimplicitate obſeruatum
extitit; ſiquidem Athenarum Ci-
ues, teſte Fulgoſio, ob præclara fa-
cinora Ariſtidis in bello cõtra Per-
ſas, eius Filias de publico dotarunt,
& Lyſimaco filio centum minas ar-
genti, totidemq; agri iugera, nec-
non quadraginta drachmas in ſin-
gulos dies contulerunt.

Quibus attentis, licèt prima facie
dicendum videatur, licere Prælatis,
in ſolatium tot laborum corporis,
& animi pro Eccleſia, de eiuſdem
Eccleſiæ fructibus partem aliquam
ſibi appropriare, de illaque ad libi-
tum diſponere; præſertim cum la-
124 bores, & ſeruitia, etiam per in-
feriores Clericos Eccleſiæ præſtita,
præmio, vel pretio de iure compen-
ſari debeant, *c. charitatem in fin. & c.*
Eccleſiaſticis 12. *q.* 1. *gloſſ. in c. ad noſtra,*
verbo ſuffi:cere de reb. Eccleſ. non alien.
ſitque de forma iuſtitiæ, quod la-
125 bores, merita, & ſeruitia remune-
rentur, per iura, adducta à *Redoan.*
de reb. Eccleſ. non alien. q. 51. *num.* 29. *&*
q. 52. *num.* 81. vbi, quod donare bene-
126 meritis non intelligitur donare,
ſed potiùs ſoluere debitum naturæ,
l. Aquilius, ff. de dona. l. ſed ſi lege, §. *con-*
ſuluit, ff. de pet. hæred. cap. cum in officiis,
de teſta.

127 Nihilominus pro veritate nega-
tiuè concludendum eſt, non licere
videlicet Prælatis, ob prætenſa me-
rita, motu proprio, partem fru-
ctuum Eccleſiæ ſibi appropriare, ad
libitumque diſponere: Primò qui-
dem, quia contrarium aſſerendo, di-
rectè pugnaret contra id, quod Nos
per tot iura, & rationes probare
128 contendimus, nempè redditus
Eccleſiæ non eſſe erogandos, quod-
cumque ſit illud opus, niſi cum ali-
quo pietatis intuitu: Secundò, quia
cum in Concilio Tridentino rotũ-
dis dicatur literis, Epiſcopos ad la-
bores, & ſolicitudines eſſe vocatos,
ſeſſ. 25. *de refor. c.* 1. ſibi ipſis imputent,
qui tale ſuſcipiunt onus, niſi etiam
fortè vltrò efflagitauerint; intrat
enim commune axioma: Qui vult
129 eſſe, vult etiam conſequentia ad
eſſe: Et tertiò, quia Sedes Apoſtolica,
pia mater omnium, Prælatis be-
130 nemeritis diſponendi de fructibus
Eccleſiæ facultatem concedere non
renuit, prout in Domino nouerit
expedire; ac proindè non poteſt
quis de bonis Eccleſiæ ad libitum
diſponendi ſibi facultatem arro-
gare.

131 Porrò circa largitiones erga Cõ-
ſanguineos, & attinentes de bonis
Eccleſiæ, cõſiderari poſſunt tres ca-
ſus: Primò, ſi illis ſuccurratur in
eorum neceſſitatibus: Secundò, ſi
ſtatus illorum augeatur de prouen-
tibus, & lucris acquiſitis, ratione,
& intuitu Perſonæ, aut de reddi-
tibus Eccleſiæ, modicè tamen, & ad
bonum finem, ſine læſione Eccleſię,
Pauperum, & diſtributiuæ Iuſtitiæ:
Et tertiò, ſi in illos profundatur, tã-
tùm vt ditiores fiant, & in Mundo
reſplendeant, fabricando illis ma-
gnifica Palatia, & emendo Titulos
Marchionatus, Ducatus, &c.
Quod ad primum attinet de ſub-
ueniendo Conſanguineorum, & at-
tinentium neceſſitatibus, habemus
textus expreſſos, non ſolùm permit-
tentes, ſed id quaſi iubentes, *cap. non*

Digitized by Google

ſatis,& cap. eſt probanda, ibi: Eſt probanda liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas, melius eſt enim, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt, ab aliis ſumptum depoſcere, aut alteri poſtulari ſubſidium neceſſitatis, *text. in c. omninò, iunct. gloſſ. 31. diſt. c. 1. de cohab. Cleric. & mul. Abb. in c. inquirendum de pecul. Cleric. Redoan. de reb. Eccleſ. nõ alien. q. 52. n. 113. & de ſpol. q. 3. num.*

132 11. vbi, quod quemadmodum de iure ciuili Frater laicus tenetur dotare Sororem, quæ dotem non habet, ſi ſit ei cõiuncta ex Parte patris, *gloſſ. in l. cum plures, & ibi DD. §. penul. ff. de admin. tutor. & in l. omni C. eod. tit.* & ſicut tenetur eam alere in caſu neceſſitatis; ità dicendum eſt de Clerico, quod ad eadem teneatur,

133 cum ad actus charitatis ſit magis aſtrictus, quàm Laicus, *c. 1. cum ibi not. de empt. & vend. Redoan. de reb. Eccleſ. non alien. d. q. 52. n. 110.* in hocque nullum vidi contradicentem, ſed omnes tàm Sacri Canones, quàm Sancti Patres, & Doctores communiter ſine exceptione, atque vno o-

134 re fatentur, poſſe, imò debere Clericos, & Prælatos de redditibus Eccleſiæ alere Filios, Vxorem, & Conſanguineos, eiſque in eorum neceſſitatibus ſubuenire, & optima quidem ratione; ex quo enim de bonis Eccleſiæ tenentur ſubuenire Pauperibus, debent in primis iuuare propinquiores, & coniunctos ſecundum carnem, iuxta placitum *D. Tho. 22. q. 26. art. 8. in corpore, et q. 158. art. 7. ad 2.* vbi poteſt Clericus, & Prælatus de eo, quod ſuis vſibus eſt deputatum, ſibi modicè ſubtrahere, & ſuis attinentibus dare.

135 Quis autẽ dicatur pati neceſſitatem ad hunc effectum, explicat *Dec. conſil. 163. n. 6.* nempè, vt quis dicatur Pauper, vel non Pauper, attẽ-

136 ta eius qualitate; ſi enim vnus Nobilis non habeat, niſi quantum vnus ruſticus diues, adhuc erit iudicandus Pauper, & non diues, ſecundum eius qualitatem, & Nobilitatem, & è contra ſi vnus ruſticus habeat quantum vnus Nobilis pauper, erit reputandus diues, ſecundũ eius conditionem, & clariùs *Tiraq. de priuil. pia cauſa in præfat. verſ. intellige ſecũdò*, vbi ſi quis ſatis bonorum habeat, vt poſſit uiuere, non tamen

137 ſecundum ſuam conditionem, & qualitatem Perſonę, is pro Paupere habẽdus eſt, & quod illi ea cõditione, & cauſa traditur, datum repura-

138 tur ad pias cauſas, *Bart. in l. 1. n. 35. C. de Sacroſ. Eccleſ. Bal. in repet. eiuſd. l. 1. & in l. ſi quis ad declinandam, col. 2. verſ. circa tertium, C. de Epiſc. & Cleric.* vbi expreſsè loquitur de Nobili, qui ſatis bonorum habet, ſed non pro ratione ſuę Dignitatis, *Surd. de alimẽ. tit. 1. q. 93. n. 30.*

139 Et ſecundum hanc doctrinam licitum erit Clerico, & Prælato, vtpotè ad pias cauſas, de redditibus Eccleſię, quatenus hoc patiantur, reſtituere in priſtinum ſtatum Conſanguineos, qui propter aduerſos caſus ſine culpa iacturam bonorũ paſſi ſunt, citrà tamen lęſionem Eccleſiæ, Pauperum, & diſtributiuæ Iuſtitiæ, de conſilio tamen prudentis Viri, non innitendo proprię prudentiæ, quæ erga ſanguine coniunctos ſolet eſſe cęca, *cap. dilectiſſimi, 8. q. 2. gloſſ. in c. peruenit, 1. q. 3. Franc. Leo in theſau. for. Eccleſ. p. 1. cap. 3. num. 39.*

Quod attinet ad ſecundum caſum, de augendo Conſanguineorum, & attinentium ſtatu de prouẽtibus, & lucris, quę aduenium Beneficiario, non ratione, intuitu, vel reſpectu Eccleſiæ, aut piæ cauſæ, ſed ratione, intuitu, & reſpectu Perſonę, vel laboris, cum dixerimus ſupra,

140 quod huiuſmodi prouentus, & lucra acquirantur totaliter Beneficiario, ac de illis ad libitum, etiam in profanos vſus diſponere valeat, nulli dubium, quod de iiſdem attinentium ſtatus quantumlibet augeri poſſit, cum hoc nullibi reperiatur,

Digitized by Google

tur, neque à Sanctis Patribus, nec à iure prohibitum, quilibet enim rei
141 propriæ est moderator, & arbiter, *l. in traditionibus ff. de pact. l. in re mandata, C. manda.*

142 Si pariter agatur de augendo attinentium statu de redditibus ipsius Ecclesiæ, modicè tamen, sine solicitudine, & ad bonum finem; affirmatiuè ex Soto tenet *Cordub. in Sylu. decis. cas. const. lib. 1. q. 18. vers. nota 2. Corollario*, vbi dicit, non videri illicitum; si Episcopus valdè abundãs, & potens, cauendo scandalum, & sine aliorum Pauperum omissione, ditet Pauperes Consanguineos, ad mediocrem statum eleuando ipsos, & eorum Successores, non tamen Primogenituram, aut Maioratum illis instituendo.

Cui sententiæ, quam credo verã, non videntur refragari dicta Sãctorum Patrum, & dispositio Sacrorũ Canonum, volentium, posse quidẽ Clericos, & Prælatos de fructibus Ecclesiæ subuenire Consanguineis indigentibus, vt vidimus supra non autem illos ditare, quia licèt hæc
143 iura sint, & optimè statuta, qui enim volunt diuites fieri, præsertim de bonis Ecclesiæ, incidunt in tentationes, & in laqueum Diaboli 1. *Tim. alt.* Attamen aliud est profũdere
144 in Cõsanguineos ad hũc unum, & ultimum finem, ut ditiores fiant, & aliud est illos ditare modicè, sine læsione Ecclesiæ, Pauperum, & Iustitiæ: Primò enim casu, quia constituitur principalis, & ultimus finis in diuitijs, est omninò illicitũ, ut videbimus inferiùs: Secundo verò casu, si diuitiæ ordinentur, tanquam me-
145 dia ad finem, qui pietatè imbibat, non videtur malum, videlicet ad subtrahendos attinentes à molestiis Potentiorum, qui tenuiores, ac debiliores opprimunt *l. 1. C. ne lic. potent.* facit *Iacob* 2. Vel ad illos ponendos
146 in statu exercẽdi virtutes Iustitiæ, liberalitatis, & magnificentiæ, quæ sunt proprius diuitiarum finis, *D. Th. 2. 2. q. 167. ar. 3. ad. 1.* Cum huiusmodi virtutes pertineant ad felicitatem actiuæ vitæ, ad quam instrumentali-
147 ter diuitiæ coadiuuant, quia per amicos, diuitias, & ciuilem potentiã multa operamur *Aristoteles 10. ethic. cap. 7. & ex eo idem D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. in corp.* sẽper tamen habito respectu ad facultates Ecclesiæ, nec nõ ad Personas, & loca, ubi nati sunt, vel degunt.

Videatur *Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 1. tit. 2. gloss. 9.* ubi postquam *à num. 27. usque ad 35.* plura cumulavit contra Prælatos, qui pretium uniuersitatis suis marsupijs includũt, patrimonium Crucifixi, aut Nepotibus erogant, aut damnabiliter retinent, aut distribuunt Consanguineis indiscretè, *ità subdit deindè n. 34.* Cum
148 maiorem charitatem, & pietatem in suos, quàm in extraneos exercere quis debeat. *c. non satis, 80. dist.* omni scilicet cessante fraude, & præsumptione quæ pro Consanguineorum affectione stat, *text. in cap. quisquis 12. q. 1. & c. in canonibus 16. q. 1.* po-
149 terit Episcopus, cæteris paribus, Consanguineos in officiis, & muneribus aliis extraneis præferre, modo sint digni; & de illis confidere possit; qui etiam si sint Pauperes potest illis Ecclesiæ redditus distribuere, & vberiori manu ratione status, sed non augere nimis, nec ditare nè videatur ædificare Sion in
150 sanguinibus, poteritque bona Ecclesiæ solita dari in emphyteusim, potiùs in Consanguineos, quàm in extraneos alienare, *Bursatt. cons. 127 n. 4. & 78. lib. 2. Bartol. Perett. in comment. ad extrau. ambitioseæ, de reb. Eccles. non alien. verbo, ac de rebus, & bonis, n. 6.* & modicas inter viuos facere donationes, vt eis subueniat. *Hæc Barbo.* Ex quibus videtur confirmari sententia, quod de bonis Ecclesiæ possit Episcopus augere statum attinẽtium modicè tamen, & ad bonum finem, qui pietatem attingat, atque omni dolo, & fraude cessante.

Cui

151 Cui ſententiæ non videtur obſtare *D.Th. 2.2.q.99. art.6. in corp.* dicẽdo, quod imperfectorũ ſit appetere temporalia, etiam in ordine ad Deũ & *2.2.q.185. art.8. in corp.* quod Epiſcopatus ſit magiſterium perfectionis: Ex quibus videtur inferri, in nullo caſu eſſe conueniens, Prælatos appetere temporalia, etiam in ordine ad Deum, per *cap. Epiſcopos, 41. d ſ.* Quia Sanctus Doctor intelligendus eſt de fine primario, principali, & dante cauſam, vt dicunt Iuriſtæ, non autem de fine ſecundario, & incidente, iuxta doctrinam *Cordub. in Sylu. deciſ. caſ. conſcien. lib. 1. q. 32. prope finem, verſ. ſed dubitatur.* vbi, propoſito

152 dubio: An ſit licitum amare Deũ propter præmium ſpirituale, vel tẽporale? Concludendo affirmatiuè in vtroque caſu, ponit exemplum de eo, qui vadit Romam pro lucrãdo Iubileo, & ſimul pro impetrando Beneficio; dicitque eſſe actum meritorium, ſi principalis finis ſit pro lucrando Iubileo, ſecundum quam doctrinam non video, cur electus in Eccleſiæ Prælatum, acceptando Prælaturam ſimpliciter ad finem inſeruiendi Deo, & Eccleſiæ, non poſſit deindè in ſolamen ſuorum laborum, ac meritorum, de redditibus Eccleſiæ, ſine læſione eiuſdem Eccleſiæ, Pauperum, & Iuſtitiæ, ſe liberalem exhibere in Cõſanguineos ad ſupradictum finem, illorum ſtatum modicè augendo.

153 Pariter nõ videtur obſtare Cõciliũ Tridẽtinũ interdicens Prælatis, nè redditibus Eccleſiæ Conſanguineos, & Familiares ſuos augere ſtudeant; eos monendo, vt erga illos omnem carnis affectum deponant, *ſeſſ. 25. de reform. cap. 1.* quia intelligẽdum eſt de nimia profuſione, vt patet ex contextu, & dicemus inferiùs, nõ de modico augmento, quod à iure non conſideratur, *cap. ſi proponente, 42. ubi gloſſ. de reſcript. l. ſi oleum. §. fin. cum l. ſeq. ff. de dolo, & l. in rebus §. poſſit. ff. commod. Tiraquell. in l. ſi unquam, verbo, donatione largitus, n. 123. C. de reuo. dona.* Sicuti intelligendũ eſt de affectu inordinato, non autem de ordinato, & qui pietatem imbibat.

